Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dereligiosis0000vari_i7x4

A. VERMEERSCH e S. I.

DOCTOR IURIS, LOVANII IN COLLEGIO MAXIMO S. I.
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

PRAELECTIONES CANONICAE

RELIGIOSORUM INSTITUTIONI POTISSIMUM ACCOMMODATAE

PARS SPECIALIS

DE RELIGIOSIS INSTITUTIS ET PERSONIS

Brugis, typis Houdmont-Boivin et Filiorum

A. VERMEERSCH e S. I.

DOCTOR IURIS, LOVANII IN COLLEGIO MAXIMO S. I.
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

DE RELIGIOSIS INSTITUTIS & PERSONIS

TRACTATUS CANONICO-MORALIS

AD RECENTISSIMAS LEGES EXACTUS

TOMUS PRIOR

AD USUM SCHOLARUM

Altera Editio, auctior et accuratior

ALMA COLLEGE
348.735
LIBRARY
V59
Alma, California

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS CAR. BEYAERT

ROMAE
DESCLÉE, LEFEBVRE & SOCII

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
P. LETHIELLEUX

1907

14475

Ego Iosephus DEVOS, Praepositus Provincialis Societatis Iesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio WERNZ, eiusdem Societatis Praeposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus *De Religiosis Institutis et Personis Tractatus canonico-moralis, Tomus prior, ad usum scholarum, altera editio*, a Patre Arthuro VERMEERSCH, sacerdote S. I. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 17 novembris 1906.

I. Devos, S. I

IMPRIMI POTEST

Brugis, 21 novembris 1906.

† G. I. Episc. Brugen.

PRAEFATIO PRIORIS EDITIONIS

Lata, die 7 dec. 1900, Constitutione *Conditae a Christo* de Religiosorum Institutis vota simplicia profitentium, veluti nova Iuris regularis aetas nobis visa est exordiri.

Hactenus enim, quotquot nostrum argumentum versare instituerunt uberiores erant ad dicendum de religiosis Ordinibus, ieiunam vero de Congregationum varietatibus cognitionem, ob ipsam fontium exiguitatem, tradere solebant. Nunc autem, in delecta Christi acie, quem quisque condicione locum teneat, accurate ipsis authenticis monumentis demonstrari iam potest.

Quare, recentis legis beneficio usi, hoc nostro opere, qualecumque sit, quid omnium Religiosorum communis ratio, quid propria singulorum generum ferret, quid demum iuris, quid officii tam Regularibus quam alumnis votorum simplicium competeret, fere aequabiliter sumus persecuti.

Nec ecclesiasticae tantum legis seu fori exterioris rationem respeximus, sed moralem simul, artissime in hac causa alteri coniunctam, inivimus investigationem, ita ut tractatus inscriberetur *Canonico-Moralis*.

Opus porro nostrum binis concrescit tomis [1], qui tamen separatim prostant.

Prior, ad usum scholarum, ita est adornatus, ut unius

[1] Praeter peculiarem De Societate Iesu fasciculum.

anni spatio satis commode praelegi possit. Brevitati itaque consulere oportuit atque ab excurrente parcere oratione : quod tamen ita praestare conati sumus, ut nihil omitteremus alicuius momenti quod ad usum pertineret, nihil nisi suis argumentis confirmatum afferremus.

In qua re, neutram refugere voluimus difficultatem, quam quominus articulatim et distincte scribamus parit hinc monumentorum moles [1] crescensque cum scriptorum frequentia sententiarum disparitas, quominus vero definite nec tamen incaute solvamus dubia, illinc rursus auctoritatum penuria gignit.

Ad voluminis calcem, per plures Indices, praeter explicatissimam rerum Summam, quam hic statim damus in initio, est utentium commodis prospectum.

Quia tamen de quibusdam praecipuis quaestionibus paulo copiosius disserere placuit, lucubrationes istas alteri deputavimus tomo, qui simul potissima continet iuris diplomata quae hodie usu veniunt.

Quod aliquatenus cedat in laudem Dei Ipsiusque electae subolis spirituale emolumentum !

---

[1] Neque illud dissimulandum est, in ipsis privatis collectaneis quae magnum habent usum non raro eam desiderari diligentiam quae periculum errandi summoveat. Quod ut paucis illustremus exemplis, praeter ea quae a nobis, p. 71, nota 1 ; p. 93, nota ; p. 163, nota 2, sunt indicata, in Bibliotheca Ferraris, v. *Conventus*, art. 2, n. 37, inter additiones, Religiosorum numerus qui ad exemptionem requireretur scriptus est senarius, pro duodenario ; v. autem *Alienatio*, art. 4, in referendo decreto de pecunia quae a Regularibus accipiatur mutua, omissa sunt verba quibus decretum circumscribitur pactionibus quae fiunt cum hypotheca bonorum aut dato pignore. (Cfr. *Supplementum* IX alterius tomi.) Evenit etiam ut permixte a collectoribus ponantur ea quae vim habent universalem et quae cuiuspiam Instituti vel regionis, utputa Italiae, sunt propria.

PRAEFATIO HUIUS ALTERIUS EDITIONIS

In temporis intervallo quo a priore huius operis editione separamur, tot promulgata sunt de religiosis decreta, ut volumen istud non potuerit nisi penitus recognitum et pluribus rebus auctum prodire in lucem.

Alia recentem religiosarum Congregationum disciplinam novis definitionibus expoliebant et perficiebant, alia veterem Ordinum ex parte corrigebant et ad hodierna accommodabant adiuncta ; ut autem omnium accuratam haberemus rationem, movebamur ipsa operis inscriptione, qua tractatus dicitur *ad recentissimas leges exactus*.

Verum, et illud diffitendum non est, ius positivum ne hodie quidem ad aliquod culmen seu fastigium pervenisse videtur in quo immobile consistat. Copiam interea lectoribus nostris facimus cotidiana observandi incrementa et mutationes, ex Supplementis et Monumentis quae quater in anno typis scribere coepimus.

Ad postremum monemus, in libri fine varias a nobis proponi formulas usitatiores dandi vel petendi litteras testimoniales et dimissorias.

SUMMA RERUM

Inserti sunt in ipsis lineis numeri marginales

Pagina

PARS PRIMA

DE STATU RELIGIOSO IN UNIVERSUM

CAPUT I. **De Status religiosi notione, partibus et ortu**

Articulus I. Notio status religiosi. 1

Descriptio status religiosi, 1.

§ 1. *Quid sit status.* 2

Quid status, 2. — Exempla, 3. — Obligatio status ex lege, 4. — Obligatio status per voluntatem, 5.

§ 2. *Quid sit perfectio* 4

Essentia christianae perfectionis, 6. — Varia perfectionis ratio, 7. Perfectio consistit in praeceptis, 8.

§ 3. *Quid disciplina seu schola perfectionis*

I. De consiliis evangelicis. 7

Quod sit opus consilii, 9. — Consiliorum duo genera, 10. — Consilia sunt in Evangelio, 11. — Evangelica ratio paupertatis, 12. — Castitatis perfectae, 13. — Oboedientiae religiosae, 14. — Confirmatio doctrinae de oboedientia, 15.

II. Disciplina perfectionis demonstratur tribus consiliis evangelicis 12

Probatio ex traditione, 16. — Ex ratione, 17.

Parergon. De statu perfectionis 14

Quid status perfectionis, 18. — De ratione qua Episcopi sunt in statu perfectionis, 19. — Status religiosorum varius respectus, 20. — Status religiosorum varia nomina, 21. — Comparatio episcopi, sacerdotis et religiosi, 22.

Articulus II. De partibus status religiosi

I. De his quae postulat perfecta eius ratio . . . 18

Corollaria. 18

Descriptio status religiosi secundum se, 24. — Quo spectent alia studia, 25. — Finis status religiosi, 26. — Varia quae sunt extra essentiam, 27. — Quomodo pertineat traditio ad essentiam Ordinis religiosi, 28.

Pagina

II. De imperfecta ratione status religiosi 22

Ratio generalis et exempla, 30.

Articulus III. De status religiosi divina origine et perpetuitate 22

Christus est auctor status religiosi, 31. — Perpetuitas status religiosi, 32.

CAPUT II. **De perfectione status religiosi**

Articulus I. De perfectione consiliorum. . . . 23

Error Ioviniani; collatio praecepti et consilii; estne perfectio in praeceptis an in consiliis, 33. — Relatio consiliorum ad perfectionem, 34.

Articulus II. De perfectione status religiosi . . 24

Errores contrarii; vera positio et eius probatio, 35.

CAPUT III. **De status religiosi initiis et progressibus breves annotationes**

§ 1. *Divisio argumenti.* 26

Trita partitio in quattuor epochas, 36. — Nostra ratio dividendi, 37.

§ 2. *De vitae religiosae primordiis* 26

Primae epochae adumbratio, 38. — De collegio Apostolorum, 39. — De virginibus et ascetis, 40.

§ 3. *De Monachis*

I. De prioribus monachis. 28

Communis ratio monasticae vitae et eius duo genera: eremiticum et coenobiticum, 41. — Notae iuridicae, 42.

II. De monachis Basilianis et Benedictinis . . . 32

Regula S. Basilii, 43. — Regula S. Benedicti: notae propriae et praecipuae reformationes, 44. — Ratio utriusque monachismi; ministeria, forma exterior, 45.

Parergon. De religiosorum istius aetatis ratione secundaria 36

Peculiaris disciplina S. Eusebii, S. Augustini, 46.

§ 4. *De canonicis regularibus*. 36

Genesis istius Instituti, 47. — Hodiernae Congregationes; Notae religionis canonicae, 48.

§ 5. *De ordinibus mendicantibus* 38

Ratio, genesis et particulares notae istarum religionum, 49. — Fratres Minores, 50. — Fratres Praedicatores, 51. — Carmelitae, 52. — Eremitae S. Augustini, Servi B. M. V., Minimi, 53.

Pagina

§ 6. *De clericis regularibus* 40

Harum religionum genesis, nota peculiaris, 54. — Variae religiones clericorum regularium, 55.

§ 7. *De Congregationibus religiosis* 41

Quid significet Congregatio, 56. — Congregatio religiosa presse dicta ; Genesis simplicis professionis, 57. — Variae congregationes religiosae, 58.

§ 8. *De quibusdam Institutis peculiaris rationis* . 43

Istarum religionum communis ratio, 59. — Varia genera, 60.

§ 9. *De ordinibus et Congregationibus mulierum* . 44

Triplex genus, 61.

Parergon. De vi atque usu quorundam verborum . 44

Quomodo nominentur sodalicia religiosa, 62. — Quibus nominibus appellentur domicilia, 63. — De nominibus personarum, 64.

PARS SECUNDA

DE IPSIS INSTITUTIS RELIGIOSIS

CAPUT I. **De prima earum constitutione** . . 48

Quarum causarum requiratur opera, 65. — Qualis accedat oportet Ecclesiae approbatio, 66. — Praesens disciplina, 67. — Normae praestitutae Episcopo, 68. — Infallibilitas Ecclesiae in hac re, 69. — Qua via S. Sedes approbet Instituta religiosa, 70.

Corollaria. 53

Alumni instituti episcopalis an statum habeant religiosum, 71. — Quid de eremitis, 72. — De Institutis quae exterius non dignoscuntur, 73. — Ratio praesens status religiosi, 74.

CAPUT II. **De varietate religionum**

Articulus I. Undenam et cur varient religiones . 53

Varietatis principia : finis, media, 75. — Varietatis opportunitas, 76.

Articulus II. Varietas finium 54

Religio contemplativa, mixta, activa, 77. — Exempla, 78.

Articulus III. Varietas mediorum

§ 1. *Varietas in studiis seu exercitationibus.* . . 55

Pro variis studiis sunt clericales, monachales, mendicantes, militares, hospitalariae, 79. — Exempla, 80.

§ 2. *Varietas in votis*

I. Varietas illa in universum 56

Quomodo vota differant, 81. — Numero, 82. — Forma, 83.

Pagina

II. De votis sollemnibus et simplicibus 58

Definitio voti sollemnis. Quae vota sint sollemnia, quae simplicia; collatio voti sollemnis et simplicis, 84. — Esse adhuc possunt vota sollemnia, 85. — Ac revera sunt: apud viros ubique, apud moniales non ubique, 86.

§ 3. *Varietas in regula*. 60

Ratio regulae, usu communi, usu iuridico, 87. — Notiones historicae, 88. — Distinctio inter regulam et constitutiones, 89. — Hodierna varietas regularum, 90.

Articulus IV. Varietas condicionis iuridicae . . 62

Ordines et Congregationes; Congregationes iuris pontificii et iuris dioecesani; exemptae vel non, 91.

Articulus V. De varia perfectione religionum . . 63

Normae aestimandi ex fine, mediis, austeritate, 92. — De praestantia religionis clericorum et votorum sollemnium, 93. — De delectu Instituti religiosi, 94.

Caput III. **De exstinctione instituti religiosi**. . 64

Quibus causis intereat institutum religiosum; ius Ecclesiae, 95. — Cuinam competat ius istud in Ecclesia, 96. — De commigratione in alteram dioecesim, 97. — De mutanda indole vel legibus Instituti, 98. — De abolitione Societatis Iesu, 99.

PARS TERTIA

DE DOMICILIIS RELIGIOSORUM

Caput I. **Notio conventus seu monasterii** . . 66

Quid conventus, 100. — Variae domus regularium, 101.

Caput II. **De erigenda domo regularium** . . 68

Quaenam domus erigi nequeant sine sollemnitatibus iuris, 102.

§ 1. *De monasterio virorum* 68

Summa condicionum, 103.

I. De assensu Episcopi 69

Cuiusnam petendus assensus; Venia danda ante erectionem; Vocandi ii quorum interest, 104. — An vocandus parochus, 105. — Sanctiones istius obligationis, 106.—De arbitratu Episcopi negantis, apponentis condiciones, 107. — Appellatio a sententia Episcopi, 108.

II. De beneplacito apostolico 71

Necessitas beneplaciti apostolici, pro variis regionibus et Ordinibus, 109.

III. De legitima distantia et alimentis. 72

Legis vis atque usus, 110.

Pagina

IV. De vi factae facultatis. 73

Obtenta facultate, quidnam religiosis obtingat iuris, 111. — Erectio Ecclesiae, 112.

V. De mutatione erectae domus. 73

De mutatione formali, 113. — De materiali per ampliationem; De domo instauranda, 114. — De translatione monasterii, 115.

§ 2. *De Monasterio Monialium* 74

Opus est assensu Episcopi; De beneplacito apostolico; Quot possint esse numero moniales; De Supernumerariis; De Conversis; De lege distantiae, 116.

§ 3. *De domo Congregationis* 75

Praestitutae leges; Assensus Episcopi; Beneplacitum apostolicum pro noviciatu, 117.

CAPUT III. **De exstinctione domus religiosae.** . 76

De discessu ultroneo, 118. — De abolitione per publicam auctoritatem, 119. — Abolitio facta ab Innocentio X, 120. — Cuiusnam sint bona, 121.

CAPUT IV. **De iure postliminii seu recuperandae sedis amissae.** 77

Principium; De regularibus vi iniusta pulsis; De materiali ruina monasterii; De discessu spontaneo vel iuste imperato, 122.

PARS QUARTA

DE PERSONIS RELIGIOSIS

Sectio I. De ingressu in religionem

CAPUT I. **De vocatione religiosa.** . . . 79

De vocatione ad aliquem statum, 123. — De vocationis religiosae varia ratione, 124. — De vocationis religiosae universalitate, 125. — Quanam opus sit vocatione ut licite profitearis consilia, 126. — De necessitate obtemperandi vocationi divinae, 127. — Bina signa vocationis: nullum impedimentum, seria et recta intentio, 128. — De prudenti delectu Instituti; De iis ad quos pertinet admittere candidatos, 129. — Vocationis adeptio, amissio; Vocationis historia, 130. — Alios sine iusta causa prohibere aditu religionis est peccatum, 131. — De iure parentum, 132. — De perverso consilio in hac re, 133.

CAPUT II. **De iuridica facultate et libertate capessendi statum religiosum, deque contrariis impedimentis et obligatione**

§ 1. *De iuridica facultate* 91

Duplex ingressus; Per se ingredi licet nisi constet impedimentum, 134. — De clericis, 135. — De clerico beneficiato vel parocho, 136. — Sanctio facultatis ingrediendi, 137.

Pagina

§ 2. *De libertate ingrediendi religionem* 93

Hodie nemo nisi volens fit religiosus, 138. — Sanctio libertatis ingrediendi, 139. — De antiqua oblatorum disciplina, 140.

§ 3. *De impedimentis ingressus in religionem* . . 96

I. De ingressu in ordinem regularem 96

Varia impedimentorum genera, 141.

A. De iis quos natura fecit inhabiles 96

Prohibentur infantes, amentes, 142.

B. De iis qui sui iuris non sunt 96

Prohibentur impuberes, servi, 143.

C. De iis qui contrariis detinentur obligationibus 96

Prohibentur Episcopi, 144. — Coniuges, 145. — Filii in necessitate parentum, 146. — An filius possit vel debeat e claustro exire ad consulendum parentibus, 147. — Prohibentur parentes, 148. — Aere alieno gravati, 149. — Prohibetur deceptor, 150.

D. De iis qui arcentur ob honestatem et decorem religionis 100

Prohibentur illegitimi, non tamen absolute, 151. — Infames et criminosi, 152. — Obligati ad ratiocinia, 153. — Quid iuris si celatum sit impedimentum, 154.

II. De ingressu in Instituta votorum simplicium . 101

§ 4. *De obligatione ingrediendi religionem*

I. De obligatione ex lege 101

Ingredi debet uxor viri episcopi; uxor ascendentis ad sacros ordines; Alter coniugum si alteri permittat ingressum in religionem, 155.

II. De obligatione ex voto. 102

Imprimis spectanda intentio, 156. — Votum ingrediendi, 157. — Votum ingrediendi et permanendi, 158. — Votum circumscriptum monasterio, 159. — Votum ingrediendi certum ordinem, 160. — Votum religionis in universum, 161. — Qua ratione votum istud sit reservatum S. Sedi, 162.

CAPUT III. **De admissione in religionem**

Principium. De variis personis quae quodammodo pertinent ad religionem 104

Variae classes personarum quae commorari possunt in claustris, 163.

Articulus I. De legitima aetate 106

Aetas noviciorum ex iure naturae et decretalium, 164. — De aetate oblatorum, postulantium, etc., 165.

Pagina

Articulus II. De qualitatum cognitione ante constituenda.

§ 1. *In institutis virorum* 108

Leges latae, 166. — Vis prioris iuris, 167. — De litteris testimonialibus, 168. — Quid si litterae detrectentur vel generale tantum contineant testimonium, 169. — Quid si postulans fuerit in sacris, 170. — Si professus alterius ordinis, novicius vel saecularizatus, 171. — De institutis dioecesanis, 172.

§ 2. *In institutis monialium* 111

Exploranda voluntas ab Episcopo, 173.

Articulus III. De ipsa admissione

§ 1. *De potestate admittendi* 112

Ius commune virorum, 174. — Ius peculiare Italiae, 175. — Quod ad moniales, 176. — Quid in Institutis dioecesanis, 177.

§ 2. *De obligatione admittendi dignos, repellendi minus idoneos* 114

Causa et ratio obligationis, 178. — Quid iuris in dubio, 179.

§ 3. *De gratuitate admissionis* 114

Principia et ius positivum Ordinum et Congregationum, 180.

Parergon. De dote monialium 116

In monasteriis proprie dictis, 181. — Apud sorores, 182.

Sectio II. De noviciatu

Caput I. **De noviciatus necessitate et adjunctis** . 118

Noviciatus notio, 183. — Necessitas ex iure, 184. — Noviciatus locus, 185. — An noviciatus totus peragendus est in monasterio, 186. — Noviciatus initium, 187. — Noviciatus spatium, 188. — Interruptio noviciatus, 189. — Quid si, peracta probatione, novicius discesserit vel invalide sit professus, 190. — Noviciatus ratio, 191.

Caput II. **De iuridicis noviciorum rationibus**

§ 1. *De noviciorum condicione* 125

Novicius est regularis lato sensu, immunis obligatione votorum, 192. — Commoda quibus fruitur novicius, 193. — Onera quae ferre debet, 194. — De noviciis congregationis votorum simplicium, 194bis.

§ 2. *De mutua obligatione instituti et novicii* . . 127

Facultas redeundi in saeculum, 195. — Variae cautiones, 196. — Noviciorum obligationes, 197. — De votis noviciorum, 198. — De novicii dimissione, 199.

Pagina

§ 3. *De professione novicii in articulo mortis* . . 128

Privilegium S. Pii V, 200.

Parergon. De renuntiatione bonorum 129

Prohibitio Tridentina, 201. — Legitima renuntiatio, 202. — Quid si omissa renuntiatio, 203. — De iure recuperandi bona, 204. — Quid in Institutis votorum simplicium, 204bis.

Sectio III. De professione religiosa

Caput I. **Professionis religiosae natura, condiciones atque effectus**

§ 1. *Notio et divisio professionis religiosae* . . . 132

Notio professionis, 205. — Collatio votorum et professionis, 206. — Divisio, 207. — De usu tacitae professionis hodie, 208. — De tempore et loco professionis, 209. — De modo et ritu professionis, 210.

§ 2. *De professione sollemni* 136

Condiciones validae professionis, 211. — De gravi metu quo professio infirmatur, 212. — Quisnam ad professionem admittat, 213. — Professionis sollemnis praesens ratio, 214. — De professione invalida, 215. — De sanatione vitii, 216. — De obligatione castitatis ex professione irrita, 217.

§ 3. *De professione simplici*

I. Professio simplex in universum 141

II. Professio simplex apud Regulares et Moniales. 142

III. Professio simplex in Institutis votorum simplicium

A. In Institutis quae pontificii sunt iuris . . . 144

De regimine votorum in illis Institutis, 220. — Quid si, solutis aliis votis, firmatur votum castitatis, 221.

B. In Institutis episcopalis iuris 147

§ 4. *De votorum renovatione* 147

Caput II. **De obligationibus religiosi professi**

Articulus I. De obligatione sectandi perfectionem 148

Obligatio gravis et distincta a votis, 224. — Peccata gravia contraria, 225. — Peccata levia contraria, 226. — Varii casus, 227.

Articulus II. De obligatione servandi regulam

§ 1. *De obligatione quae per se inest in Regula.* . 151

Vera regulae ratio, 228. — Varia ratio requisitae obligationis, 229. Peccati contrarii species, 230. — Quomodo regula poenalis differat a consilio, 231.

Pagina

§ 2. *De obligatione quae per accidens accedit* . . . 153

De accidentali obligatione subditorum, 232. — Violationes quae culpa vacent, 233. — An ob regulam multiplicentur peccata, 234. — De accidentali obligatione praelati, 235.

Parergon, De regulae interpretatione 156

Quid proprie interpretatio ; quaenam saepe vetita ; prudens regulae interpretatio ; quomodo a communi lege differat indoles regulae, 236.

Articulus III. De obligatione votorum

§ 1. *De voto paupertatis*

I. Notio et gradus paupertatis religiosae 157

Voti paupertatis generalis descriptio, 237. — Varii gradus, 238. — Ad essentiam sufficit secundus gradus vel tertius, 239.

II. De varia disciplina paupertatis religiosae. . . 159

Notae communes, 240. — Triplex genus voti paupertatis, 241. — Vis voti sollemnis ex iure communi, 242. — Ius speciale Belgii et Neerlandiae, 243. — Quid si lege monasteriis negetur capacitas possidendi, 244. — Votum simplex paupertatis in ordinibus religiosis, 245. — COROLLARIA : De testamento, de mutanda dispositione, servandis reditibus, 246. — Quid si opus sit mutare administratorem, 247. — Quid si, post vota, supplendae sint dispositiones, 248. — Dispositio de bonis propriis sine venia superioris est valida, 249. — Votum simplex paupertatis in Congregationibus, 250. — Votum simplex FF. Conversorum plurium ordinum, 251.

III. De morali voti paupertatis consideratione et de vitio contrario 166

Obligatio voti quo spectet, 252. — Species moralis, 253. — Materia remota, 254. — Materia proxima, 255. — Exempla vitiosae proprietatis, 256. — Exempla actuum qui non adversantur paupertati, 257. — Quid si recuses res oblatas, 258. — De procuratoribus, etc. 259. — Licentiae utendi vel expendendi, 260. — Quid de dissensione inter praelatum maiorem et inferiorem, 261. — Licentia est aeque interpretanda, 262. — De licentia indebite data, 263. — Vis promissionis factae a Praelato, 264. — Quae materia grave faciat sacrilegium, 265. — Adiuncta quibus minuitur sacrilegii gravitas, 266. — Per se non coalescunt sacrilegia, 267. — De comitante iniustitia, 268. — An pigritia adversetur iustitiae, 269. — De facienda restitutione, 270. — De casibus reservatis in hac re, 271. — De aliis poenis iuris communis, 272.

IV. De peculio 178

Notio peculii, 273. — Peculii species, 274. — Exempla quibus specie tenus tantum habetur peculium, 275. — Veri peculii exempla, 276. — Quid de administratione rerum, 277. — Quid de vitaliciis, 278. — Moralis et iuridica aestimatio peculii iuris perfecti et imperfecti, 279. — De iure et officio Praelati in hac re, 280. — De mente Ecclesiae, 281.

Pagina

V. De Munerum largitione 181

Iura lata de hac re, 282.

§ 2. *De voto castitatis* 182

Vis voti in universum, 283. — Regimen voti sollemnis et simplicis, 284. — Praesidia istius voti, 285. — De peccato reservato, 286.

§ 3. *De voto oboedientiae*

I. De varia honestate oboedientiae ex virtute et voto 184

Varia oboedientiae ratio, 287. — De voto oboedientiae religiosorum, 288.

II. De vi voti oboedientiae et peccatis contrariis . 186

De voto sollemni et privato, 289. — Quibusnam sit ex voto oboediendum, 290. — Materia voti remota, 291. — Quid si regula dicat parendum in omnibus, 292. — De actibus internis, 293. — Quaenam imponi possit restitutio disciplinae, 294. — Quid in dubiis de potestate Superioris vel de honestate rei, 295. — Voti oboedientiae materia proxima, 296. — Notae praecepti stricte talis, 297. — Peccata contra votum, 298. — De malitiis specificis peccati contra votum, 299. — Cur non praestet frequenter praecipere sub peccato, 300.

Articulus IV. De nonnullis obligationibus subsicivis

§ 1. *De obligatione clausurae*

I. De communi ratione clausurae 192

Clausurae formalis ratio, 301. — Quinam teneantur legibus clausurae, 302.

II. De clausura virorum 193

Materiali clausura afficitur conventus proprie dictus, 303. — De prohibito egressu, 304. — Casus clementinus, 305. — De vetito mulierum ingressu, 306. — Sanctiones huius posterioris legis, 307. — De clausura in missionibus, 308. — Clausurae amotio, 309.

III. De clausura monialium 197

Clausura monialium, 310. — De eleemosynis quaeritandis, 311.

Parergon. De accessu ad claustra monialium. . . 198

Summa iurium, 312.

§ 2. *De obligatione gerendi habitum* 199

Gravis obligatio, 313.

§ 3. *De obligatione officii divini et Missae conventualis*

I. De obligatione chori. 200

De horis canonicis in choro et missa conventuali, 314. — Obligatio monialium in Belgio, 315. — Obligatio monialium a Visitatione, 316.

Pagina

II. De privata officii recitatione 202

Notio et vis obligationis, 317. — Quo calendario sit utendum, 318.

Parergon. De praestitutis exercitiis pietatis . . . 203

Sectio IV. De discessu religiosorum . 204

Discessus varia ratio, 319.

Articulus I. De transeuntibus ad aliam religionem 204

Legitima transeundi ratio, 320. — De transitu a Congregatione ad Ordinem, ad aliam Congregationem, 321. — Condicio transeuntium, 322. — Iudicium de transitu, 323.

Articulus II. De egressu eius cuius invalida est professio, vota sunt elapsa vel dispensatione sublata, vel cui indulta est saecularizatio 207

Quid, si reiecta nullitas in foro externo, 324. — Per se, adveniente die, fas est discedere, 325. — Non licet facere vota temporalia cum animo discedendi, 326. — Dispensatio a votis professionis religiosae, 327. — Quid de voto castitatis facto condicionate, 328. — De indulto saecularizationis, 329. — Vis saecularizationis perpetuae vel temporalis, 330.

Articulus III. De expulsione et dimissione

§ 1. *De expulsione vel eiectione* 211

Quid eiectio, dimissio, 331. — Leges eiectionis, 332. — Effectus eiectionis, 333.

§ 2. *De dimissione* 213

Dimissionis facultas, 334. — Dimissionis causa, 335. — Dimissionis forma, 336. — Dimissionis vis et effectus, 337. — De Episcopo receptore, 338. — Num decretum *Auctis admodum* Instituta episcopalia afficiat, 339.

Articulus IV. De apostasia et fuga 219

Apostasiae et fugae notio, 340. — Quinam sint apostatae vel non, 341. — Poenae apostatarum, 342. — Poenae fugitivorum, 343.

Parergon. De religiosis dispersis 221

Cur peculiares provisores et quo spectent, 344. — Exempla, 345. — Quid de praesenti procella Galliae, 345bis.

PARS QUINTA

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

Caput I. Notiones generales

Articulus I. De privilegiis in universum. . . . 224

Privilegiorum notio et species, 346. — Privilegiorum acquisitio,

Pagina

347. — Privilegiorum interpretatio, 348. — Privilegiorum amotio, 349. — Clausulae confirmationis privilegii, 350.

Articulus II. De privilegiis regularium

§ 1. *De acquisitione privilegiorum regularium potissimum per communicationem* 227

Notio communicationis privilegiorum, 351. — Quibusnam haec participatio sit facta, 352. — De Monialibus Belgii et Galliae, 353. — Privilegia excepta, 354. — Quomodo fiat communicatio, 355. — De communicatione privilegiorum Societatis Iesu, 356.

§ 2. *De privilegiorum regularium interpretatione et conservatione* 230

Interpretandi modus, genera, 357. — Privilegiorum tutela, 358.

§ 3. *De privilegiorum regularium revocatione* . . 231

Revocatio oraculorum vivae vocis, 359. — Revocatio Indulgentiarum, 360. — Revocatio Tridentina, 361.

CAPUT II. **De privilegio exemptionis et potestate Episcopi**

Articulus I. Exemptionis ratio, genesis, utilitas. 232

Exemptionis notio et divisiones, 362. — Exemptionis fata historica, 363. — Exemptionis utilitas, 364.

Articulus II. Praesens exemptionis disciplina. . 236

Ordinum virorum exemptio generalis, 365. — Monialium exemptio, 366. — Exemptio institutorum votorum simplicium, 367.

Articulus III. De potestate Episcopi in religiosos exemptos vel non exemptos . . 239

Istius potestatis natura et obiectum, 368.

§ 1. *De religionibus virorum* 241

Fontes iuris, 369. — Casus iam memorati, 370. — Librorum recognitio facienda ab Episcopo et Praelato regulari. Potestas Episcopi quod ad prohibitionem librorum, 371; — Quaestuationem, 372. — Celebrationem festorum, 373; — Processiones, 374; — Ecclesias, 375; — Missas, 376; — Ordinationem, 377; — Taxam seminarii, 378; — Delicta et poenas, 379. — De censuris ab Episcopo latis, 380. — Exsecutio piarum voluntatum, 381. — De iurisdictione voluntaria, 382.

§ 2. *De Monialibus.* 248

Iura Episcopi, 383.

§ 3. *De Congregationibus virorum* 248

Iura Episcopi, 384.

§ 4. *De Congregationibus mulierum* 249

Iura Episcopi, 385.

Pagina

§ 5. *De Institutis dioecesanis* 250

Duplex ratio qua etiam in Institutis unius dioecesis finitur Episcopi arbitrium, 386. — De institutis episcopalibus quae in pluribus versantur dioecesibus, 387.

PARS SEXTA

DE REGIMINE RELIGIOSORUM PROPRIO

Caput I. De exteriore hierarchia

Articulus I. De Summo Pontifice. 253

Quo titulo S. Pontifex imperet religiosis; natura et vis huius potestatis, 388.

Articulus II. De Romanis Congregationibus . . 254

Duplex genus competentiae : Potestatis natura, 389.

§ 1. *De Congregatione Super Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium* . . 255

Istius Congregationis origo, constitutio, conventus, stilus, provincia, 390. — De binis coniunctis Congregationibus, 391. — Earundem suppressio, 392.

§ 2. *De reliquis Congregationibus* 257

S. Congregationis Propagandae Fidei competentia, 393. — De S. Congregatione Super negotiis extraordinariis, 394. — De S. Congregatione Concilii, 395. — De reliquis Congregationibus, 396.

Articulus III. De Episcopis

Potestas Episcopi in Instituta iuris Pontificii, in Instituta dioecesana, 397.

Parergon. De Cardinali Protectore 258

Quibusnam detur, 398. — Eius munus, 399.

Caput II. De hierarchia interiore

Articulus I. Notiones generales 259

Quanam regiminis forma utantur Regulares, 400. — Potestatis qualitas, 401. — Utriusque potestatis collatio, 402.

Articulus II. De potestate Collegiali, seu de Capitulis

§ 1. *De Capitulis regularium* 261

Capituli descriptio, divisio, obiectum, convocatio, compositio, decreta, 403. — Capituli generalis conventus et auctoritas, 404. — Capituli provincialis convocatio, potestas, 405. — Capituli localis convocatio, potestas, 406.

Pagina

§ 2. *De Capitulis Monialium proprie talium* . . 263

Huius capituli genus, auctoritas, munus, 407.

§ 3. *De Capitulis Congregationum religiosarum* . 263

Quaenam habeantur capitula, 408. — Provinciale capitulum, 409. — Generale capitulum, 410.

Articulus III. De potestate singulari seu de superioribus religiosis

§ 1. *Quot sint genere Superiores et Officiales; et quomodo constituantur.* 265

Quinam sint Praelati, Superiores, Officiales, 411. — Praelatorum genera, 412. — Officiales qui Superioribus adiunguntur, 413. — Superiorum constitutio, 414.

§ 2. *De Munere Superiorum et Officialium in Ordinibus virorum*

I. De iurisdictione Praelati regularis Ordinarii . . 269

Iurisdictionis ordinariae natura. — Facultates speciales, 415.

A. De iurisdictione fori interni 269

Deputatio Confessariorum, 416. — Reservatio casuum, 417.

B. De iurisdictione quae ad utrumque forum quadantenus pertinet 270

Absolutio a censuris, 418. — Dispensatio a poenis, 419. — Dispensatio ab irregularitatibus, 420. — Potestas gratiosa in universum, dispensandi in legibus, votis, regula, 421. — Potestas benedicendi paramenta Ecclesiae, 422.

C. De iurisdictione fori externi 274

Cuinam competat potestas ferendi leges, 423. — Quaenam praelatis competat potestas iudicandi, puniendi, removendi Praelatos inferiores, 424.

Parergon. De poenis canonicis 275

Poenarum notio et divisio, 425. — Quomodo poenae tollantur, 426. — Quomodo decernantur et committantur, 427. — Poenae quae usu veniunt in rebus Regularium, 428.

II. De Praelatorum potestate dominativa seu quasi domestica 277

Duplex persona Superioris ut est praefectus sodalicii et spiritualis Pater, 429. — Potestatis Superioris qua talis varia obiecta. Nominatim regulae denuntiationis, publice praecipiendi, 430. — Potestas Superioris in quantum est Pater, 431.

Pagina

III. De Praelatorum administratione temporali. . 279

Subiectum dominii et administrationis, 432. — Sumptus exigendi ad instituti rationem, 433. — Modus suos tractandi, 434. — Faciendi eleemosynas, 435. — De alienatione bonorum; Exponitur Extrav. *Ambitiosae*, 436. — De alienatione nominum, 437. — De munerum largitione, 438. — De collocatione pecuniae, 439.

IV. De obligationibus Praelatorum regularium. . 285

De quibusnam obligationibus agatur, 440. — Professio fidei, 441. — Obligatio litandi Deo pro ovibus, 442. — Visitatio domus, 443. — De legendis decretis, 444. — Faciendae commonitiones, 445. — De missarum stipendiis et celebratione, 446. — De lectione Sacrae Scripturae et Casibus conscientiae, 447.

V. De Praelatis extraordinariis et Quasi-Praelatis seu Superioribus 290

De eo qui supplet Praelatum deficientem, 448. — Visitator ordinarius et delegatus, 449. — Procurator generalis, 450. — Definitores, Assistentes, 451.

§ 3. *De Superioribus Monialium proprie talium* . 291

De praelato monasterii non exempti vel exempti, 452. — Potestas Abbatissae, 453.

§ 4. *De Superioribus Congregationum virorum.* . 292

Exemptio plena, minus plena. Quid conferat exemptio, 454. — Superioris non exempti iurisdictio et potestas dominativa, 455.

§ 5. *De Superioribus Congregationum mulierum* . 295

Regiminis ratio generalis, 456. — Superiorissae potestas, 457.

§ 6. *De Superioribus Institutorum dioecesanorum* . 296

Regiminis ratio generalis, 458.

PARS SEPTIMA

DE USU SACRORUM ET FORO CONSCIENTIAE APUD RELIGIOSOS 297

Ratio dicendi, 459

CAPUT I. **De Baptismo et Confirmatione** . . 297

De condicionata iteratione baptismi, 460. — De confirmatione, 461.

CAPUT II. **De SS. Eucharistia**

Articulus I. De SS. Eucharistia suscipienda . . 298

Usus SS. Eucharistiae apud viros regulares, 462. — In Congregationibus clericalibus exemptis, 463. — In Congregationibus non

Pagina

exemptis sed clericorum, 464. — In Institutis monialium vel virorum sed qui reguntur a laicis, 465.

Articulus II. De celebratione missae 301

Quid possint superiores religiosorum quod ad celebrationem Missae, 466. — De hora celebrationis, apud Regulares et alios religiosos, 467. — De loco celebrationis et altari portatili, 468.

CAPUT III. **De Sacramento Paenitentiae**

I. In ordinibus virorum 304

Cuinam confiteri possint Regulares, intra Ordinem, extra Ordinem, in itinere, 469. — De facultatibus confessarii regularis, 470. — De casibus Clementinis, 471.

II. Apud Moniales 308

De confessariis ante decretum *Quemadmodum*, 472. — De vi decreti *Quemadmodum*, 473. — De casibus reservatis, 474. — Quid si monialis sit extra claustra, 475.

III. In Institutis votorum simplicium 310

Regula generalis, 476. — Speciatim de Institutis mulierum, 477. — Belgii disciplina habitualis, 478. — Quid si ad horam egressa soror adeat confessarium in publica ecclesia, 479.

CAPUT IV. **De Sacramento Ordinis**

I. In Religionibus presse talibus. 314

De litteris dimissoriis et testimonialibus; De dispensatione ab interstitiis et in aetate; De periculo in scientia, 480. — De prima tonsura et minoribus Ordinibus, 481. — De Ordinibus maioribus, nominatim de Ordinatione extra tempora, de titulo, de scientia theologica, de sanctione legis, 482.

II. In Congregationibus religiosis 318

Summa iuris, quod ad eadem capita, 483. — De clericis qui dimittantur vel sponte discedant, 484.

CAPUT V. **De Extrema Unctione et sepultura.** . 321

De Regularibus, 485. — Ius quo utantur Congregationes, 486.

CAPUT VI. **De dispensationibus a lege, a votis, etc.** 322

Quid possint Praelati, Episcopus, 487.

CAPUT VII. **De cura profectus spiritualis et intimo animarum ductu**

Articulus I. Notiones generales et nominatim de ratione conscientiae 322

De quanam cura agatur, 488. — De ratione conscientiae, 489.

Pagina

Articulus II. A quibusnam haec cura exerceatur. 324

In institutis clericorum, 490. — In institutis laicalibus virorum et mulierum, 491. — De decreto *Quemadmodum*, quod ad conscientiae manifestationem, et obligationem deferendi Superiores, 492.

PARS OCTAVA

DE SACRIS REGULARIUM MINISTERIIS

Caput I. **De habilitate regularium ad munia ecclesiastica.** 328

Qua ratione regulares sint habiles, 493. — Non tantum deficiente clero saeculari vocandi sunt regulares, 494. — Praesens disciplina, de gradibus supremis, de beneficiis minoribus, de dilatanda fide, de gradibus academicis et munere docendi, 495.

Caput II. **De sacris ministeriis ex potestate ordinaria**

Articulus I. De Cardinali vel Episcopo regulari . 331

Promotio permissa iure communi, 496. — De Cardinali regulari, 497. — De Episcopo regulari, 498.

Articulus II. De Parocho regulari 333

Parochi regularis institutio, 499. — Regimen parochi regularis, 500. — De parochis regularibus in Belgio, 501. — De Missionariis, 502.

Caput III. **De sacris ministeriis ex potestate delegata.** 335

Per se regulares subduntur Episcopis in his quae spectant curam animarum saecularium, 503. — De baptismo et confirmatione, 504. — De asservanda SS. Eucharistia, 505. — De dispensatione SS. Eucharistiae, 506. — De prima puerorum communione, 507. — De SS. Eucharistia deferenda ad infirmum, 508. — De Viatico, 509. — De SS. Sacramenti expositione, 510. — De Ecclesiae vel Oratorii legitima erectione, 511. — Quaenam Ecclesiae pertineant ad regulares, 512. — De Sacrificio Missae in istis Ecclesiis, 513. — De aliis functionibus sacris in iisdem locis, 514. — De praedicatione verbi Dei, 515. — De Sacramento Paenitentiae respectu saecularium, 516. — Suspensio a proprio Superiore, 517. — De iurisdictione in familiares; quinam sint familiares, 518. — De potestate dispensandi, 519. — De Extrema Unctione, 520. — De Matrimonio, 521. — De iure funerandi, 522. — De Campanis Ecclesiarum, 523. — De Indulgentiis, 524. — De Benedictionibus, 525. — De Sacris reliquiis, 526. — De processionibus, 527.

Parergon. De Societate meritorum et bonorum operum 355

Usus religionum; quinam possint bona opera communicare; communicationis vis, 528.

Pagina

CAPUT IV. **De religiosis missionibus in partibus acatholicorum vel infidelium** 356

Fontes iuris, 529. — De regimine missionis religiosae varia disciplina, 530. — Condicio ipsius instituti, 531. — Condicio religiosorum, 532. — De bonis temporalibus, 533.

PARS NONA

DE TERTIIS ORDINIBUS ET PIIS SODALICIIS SEU CONFRATERNITATIBUS

CAPUT I. **De Tertiis Ordinibus** 360

Notio et genera Tertiariorum, 534. — Quid Tertius Ordo saecularis; varii Tertii Ordines, 535. — Quae sit ratio ac natura Tertii Ordinis saecularis, 536. — Quinam cooptari possint, 537. — Vis regulae, 538. — Gratiae, 539. — De absolutione generali, 540. — De Tertio Ordine S. Francisci, 541.

CAPUT II. **De Confraternitatibus**

Articulus I. Notiones Communes. 366

Quid sit Confraternitas; Quid piae Societates, 542. — Confraternitatum antiquitas, 543. — Genera, 544. — Fines, 545. — De canonica erectione: Ius erigendi; Leges erectionis communes et peculiares, cum erectio fit a capite Ordinis; Vis erectionis, 546. — De Confraternitatis aggregatione: notione, legibus, vi, 547. — Quibus aliis viis impetrentur indulgentiae, 548. — De loco vel sede Confraternitatis, 549. — De Confraternitatis regimine, 550. — De cooptatione in sodales: facultate cooptandi, habilitate candidati, ritu, effectu, 551. — Obligatio regulae, 552. — Condiciones ad lucrandas indulgentias, 553. — De iuribus Episcopi in Confraternitates, 554. — De dissolutione Confraternitatis, 555. — De ordine Confraternitatum, 556.

Articulus II. De quibusdam Confraternitatibus nominatim 375

De Confraternitatibus SS. Cordis Iesu et pia foederatione Apostolatus Orationis, 557. — De Confraternitate SS. Sacramenti, 558. — De Congregationibus B. M. Virginis, 559. — De Confraternitate SS. Rosarii, 560. — De Scapularibus, 561. — De Congregatione Bonae Mortis, 562.

APPENDIX

Formulae quaedam usitatiores exquirendi vel dandi litteras testimoniales et dimissorias

I. Litterae testimoniales ante ingressum in Institutum 381

A. Ordinaria petitio. — B. Pro clerico vel quopiam qui ordines quosdam susceperit. — C. Pro religioso alterius Instituti.

Pagina

II. Testimoniales litterae ut alumnus dimissus ex Instituto in Seminarium admitti possit. . . 383

III. Litterae ad ordines suscipiendos

A. In Ordine regulari 383

1. Ad clericatum vel ordinem non sacrum. — 2. Ad ordinem sacrum.

B. In Instituto votorum simplicium 385

IV. Dimissio ex Instituto 385

1. Ex Ordine regulari. — 2. Ex Instituto votorum simplicium.

Enumeratio Bullarum, etc. quae in hoc tomo afferuntur . 387

Bibliographia. 393

Index onomasticus 403

Index rerum alphabeticus. 407

ERRATA

P. 14, nota 2, II, 7, *sic corrige :* I, 7.
» 15, l. 18, 2. 2, q. 18, *sic corrige :* q. 185.
» » , nota 5, c. 24, *sic corrige :* c. 25.
» 20, nota 5, tr. 7, l. 1, *sic corrige :* tr. 7, l. 2.
» 66, l. 17, sodalium et consentientibus, *sic corrige :* sodalium, consentientibus.
» » , l. 18. 19, Instituti (*C. Conditae a Christo*, c. 1, n. 5), *sic corrige :* Instituti, et intra fines lege pontificia statutos. (C. *Conditae*, Mot. propr. 16 iul. 1906.)
» 67, l. 3, *Regularium*, l. 3, *sic corrige : Regularium*, t. 1, l. 3.
» 70, l. 3, Sancti, *sic corrige :* Santi.
» 71, nota 1, l. 5, n. 6, *sic corrige :* n. 5 § 5.
» 72, l. 15, *De synodo dioec.* l. 9, c. 1, *adde :* n. 9.
» 73, in n. **114**, linea 3 et 7, locus Tamburini linea 7 transferendus est ad lineam 3 ; et ita citandus : t. 3, d. 5, q. 1, n. 9.
» » , l. 3 a fine, l. c. n. 42, *sic corrige :* l. c. n. 43.
» 75, l. 3 a fine, Ferraris v. *conventus*, art. 1 n. 36, *sic corrige :* Ferraris, v. Conventus, n. 32.
» 79, l. 6, *Regul.* l. 1, *sic corrige :* t. 1, l. 1.
» 198, l. 3 a fine, Gury, *sic corrige :* Gury-Ferreres.
» 213 in medio, § 1 De Dimissione, *sic corrige :* § 2 *De Dimissione.*
» 229, l. 15. *Adde :* Sed hodie, decreto 18 iul. 1902, omnis Tertiariorum saecularium communicatio est sublata ; variis autem Tertiis Ordinibus iam per proprium indulgentiarum indicem prospicitur.
» 230, l. ultima, 13 mart. *sic corrige :* 13 maii.
» 246, l. 7, Gregorii XIV, *sic corrige :* Gregorii XV.
» 256, l. 6 a fine, ante vocem Verum, *supple :* **392**.
» 324, l. 14, 23 mart. 1588, *sic corrige :* 22 iun. 1587.
» 362, l. 8, De origine Tertii Ordinis saecularis cfr. opera recensita a Bollandianis, *Anal. Bolland.* t. XXIV (1905), p. 415-419 ; 521.

PARS PRIMA

DE STATU RELIGIOSO IN UNIVERSUM

CAPUT I

DE STATUS RELIGIOSI NOTIONE, PARTIBUS ET ORTU

S. Thomas, Summa theol. 2. 2, q. 24, art. 9; q. 183, art. 1 et 4; q. 184-186; *Opusculum De perfectione vitae spiritualis*: *Passerini, De Hominum statibus et officiis*, t. 1; *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 1, 2 et 3; *Lessius, De virtutibus cardinalibus*, l. 2, c. 41, d. 1; *Pellizarius, Manuale regularium*, tr. 1; *Bellarminus*, II. *Controversia* 2, l. 2, *De Monachis* c. 2; *Rotarius, Theologia moralis regularium*, t. 1, l. 1, c. 1; *De Buck-Tinnebroeck, Examen historicum et canonicum libri R. D. Verhoeven*, c. 1; *Bouix, De iure regularium*, t. 1, p. 3-65; *Mélot, De Ordinibus congregationibusque religiosis*, c. 1; *I. Biederlack, De iure regularium*, c. 1; *Ballerini-Palmieri, Opus theologicum*, t. 4, tr. 9, c. 1; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, p. 1-25; *Angelus a SS. Corde, Manuale iuris communis regularium*, t. 1, p. 1-16.

ARTICULUS I. Notio status religiosi

1. Status religiosus eorum est « qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes [1]. » Id non tantum christianae antiquitatis monumenta testantur [2] et confirmant theologorum scripta, sed hoc signo omnium oculis professio religiosa apparet spectabilis, ita ut religiosi in omnium existimatione sint « viri Dei » seu divino

---

[1] S. Thomae, *Summa theol.* 2, 2, q. 186, art. 1, c.

[2] Ita Clemens Alexandrinus christianos ascetas studiosos facit imitandi Verbi. *Stromata*, l. 7, c. 3 (Migne P. G. t. 9, col. 415 sq.). S. Basilius, in regulis passim (v. gr. 3 reg. fusius tract.; 157 reg. brev.) monachos dicit Deo famulatos, cupiditate abreptos ipsi placendi (M. P. G. t. 31). Secundum S. Augustinum, vita religiosa est professio sanctitatis. Sermo 355 (M. P. L. t. 39, c. 1573).

famulatui penitus addicti. In huiusmodi hominum coetu non paucos profecto reperiri necesse est, qui divinae vocationis cui cooperabantur fructum sint consecuti sanctitatis non communis. Quia tamen ad humanam virtutem ac perfectionem novae semper accessiones fieri possunt, et « superbum et praesumptuosum » foret se aliis reputare meliorem [1], ita ut sancti viri sibimet ipsi potius vilescant, ideo optimi isti religiosi, si de statu suo interrogarentur, non aliud sane faterentur nisi se virtutis ac perfectionis esse studiosos. Cum praeterea etiam imperfectis viris et peccatoribus qui ad Deum converti velint aditus ad statum religiosum per se non negetur, apte a S. Thoma describitur status religiosus « *Quaedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi* [2]. » Initium capiemus ab hac definitione, quae communi scriptorum suffragio comprobatur. Ex illa autem perspicitur, tum demum notitiam status religiosi a nobis comparatum iri, si, praeter distinctam rationem *status*, assecuti fuerimus quid sit *perfectio*, quid *disciplina* vel *exercitium perveniendi ad perfectionem*.

Descriptio status religiosi.

§ 1. *Quid sit status*

Quid status.

2. 1. **Status,** hoc loco, significat condicionem quam habet homo ex libertate vel contraria servitute, civitate aut familia. Ipsa autem nominis interpretatio videtur postulare *firmitatem* illam qua re vera quis addici solet libertati, civitati, familiae, vel iisdem excludi.

Usu porro iuridico *primus* respectus est potissimus. Quare, et l. 3 D. *De statu hominum* (1. 4), summa personarum divisio dicitur haec esse, « quod omnes homines aut liberi sunt aut servi; » et *Instit.* 1. 16 *De capitis deminutione* [3], amissio libertatis et civitatis pro maxima habetur capitis deminutione; et in *Decreto Gratiani*, C. 11. q. 6 cap. 40, Si quando, ***causa status*** appellatur causa ingenuitatis vel servitutis. Iure ergo ac merito S. Thomas [4]: « Status pertinet proprie ad libertatem vel servitutem, sive in spiritualibus, sive in civilibus. »

Denique, cum *status* hic consideremus, non prout homines ex *internis* rationibus divino distinguuntur iudicio, sed prout *externis indiciis* cives dissimili ponuntur loco ac condicione in visibili Ecclesia, oportet ut firma illa obligatio ab exteriore quadam significatione seu professione capiat initium.

---

[1] 2, 2, q. 185, art. 3. Opusculum *De perfectione vitae spiritualis*, c. 17.

[2] 2, 2, q. 186, art. 2, c.

[3] Triplex enim status mutatio distinguitur in l. 1. Instit. t 16, *De capitis deminutione*.

[4] 2. 2, q. 183, art. 1.

Quae, cum de perpetuo agatur nexu, facile, ut sunt mores hominum, sollemni quodam ritu continebitur.

Conflatur tribus.

Tribus ergo notio status conflatur : *obligatione*, *perpetuitate*, *sollemnitate* [1].

Exempla :

3. Exemplo nobis praeiverat S. Paulus *ad Rom.* 6, 16. 18. 20. 22, secernens *servos iustitiae* a *servis peccati* [2]. a) Recte enim, cum gratia ac peccatum per se perpetuo nobis adhaereant, existimantur constituere *statum iustitiae* vel *peccati*.

Gratia, peccatum ;

Baptismus, ordo sacer, matrimonium.

b) Initium status sunt baptismus, ordo sacer, matrimonii sacramentum : inducunt enim perpetuam obligationem professionis christianae, ministrandi Deo, observandi indissolubile vinculum sacramenti. Status itaque est *baptizati :* status est etiam *sacerdotalis*, *coniugalis*.

Quomodo inducatur obligatio status propria.

4. II. Servitus, qua status quispiam informatur, causam habere potest servo *extrinsecam* vel *intrinsecam :* legem superioris vel propriam voluntatem. Ita olim, alii iure belli vel iudicis sententia redigebantur in servitutem, alii « se ad pretium participandum venumdari [3] » patiebantur ; atque ipsa obligatio quae ad perfectionem refertur, proxime saltem, manare potest ex lege vel ex propria voluntate.

Per legem,

Neque dicas repugnare ut quis invitus teneatur perfectionis obligatione. Namque, quominus id ***absolute*** concedatur, obstat iam antiqua disciplina oblatorum, de qua infra, cuius vestigium apparet in celebri effato : « Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit [4]. » Praeterea, consensus, si quis requiratur, non est necessario causa proxima obligationis, sed exigi potest tamquam condicio vel causa remota. Ita uxor quae annuit viro volenti religionem profiteri, simul ex lege ecclesiastica cogitur ipsa, pro sua aetate, vel Religionem ingredi, vel saltem in saeculo votum emittere continentiae [5]. Quid? verisimilis sententia nonne legi ecclesiasticae adscribit proximam causam cur suscipientes ordinem sacrum teneantur castitatis perfectae obligatione ?

Per propriam voluntatem.

5. Cum vero propria voluntate inducitur servitus religiosorum, causa erit *votum*, idque *perpetuum*, ne desideretur status stabilitas.

---

[1] 2. 2, q. 184, art. 4.

[2] « Cui exhibetis vos servos ad oboediendum, servi estis eius, cui oboeditis, sive peccati ad mortem, sive oboeditionis ad iustitiam.... Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae.... Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae.... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo. » Neque mireris vocabulum servitutis transferri ad summam illam libertatem qua filii Dei fruuntur. Species enim servitutis retinetur tum ex vinculo necessitatis moralis, tum ex contraria carnis concupiscentia.

[3] *Instit.* I, 16.

[4] C. xx, q. 1, c. 3, Monachum.

[5] C. Praeterea, 1 ; Cum sis, 4 ; Ad apostolicum, 13 ; Significasti, 18 : *De Conversione Coniugatorum* (III. 32).

Ultroneum enim vinculum una texitur promissione. Quae promissio hic necesse est ut fiat Deo : tum quia non apparet cur fieret homini: nam, si demas oboedientiam, *alterius hominis* directe non interest ut ab altero serventur consilia virginitatis, paupertatis, etc., ita ut ipsa obligatio, defectu causae seriae, maximam partem corruat ; tum quia promissio homini facta aliquid foret profanum, quo status ex toto sacer, i. e. perfectionis, non videtur gigni posse. Cfr. Palmieri, l. c. n. 18.

Itaque, ex perpetua votorum professione habetur *status* religiosus.

§ 2. *Quid sit perfectio*

Christianae perfectionis essentia.

6. Perfectio christianae vitae in caritate posita est [1], in ea, inquam, caritatis perfectione quae in hac vita comparari potest.

Perfectio posita est in caritate.

Probatur. 1. *Posita est in caritate.* Etenim :

a) *Secundum Scripturam, S. Matth.* 22, 36-40, « In duobus mandatis diligendi Deum et proximum, universa lex pendet et prophetae. » *Pendet*, i. e. in his tamquam in summa posita est tota quanta, quemadmodum confirmat Apostolus scribens *ad Rom.* 13, 10, « Plenitudo legis est dilectio, » et *ad Galatas*, 5, 14, « Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » Iam vero, si per legem dirigitur homo ad ultimum finem [2], si ad legem pertinet facere hominem bonum [3], fieri prorsus nequit ut consummatio legis divinae, ordinationis dico divinae sapientiae, non sit ipsa plane perfectio hominis cui imponitur. Quid, quod idem Apostolus, 1 *ad Corinthios*, 12, 31 ; 13, 13, viam caritatis ceteris demonstrat excellentiorem.

b) *Ratione* id non minus perspicuum est. Si enim illud dicitur perfectum cui nihil deest, illi autem cuius perfecta iam est natura unus deesse potest finis — sive is qui congruat naturae, sive potior ille quem addiderit positiva Conditoris voluntas et gratuita liberalitas — facile apparet in hominis coniunctione cum Deo, fine suo, contineri hominis perfectionem. Ut autem ordo praesens constituitur, coniunctio hominis cum Deo habetur per caritatem. « Deus caritas est : et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. » Ita 1 *epist. S. Ioannis*, 4, 12.

In caritatis perfectione.

2. *Posita est in ea caritatis perfectione quae in hac vita comparari potest.*

Perfectio increata.

Non omnis enim caritatis perfectio est creaturae pervia, nedum ab homine in praesentis vitae condicione comparari possit.

Et re quidem vera, propter memoratum iam principium quod

---

[1] 2. 2, q. 184, art. 1. c.
[2] 1. 2, q. 92, art. 1.
[3] 1. 2, q. 71, art. 4. c.

illud dicitur perfectum cui nihil deest, perfectio universalem quandam habet complexionem. Quare *absoluta* non est caritatis perfectio nisi affectu toto et perenni Deus diligatur quantum diligibilis est; siquidem omnimoda concrescit perfectio ex *modo*, quo Deus perpetuo diligitur actu ; ex *subiecto*, quod totum diligit ; ex *obiecto*, quod totum actu comprehenditur. Verum satis perspicitur hanc esse increatae caritatis perfectionem propriam, quae a nulla creatura participari potest.

Perfectio patriae.

In patriam etiam differenda est perfectio illa caritatis quae simul est summa hominis perfectio, qua homo « secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum [1] ». Namque, in hac vita, neque actus potest esse perpetuus, nec praesens infirmitas, quae veniales secum fert reatus, sinit caritatem nostram esse imperfectione vacuam.

Perfectio huius vitae.

Restat, itaque, ut cum D. Thoma, aliunde quaeramus praesentem caritatis perfectionem, aliunde, id est ex universali ratione qua ab ea arcentur quotquot motui caritatis aliquo modo obstant.

7. Sic autem duplex deprehenditur caritatis perfectio quae in hanc praesentem vitam cadere possit.

Duplex caritatis praesens perfectio :

Priore perfectione homo affectum suum alienum servat ab omni re quae caritati proprie adversetur, sicut est quodlibet peccatum mortale. Perfectio ista est ad salutem necessaria. Necessariam hanc qui possidet caritatem satis coniunctus est cum Deo ut *iustus*, *sanctus*, *perfectus* appellari possit. Huiusmodi tamen hominem non solemus vocare perfectum.

necessaria et latius dicta,

Altera perfectio *praeterea* ab hominis affectu arcet quicquid « impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum [2] ».

non necessaria et stricte dicta.

Utroque modo habetur illud quod iam Augustinus dicebat: « Perfectio, nulla cupiditas [3] ».

Altera tamen perfectio magis presse hoc perfectionis nomine insignitur. Hanc designabat Dominus in celebri loco: « Si vis perfectus esse ». Ad hanc enituntur religiosi. Huc enim contendunt ut, exclusis prius peccatis mortalibus, libera mente et toto cordis affectu in Deum ferantur. Porro, solutis vinculis quibus motus in Deum retardabatur, ipsi caritatis actus frequentissimi prodeunt et intentissimi, ita ut habitus caritatis actuosam istam obtineat perfectionem ad quam in hac vita patet accessus.

Atque ita diximus de caritate quatenus terminum primarium habet Deum. Eadem autem caritatis virtute ferimur in diligendum proximum propter Deum [4].

Quaenam sit perfecta proximi dilectio.

Iam vero haec proximi dilectio, sic praecise considerata, rursus, ultra perfectionem quae necessaria caritate imponitur,

---

[1] 2. 2, q. 184, art. 2, c.
[2] 2, 2, q. 184, art. 2.
[3] Lib. 83 qq., q. 36, 1. (M. P. L. t. 40, c. 25).
[4] 2, 2, q. 25, art. 1 ; q. 44, art. 2, c.

alteram habere potest *extensionis*, *intensitatis* seu *vis intrinsecae* et *effectus*. Ita *extensione* praestat dilectio quae positivo affectu prosequitur non tantum *amicos* sed *extraneos* etiam, immo et *inimicos* ; *vi* autem *intrinseca*, caritas qua proximi bono postferuntur non solum *res exteriores* et *corpus*, sed et ipsa *vita*, dicente Domino : « Maiorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis [1] ; » *effectu* denique seu *utilitate*, caritati quae versatur in *corporis* necessitatibus levandis anteponitur procuratio bonorum *spiritualium* ; potissima autem ea est qua tribuuntur homini *supernaturalia et divina*. Quare S. Thomas [2] tribus concretam dicit perfectionem dilectionis proximi : a) *Studio, non per se necessario, quo positive fertur etiam in inimicos* ; b) *Impendio vitae pro dilectione* ; c) *Largitione bonorum spiritualium et divinorum*. Excellentissimam istam caritatem, ut in absolutissimo exemplari, contueri licet in Christo Domino, qui ad divinam omnium redemptionem sanguinem suum profudit etiam pro crucifigentibus se.

Qua ratione praecipiatur caritas.

8. Quaeres utrum perfectio sit in praeceptis an in consiliis. De fine proprie non datur neque praeceptum neque consilium, cum praecepta et consilia via sint ad finem assequendum.

Quocirca, quatenus finis aliorum praeceptorum est ipsa dilectio, non habetur caritatis praeceptum, ut ex ipso decalogo apparet, qui praecepta varia recenset sine caritatis mentione.

Attamen est et ipsa caritas via pertingendi ad Deum, et sic potissimum habetur mandatum diligendi Deum (et proximum propter Deum) qui est finis hominis ultimus. Quia vero fini [3] proxima est caritas, non finita ratione proponitur mandatum istud sed indefinite : « Diliges ex toto corde tuo. »

Quomodo perfectio consistat in praeceptis.

Dum haec proponit Angelicus Doctor, nec ignorat nec dissimulat varios esse modos alios aliis perfectiores adimplendi istud mandatum perfecte diligendi Deum, et sufficere ut aliquo modo adimpleatur. Modus tamen adimplendi praeceptum, quando nullus definite praecipitur, non dicitur esse sub *consilio*. Quare, eo quod perfecta praecipiatur dilectio, simpliciter concludit S. Thomas perfectionem consistere in praeceptis non in consiliis.

§ 3. *Quid disciplina seu schola perfectionis*

Ratio ordinis.

N. B. In hac § duo efficere nobis in animo est. Prius, praeposita *consilii* descriptione, evangelicam demonstrabimus

[1] *S. Ioann.* 15, 13.

[2] *De perfectione vitae spir.* c. 14.

[3] « In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quae sunt ad finem. » 2, 2, q. 184, art. 3.

naturam consiliorum quae ut evangelica communiter perhibentur ; ostendemus deinde tribus istis consiliis absolvi scholae perfectionis rationem.

I. De Consiliis evangelicis

9. Opus consilii definitur *opus bonum, non praeceptum, melius suo opposito vel sui negatione non mala* [1]. *Quod sit opus consilii.*

Bonum dicimus opus, quod commune est genus praecepti et consilii. Imperari etenim aut suaderi ea tantum possunt quae non sint undecumque adiaphora, sed, saltem ex aliqua condicione, evadant honesta positive, atque ita conducant ad finem ultimum.

Non praeceptum. Hac negativa ratione perspicitur consilium minus late patere quam votum. Res enim praecepta apte Deo promitti potest.

Melius suo opposito, i. e. positivo actu vel statu aliquo modo contrario. Puta matrimonium comparari cum virginitate.

Vel sui negatione, i. e. mera omissione contradictoria. Puta quempiam esse caelibem sine definito voto vel proposito virginitatis.

Non mala. Quae verba afficiunt etiam priorem vocem *opposito*. Illud enim quod omitti nequit sine peccato, praeceptum est, non consilium.

10. Consilia autem alia sunt *universalia*, *particularia* alia [2]. Priora respiciunt actus qui, praeter communem maioris meriti utilitatem, per se generalem habent vim qua conferunt in perfectionem virtutum in universum ac potissimum caritatis. *Consiliorum duo genera.*

11. 1. Esse consilia in Evangelio, id a pluribus quidem negatum est haereticis. *Sunt in Evangelio consilia.*

Ita Pelagius contendebat omnes Christi commendationes esse in praeceptis : quem errorem restituerunt Lutherus, Melanchton et Calvinus; dum Vigilantius omnia habebat pro adiaphoris, a Wicleffo vero mala et detestanda ducebantur quae in consiliis referri sunt solita. *Errores contrarii.*

2. Verum doctrina quae, praeter praecepta, consilia affirmat in Evangelio inveniri, tam clare continetur in Scriptura et Patrum traditione, ut ad fidem pertineat catholicam. *Fide docemur esse consilia.*

Ut omittamus SS. Patres, de quibus ambigi nequit, cum laude virginitatis plena sint ipsorum opera, ex Scripturis luculente res efficitur.

a) Apud *S. Matth.* 19, 16-22, Christus Dominus, postquam, v. 17, servanda dixit mandata ad habendam vitam aeternam, v. 21 com- *Probatio ex Scripturis.*

---

[1] Ita fere Palmieri, l. c. n. 5 ; et iam eleganter S. Augustinus, disserens *De sancta virginitate*, 15, dicebat : « Praeceptum est hoc cui non oboedire peccatum est ; non consilium, quo, si uti nolueris, minus bonum adipisceris, non mali aliquid perpetrabis. » (M. P. L. t. 6, c. 403).

[2] Suarez, *De Relig.* tr. 7, l. 1, c. 8, n. 2.

mendat voluntariam paupertatem ut medium perfectionis consequendae et obtinendi thesauri in caelo. Nonne apertissime hoc loco ultronea illa exspoliatio suadetur ut bona et non praecepta ?

b) Apostolus, in *Epistula* 1 *ad Corinth.*, c. 7, v. 25 negat se de virginibus praeceptum Domini habere, consilium autem tradere tamquam eum quem misericordia Domini fecit fide dignum [1], ita ut ipsius monita prorsus exprimant ipsam Christi mentem. Hoc ceterum idem formaliter declarat, cum, v. 40, iterato consilio haec subicit : « Puto [2] autem quod et ego Spiritum Dei habeam. »

Iam vero v. 38 [3], apertissime exhibetur virginitas ut praestantior matrimonii instituto, quod tamen praedicatur bonum.

Neve dicas causam praelationis mere indicari temporalem. Adaequata enim ratio, quam v. 26-35 explicat S. Paulus, est virginitatis splendor [4] et libertas : in statu virginitatis virum vel feminam solvi multis huius vitae molestiis et curis, quae hinc quidem, propter praesentis temporis brevitatem, sint contemnendae, illinc vero obstent quominus Deo colendo vaces.

Age iam, inter consilia Novae Legis tria eminent, quae ad nostram rem faciunt et nomine quasi proprio dicuntur evangelica. Sunt autem *voluntaria paupertas, perfecta castitas* et *oboedientia*. Horum iam demonstranda est evangelica ratio.

Evangelica ratio paupertatis.

12. *Paupertatis* natura evangelica est apertissima. Idem qui divitias similes fecit spinarum, quibus sensus verbi Dei suffocetur [5], adulescenti, de perfectione interroganti, bonorum suasit abdicationem [6]. Quin immo proprium proposuit exemplum, cum dixerit : « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet [7], » quod laudans Apostolus scripsit [8] : « Propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. »

Evangelica ratio castitatis perfectae.

13. Consilium *continentiae perfectae* facile eruitur ex celebri loco [9] ubi Christus Dominus eunuchis a natura vel ex humana vi addidit eos « qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum » ; quos ilico commendavit aiens : « Qui potest capere, capiat. » Prudentiam autem istam antea, his verbis,

---

[1] Cfr. Cornely in h. l. Epist. 1 ad Cor. Eadem vis subicitur verbo *πιστός*, in 1 *Epist. ad Timoth.* 1, 15 ; 3, 1 ; 4, 9 ; 2ª *ad Tim.* 2, 11. 13.

[2] Verbum illud est litotes, quam modestiae causa usurpat Apostolus. Cfr. Cornely in h. l.

[3] « Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit : et qui non iungit, melius facit. »

[4] ℣. 35, quem S. Hieron. ad verbum sic exprimit : « ad id quod honestum est et intente facit servire Domino absque ulla distractione. »

[5] *S. Matth.* 13, 22.

[6] *S. Matth.* 19, 16-22. Ita, 21 : « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus. »

[7] *S. Matth.* 8, 20.

[8] II *ad Cor.* 8, 9.

[9] *S. Matth.* 19, 11. 12.

in divinis adscripserat donis : « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. »

Locus porro iste semper intellectus est in Ecclesia de spirituali cultu perpetuae continentiae, non autem de exsectione quae ab initio fuit in Origene reprehensa et reprobata. Quare, iam inde a Iustino, *Apologia* 1, c. 15 (M. P. G. t. 6, c. 349), affertur in laudem continentiae. Genuinum praeterea mentis Christi interpretem habemus Apostolum, ex professo de virginitate disserentem in 1 *ad Corinth.* c. 7 [1]. Quid, quod iam satis continebatur haec castitatis professio hortatione Christi qua volebat adulescentem caelibem se assectari, utique non assumpta uxore cui apostoli iussi erant valedicere.

Evangelica ratio oboedientiae religiosae.

14. 1. Secundum receptam Ecclesiae doctrinam, oboedientia est caput religiosae disciplinae. Non tantum enim S. Thomas scribit [2] : « Votum oboedientiae est religioni essentialius, » verum etiam in iure canonico ita primo effertur loco: « Magna quidem paupertas, sed maior integritas, bonum est oboedientia maximum, si custodiatur illaesa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effrenes et liberos dicioni alterius humilis iugo propriae voluntatis adstringit. » C. Quorundam, 1, *Extr.* I. XXII, *De verborum significatione* (14).

Oboedientiam caput religiosae disciplinae esse auctoritate docemur et ratione.

Nec arduum est praestantiam illam ex praesenti usu demonstrare.

Hodie enim religiosus per oboedientiae votum, abdicato propriae vitae regimine, se mancipat regulae quae ab Ecclesia est approbata ut apta via ad perfectionem et se tradit potestati Superioris, qui secundum regulam ea praecipiat quae ad Dei famulatum et spiritualem animae profectum referuntur.

Age porro, quis non videt ex huiusmodi voto vitam totam addici sanctis operibus, idque per se plenius, firmius ac securius quam fieret si proprio suo quisque arbitrio regeretur; immolari Deo quod in nobis maxime est pretiosum, propriam dico voluntatem ; arceri sollicitudinem de propriis actionibus quo mens expeditius Deo inhaereat, plurimamque excludi voluntatis inordinationem [3].

Origo eius evangelica minus manifestat.

2. Nihilominus oboedientia religiosa videtur minus disertis verbis a Domino commendari, atque in demonstranda evangelica eius origine non pauci experti sunt difficultatem, quam vel tacite fatentur [4], vel parum validis quibus utuntur argumentis convincuntur habuisse [5].

---

1 Cfr. expositionem istius loci factam hic supra, **II**.

2 2: 2, q. 186, art. 8.

3 De his commodis cfr. 2, 2, q. 186 art. 7 et 8.

4 Ita v. gr. von Scherer cum scribit « Die spätere christliche Ethik hat drei solcher evangelischer Räthe aufgestellt : Gehorsam, Armuth, Keuschheit. » L. IV, § 144, 1.

5 V. gr. mancum et inchoatum quodam modo nobis videtur argumen-

3. Ut dubium istud enucleemus, oportet prius ante oculos nostros constituere quo spectet oboedientia religiosa : quae sit eius ratio essentialis, et quid ad eam, ob certam religiosae disciplinae formam, accesserit. Quod, ut nobis videtur, nimis praeteriit plures recentiores.

Essentia oboedientiae religiosae.

Age vero, a) In hoc est posita *essentia oboedientiae religiosae*, ut quis hierarchiae ecclesiasticae profiteatur oboedientiam, non in his tantum quae omnium fidelium sunt communia, sed etiam in iis quae spectant ad disciplinam perfectionis cum generalem tum specialem, i. e. accommodatam ad peculiare quod quisque susceperit vitae genus. Huc itaque recidit essentialis oboedientia, ut Ecclesia, per Praelatos suos, religiosum in suis studiis perfectionis, monitis, prohibitionibus, praeceptis, dirigere possit.

Hanc esse essentialem, iam constat, tum quia, ut statim dicemus, necessario consequitur institutionem Ecclesiae qualem eam fecerit Christus, tum quia haec una ratio exerceri potuit in omni aetate et omni genere vitae religiosae [1].

Oboedientia vitae coenobiticae.

b) Inducta autem forma vitae coenobiticae, mox accessit seu saltem evasit universalis [2] haec altera ratio oboedientiae, qua quis, abdicato regimine propriae vitae, se mancipat et tradit privatae et domesticae potestati superioris quo utitur tamquam patre et spirituali duce.

Iam vero,

Ratio evangelica oboedientiae essentialis.

a) *Essentialis ratio* oboedientiae facile depromitur ex monumentis evangelicis. Ipsis enim verbis quibus Christus misit Apostolos suos : « Docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis [3], » deditque iis potestatem ligandi et solvendi [4], efficitur Ecclesiae competere magisterium coniunctum imperio, quo et docere valet non salutis tantum sed etiam perfectionis media, et unumquem-

---

tum quod plures afferunt ex *S. Matth.* c. 16. ỳ. 24. « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, etc. » Perfecta sui abnegatio, sic aiunt, tum demum habetur, ex quo quis per oboedientiam se suo spoliavit arbitrio. Verum his verbis Christus compellat omnes quotquot velint sibi adiungi, postulatque abnegationem non absolutam sed quantum opus sit ad implenda sua praecepta, ita ut paratus sis omnia bona vitamque ipsam Christi causa profundere. Quae ita licebit transferre ad studiosos perfectionis, quatenus ipsis eadem exercenda est abnegatio quae satis sit ad perfectam Christi sequelam. Quanta autem satis sit, ex aliis documentis est eruendum. Quare ipse S. Thomas, in *Summa* (secus enim in opusculo *De perfectione*, c. 10) non arguit ex illa abnegatione, sed consilium oboedientiae inclusum dicit in Christi sequela et imitatione. 2. 2, q. 186, art. 5, sed contra est ; art. 8, ad 1.

[1] Satis simili utitur argumentatione R. D. Schiwietz, *Archiv.* t. 78. p. 13.

[2] Hoc addimus quia iam ante in pluribus viris sanctis cerni potuit praeclarus cultus istius oboedientiae.

[3] *S. Matth.* 28, 20.

[4] *S. Matth.* 18, 18.

que fidelem pro statu suo congruis adstringere praeceptis. Huc etiam faciunt loci isti Scripturarum qui passim afferuntur et ex facta tantum consideratione probantur esse ad rem, v. gr. « Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit [1]. » Eadem igitur necessitate qua quis sectari debet perfectionem, debet, in his quae sunt perfectionis, dicto audire Ecclesiae. Ac sine negotio perspicitur studium istud parendi esse praecipuum, cum obiecto suo sit magis universale et tacite contineat bina cetera : paupertatem et continentiam. Ecclesia enim, cum sit infallibilis, in tradendis praeceptis sanctitatis non ea omittet quae diserte a Christo sunt commendata.

Ratio evangelica oboedientiae coenobiticae.

b) Iam in illa oboedientia quam fecimus essentialem, perspicitur etiam laus humilitatis.

Verum, quantum haec perficiatur altera ratione oboedientiae, quae ex vita coenobitica praesertim efflorescit, quis non videt ? Excellens hic occurrit humilitas, quae in ultronea est hominis demissione propter Deum et contemptu terrenae sublimitatis. Argumentum istud ex professo versamus alibi [2]. Satis hic erit paucis ostendere, quam consentaneum sit istud humilitatis studium evangelicis documentis.

Memorare iam possumus parabolam seminantis [3], in qua omnis sollicitudo saeculi dicitur suffocare verbum Dei. Ad quam sollicitudinem maxime pertinet superbia illa vitae quam inter mundi proprietates posuit S. Ioannes [4]. Quid autem formaliter Christus, cum dixit [5] : « Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est maior in regno caelorum ; » quid sensus Christi, qui ab Apostolo definitur fuisse oblivionis propriae et humilitatis : « In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum. Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Iesu [6] : qui.... humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis [7]. »

Iurisdictio communicata praelatis religionis.

N. B. Essentialis oboedientia respicit per se ordinariam Ecclesiae hierarchiam. Nihil tamen obstat, ut patet, quin alii ex delegatione in partem veniant istius iurisdictionis. Quod factum fuisse in Ordinibus religiosis infra ostendemus.

Confirmatio ex S. Thoma

15. Propositam de oboedientia doctrinam iuvat confirmare:

1. *Ex S. Thoma.* α) 2. 2, q. 186, art. 5, ad 3. « Subiectio religiosorum *principaliter* attenditur ad episcopos... Unde ab

---

1 *S. Luc.* 10, 16.
2 *Quaestiones morales scholastice disputatae*, t. 1.
3 *S. Matth.* 13, 22.
4 1. *S. Ioan.* 2. 16.
5 *S. Matth.* 18, 4.
6 Id. est : idem sit vester affectus ac sensus qui Christi fuit.
7 *Ad Philippenses*, 2, 3-8.

episcoporum oboedientia, nec eremitae, nec etiam praelati religionum excusantur. Et si a dioecesanis episcopis totaliter vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad oboediendum S. Pontifici, non solum in his quae sunt communia aliis, sed etiam in his quae specialiter pertinent ad disciplinam perfectionis. » Et rursus, 2. 2, q. 186, art. 8, ad 3 : « Papa in voto oboedientiae non potest sic cum religioso dispensare, ut nulli praelato teneatur oboedire in his quae ad perfectionem vitae pertinent. Non enim potest eum a sua oboedientia eximere. »

β) 2. 2, q. 104, art. 2, ad 1, ea tantum oboedientia dicitur virtus specialis, quae exsequitur opus praeceptum formaliter quia praeceptum est ; et q. 105, art. 2, ad 3, inoboedientia primi parentis adscribitur ad superbiam.

Ex regula S. Benedicti

2. Ex regula S. Benedicti, c. 5. « Primus humilitatis gradus est oboedientia sine mora. » Quem locum interpretans Martene ait, « humilitatis nomine aliud nihil a S. Patre intellegi, nisi ipsam oboedientiam [1]. »

Ex corollariis.

3. *Ipsis corollariis* eadem confirmatur positio. Eo enim quod *essentialis* oboedientia continetur *animo* parendi Ecclesiae, huiusque animi — pro data opportunitate et adiunctis — significatione seu *professione*, facile perspicitur :

Oboedientia religiosa in prima aetate.

a) Quomodo non defecerit iis studiosis evangelicae perfectionis viris qui, in prima aetate, satis proprio regebantur arbitrio.

Oboedientia in praelatis.

b) Quomodo locum habeat in superioribus religiosis et praelatis.

Meritum etiam in summo gradu hierarchiae.

In omni praeterea dignitatis gradu, tum affectu tum actibus exerceri potest perfecta humilitas, ad quod virtutis genus rettulimus oboedientiam.

II. **Disciplina perfectionis demonstratur tribus consiliis evangelicis**

Probatio ex traditione.

16. Id patet prius *ex traditione*. Etenim, a pluribus saltem saeculis de hoc consentiunt scholae catholicae, disciplinam perfectionis pertinere ad statum religiosum, hunc autem absolvi tribus votis perpetuis paupertatis, castitatis et oboedientiae. Quotquot praeterea Bullae pontificiae erexerunt vel confirmarunt Ordines religiosos, totidem sunt eiusdem doctrinae authentica monumenta.

Probatio ex ratione.

17. *Ratione* ita arguimus : *Disciplina* seu schola *perfectionis debet discipulos suos solvere iis omnibus rebus quae perfectioni solent inferre moram atque impedimentum, eosdemque simul per se informare ad usum earum quae sunt perfectae.* Sic erit ista schola tam artifex libertatis quam sanctitatis magistra.

---

[1] Migne, P. L. t. 66. col. 350.

Disciplina autem quae demonstratur tribus consiliis evangelicis, utrumque praestat. Ergo est schola perfectionis.

Removenda sunt impedimenta communia.

Ad maiorem. 1. *Removenda sunt impedimenta communia.* Pertinet enim ad disciplinam perfectionis, facilem ad hanc parare accessum ; quod non praestabit, si vel unum relinquat ex iis quae, ut est natura humana, per se sanctitatis studiis obstent.

Docendus usus rerum perfectarum.

2. *Docendus est usus earum rerum quae sunt perfectae.* Oportet enim ut schola perfectionis vere se praebeat ducem ad perfectionem. Ad hoc opus est ut negativae rationi, qua tolluntur impedimenta, coniungat positivam, qua modo *per se* efficaci usum suadeat rerum quae pertinent ad perfectionem.

Haec satis sunt.

3. *Bina haec satis sunt.* Cum enim de ea hic agatur disciplina quae publice sit proponenda, satis erit si *communia* tradiderit documenta, nec opus est ut speciales addat commendationes. Has tamen unusquisque ex communibus praeceptis promptius intelleget ac sequetur.

Tribus consiliis tolluntur obstacula communia,

Ad minorem. a) *Negative* enim, removent *obstacula generalia* perfectioni acquirendae, quae esse solent malae cupiditates et alienae curae. Voluntaria *paupertate,* in radice et de se removetur concupiscentia oculorum et sollicitudo de bonis exterioribus ; *continentia* perfecta, concupiscentia carnis et sollicitudo de uxore et liberis ; *oboedientia,* superbia vitae et inordinatio voluntatis quae non potest iam arbitratu suo se huc vel illuc ferre, sed appetere iubetur quae iudicantur ad perfectionem esse necessaria, omittere quae huic studio adversantur.

Et re quidem vera, ne mens in motu suo ad Deum retardetur, oportet ut generali modo soluta sit omni terreno vinculo. Huius libertatis minima ratio animum postulat paratum relinquere vel praestare quae ab Ecclesia in ordine ad perfectionem vetantur vel praecipiuntur facienda.

Horum trium unum si demas, per se manet communis quidam fons cupiditatum et sollicitudinum ; est mundana quaedam concupiscentia cui nullum directe adhibetur remedium. Quare tria illa sunt iam *negative requisita.* Sunt etiam positive *satis.* Namque, praeter tentationem rerum exteriorum, corporis et elati animi, quibus singulis singula respondent consilia, quarta indicari nequit generalis cupiditas vel sollicitudo quae animum prohibeat perfecta libertate non peccandi seu iustitiae serviendi. Tres tantum recensebat S. Ioannes concupiscentias huius saeculi, ita ut tribus contrariis studiis, quae his suadentur consiliis, habeatur perfecta spiritui mundano contrarietas : haec simul ponit perfectam professionem spiritus Christi.

Docetur usus eorum quae sunt perfecta.

b) *Positive* autem :

α) *Impellunt ad amorem Dei.* Affectus noster, terrenis solutus,

cum necessario in aliquid feratur, ultro in Deum tendit. Unde Augustinus, « Perfectio, nulla cupiditas. »

3) *Continent exercitationem perfectionis.* Quae enim agit homo iuxta huiusmodi consilia, praestat in honorem Dei, ideoque religiosam iam continent sui rerumque suarum devotionem. Magis dein per se diligit qui agit ex voluntate Dei etiam non praecepta. Denique, eo diserte spectat religiosa oboedientia, ut alterius magisterio securius ad perfectionem contendas. Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 186, art. 5, c., *De perfectione vitae spir.* c. 6.

PARERGON. De statu perfectionis

Quid status perfectionis.

18. Ut ex dictis perspicitur, status perfectionis est *publica perfectionis professio ;* seu hac quasi nota insignitur quod quis palam « totam vitam suam voto Deo obligavit ut in operibus perfectionis ei deserviat [1]. »

Rursus, opera perfectionis quibus in ipsa Ecclesia distinctus personarum status constituitur, nequeunt illa tantummodo esse studia quae ad *essentialem* christianae vitae perfectionem ab omnibus requiruntur. Sed erunt vel remotio, utique exterior, impedimentorum quae obstarent quominus aliquis toto mentis affectu in Deum ferretur, vel ea opera quibus exhibetur perfecta illa proximi dilectio, de qua supra, n. **7**.

Status duplex.

Duplex itaque efflorescit status perfectionis, alter ordinatus ad perfectionem *dilectionis Dei*, alter in quo perfecta cernitur *dilectio proximi*.

Prior status est *religiosorum*, qui per tria perpetua vota communia perfectae vitae impedimenta, ut mox vidimus, palam a se abdicant ; alter est status *episcoporum*, qui, dum consecrantur, in perpetuam consentiunt obligationem sese impendendi in salutem sibi commissi gregis, ita ut devinciantur suae ecclesiae vinculo spiritualis matrimonii, per se indissolubilis et quadantenus ipso carnali matrimonio fortioris [2].

Non est tertius.

Tertia autem huius status ratio nulla est. Perfectionis enim opera, ad statum perfectionis requisita, nequeunt esse nisi opera *caritatis*, cum secundum caritatem perfectio hominis simpliciter attendatur. Rursus autem caritas accipi tantum potest secundum duplicem eius terminum, *Deum* et *proximum*. Quod ad Deum, exterior perfectionis status nequit constitui nisi exteriore remotione impedimentorum quae perfectae dilectioni obsunt. Quod ad proximum, nequit perfectionis

---

[1] S. Thom. Opusc. *De perfectione vitae spiritualis*, c. 15. Cfr. 2, 2, q. 184, art. 4, c.

[2] Vis istius vinculi exprimitur c. Inter corporalia, 2, *De translatione episcopi* (II, 7).

status nisi ad exteriorem istam perfectae caritatis exhibitionem, quae *munere pastorali* continetur, quempiam devincire.

Duplex etiam apparet perfectionis status, si ad Christum respexeris, perfectionis et exemplar et auctorem. Voluit enim esse in Ecclesia studium perfectionis ad quam homines hortatur, ipseque instituit munus pastorale [1], cuius eam proposuit imaginem : « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis [2]. »

De ratione qua episcopi sunt in statu perfectionis.

19. Vera ergo et formalis ratio cur Episcopi versentur in statu perfectionis est *professio perpetuae curae animarum*. Haec enim tres continet notas [3] perfectae caritatis ad proximum : *dilectionem* dico *inimicorum*, cum sua caritate etiam eas complecti debeat oves Episcopus quae fortasse sint inimicae ; *vitae impendium*, cum cotidiana et perennis sollicitudo iam videatur continere donum vitae, quae ceterum, si opus fuerit, est ab Episcopo profundenda ; *largitionem* denique *divinorum*, cum de spirituali agatur munere pascendi. Haec est manifesta doctrina S. Thomae, tum c. 16. 17 opusculi *De perfectione vitae* spiritualis, tum *Summa theol.* 2. 2, q. 18.

Dum status religiosorum, qua talis, nullatenus ad aliorum hominum sed ad propriam perfectionem refertur, episcopus est statu suo animarum « perfector ». Quocirca eius status, quatenus operosam dicit perfectionis (late et stricte sumptae) communicationem, appellari potest activus et illuminativus.

Num censentur perfecti ?

Quamvis id non paucis nec tenuioribus placuerit theologis [4], non videntur nobis Episcopi proprie poni posse *in statu perfectionis acquisitae*. Etenim :

a) Status aestimandus est ex *professione*. Nullam autem faciunt Episcopi *acquisitae perfectionis professionem* [5].

b) Nec, si eam intellegas perfectionem ad quam diriguntur religiosi, aliquo pacto effeceris opus esse ut Episcopi sint hanc perfectionem adepti [6]. Quamvis enim summopere expediat Episcopos

---

[1] « Ipse dedit quosdam quidem apostolos.... alios autem pastores. » *ad Ephes.* 4, 11.

[2] *S. Ioann.* 10. 11.

[3] Cfr. supra, n. **7**.

[4] Ita Bellarminus II *Controv.* 2 l. 2, c. 2, n. 7 et ipse Suarez *De Religione*, tr. 7, l. 1, c. 15, n. 5, qui tamen c. 14, n. 9 extenuare cogitur suam sententiam. His astipulatur Bouix *De iure regularium*, p. 1, s. 1, c. 4. A theologis hunc modum dicendi mutuati sunt plerique scriptores rerum asceticarum.

[5] Cfr. v. gr. quomodo S. Thomas ostendat presbyterum curatum vel archidiaconum non versari in statu perfectionis. *De perfect. vit. spir.* c. 24.

[6] Quare non possumus assentiri C. Bellarmino scribenti, l. c. « Episcopi deberent esse perfecti, id est ad eum gradum caritatis pervenisse, ad quem religiosi per sua vota et exercitia contendunt. » Observes ab ipso, eod. loco, describi eum gradum ut talem quo Deus diligatur quantum potest a creatura mortali, et propter hanc perfectionem statum Episcoporum nominari statum perfectionis acquisitae.

omni esse virtute ornatos, quis dixerit tantam in iis requiri caritatem ut mentem omni veniali affectu solutam gerant : quod, ut videbimus, sectantur religiosi. Quisnam illius caritatis ausus fuerit sibi esse conscius ? Quisnam nisi plane invitus pontificalem statum honeste suscipere posset ? Nec iam apparet quomodo, 2. 2, q. 185 art. 3, S. Thomas scribere potuerit non opus esse ut assumantur ii qui sint *meliores secundum caritatem ;* vel quomodo optimi Episcopi impetrarint a S. Pontifice facultatem profitendi religiosum statum, viam videlicet ad perfectionem quam iam essent consecuti.

Illud unum itaque, sub hoc respectu interest inter Episcopum et religiosos, quod ad horum statum nulla requiritur praeparatio virtutis, dum contra Episcopus debet ab initio satis emendasse vitia ut « nihil in se inveniat per quod illicitum ei reddatur praelationis assumere officium [1] ».

Idem religiosorum status est status perfectionis et schola perfectionis.

20. Status religiosorum varius respectus.

1. Itaque una eademque obligatione qua quispiam exterius profitetur perfectam caritatem quod ad Deum, fit ipse internae perfectionis sectator vel studiosus. Dum externa solvuntur impedimenta, ad internam libertatem via sternitur. Unde illud etiam habetur, ut idem status religiosus sit status perfectionis et perfectionis schola.

Et *status perfectionis* quidem est, connotando professionem paupertatis, castitatis, oboedientiae : quae perfectionis sunt opera ; *schola* autem *perfectionis*, connotando observationem consiliorum Christi quae iisdem operibus continetur, seu considerando instrumentalem vim quae ex doctrina Christi in illa professione demonstratur inesse ad perfectionem adipiscendam.

Perfectionis patriae et perfectionis huius vitae.

2. Cum supra, ab initio, duplicem distinxerimus perfectionem, perfectionem patriae caelestis et perfectionem huius vitae, illud etiam iuvabit observasse, quod statu suo quotquot sunt christiani *perfectionem patriae* sectantur : quare omnes sunt *religiosi* homines; sed alii non profitentur, tamquam viam ad istam perfectionem, nisi communem praeceptorum religionem, dum alii addunt perfectiorem religionem consiliorum.

Non ideo sunt religiosi omnes magis perfecti coram Deo quam saeculares.

3. Comparate autem ad *perfectionem huius vitae*, alii, soli religiosi, eam *statu* persequuntur, quamvis extra statum persecutio possit esse per accidens magis sincera atque efficax. Unde etiam exterior status perfectio sine interiore animae perfectione haberi potest, et contra.

Dicitur status religionis, religio.

21. Status religiosorum varia nomina. Status *perfectionis* religiosorum offert excellentem formam cultus divini. Suscipitur enim *votis,* quae referuntur ad virtutem religionis ;

[1] S. Thomas, 2. 2, q. 185, art. 3.

sodales assidue distinet *exercitationibus* servitii et laudis Dei ; atque ipse demum *finis* nonne est arta cum Deo coniunctio ? Quare iam antiquitus appellabatur *perfectior Religio* [1], quam qui colunt sunt *religiosi*.

Quid religio in concreto.

Singula dein huius rationis genera, quae sancti viri discipulis suis imponere coeperunt, presse vocatae sunt *Religiones*. Religio enim proprie designat formam cultus pluribus communem et praescriptam.

Idem dicitur holocaustum,

2. Constat status ille oblationibus quae Deo fiunt. Quare est *sacrificium ;* quin immo, cum, oblatis rebus exterioribus, proprio corpore et voluntate, homo videatur se totum obtulisse, iure ac merito dicitur *holocaustum*. S. Thom. 2. 2. q. 186, art. 7 ; et *De perf. vit. spir.* c. 11.

Perfecta paenitentia.

3. In sacrificio inest virtus satisfactionis, quae in holocausto conspicitur maxime absoluta. Quare continet idem status *perfectionem paenitentiae*. S. Thom. 2. 2. q. 189, art. 3 ad 3, ubi affert c. Admonere, 8. C. XXXIII, q. 2.

Comparatio episcopi, sacerdotis et religiosi.

22. Quaeres quomodo inter se conferri possint *episcopi, sacerdotes, religiosi* [2] ?

Ad illustrandam doctrinam, iuvat haec pauca mutuari ab Angelico Doctore, 2. 2, q. 184, art. 6, observando tamen a nobis minime comparari meritum personarum sed obiectivam rationem vitae quam profitentur.

Secundum quid ;

1. Tria sunt hic attendenda : *status, ordo, officium*. Hinc iam habemus :

Statu eos qui in statu versantur perfectionis, *episcopos* dico et *religiosos,* praestare sacerdotibus qui statu sunt *saeculares ;*

Ordine episcopos anteponi *sacerdotibus ;* hos vero iis qui hoc ordine carent ;

Officio priores esse qui curam habent animarum.

Hactenus de excellentia *partiali* seu *secundum quid*. Si vero praeterea quaeramus quinam *simpliciter* videantur esse potiore loco :

Simpliciter.

2. Primae deferendae sunt Episcopis, qui ceteris eminent *officio, ordine,* ut patet, atque etiam *statu*. Excellentia enim perficiendi alios, graviore obligatione et supposita iam sanctitate, *status pontificalis* religioso est sublimior. Cfr. S. Th. opusc. *De perf. vit. spir.* c. 17.

Episcoporum perfectioni proximos facit S. Thomas *religiosos sacerdotes* qui *spiritualibus* funguntur *ministeriis*. 2. 2, q. 188, art. 6.

---

[1] Hoc modo Thomas Waldensis, *Doctrinale fidei* t. 1, l. 3, c. 16, n. 4, praeter cultum quem unus Homo Deus exercere poterat seu religionem Christi hypostaticam, distinguit religionem *episcopalem, monasterialem, sacerdotalem* et *vulgarem*.

[2] Late hoc versat argumentum Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 1, c. 17-20.

Inter *saecularem cum cura animarum* et *regularem sacerdotem sine cura* « si fiat comparatio secundum *bonitatem*, sic praefertur status religionis officio presbyteri curati. » Is enim non gerit principaliorem curam animarum nec ad eam obligat omnem vitam suam. Ita S. Thomas, 2. 2, q. 184, art. 8, c. et confirmatur eo quod Ecclesia ipsis positive permittat aditum ad religionem, c. 2, C. XIX, q. 2.

Sacerdos denique *saecularis religioso laico* potior est cum *dignitate*, qua ad sublimia deputatur ministeria, tum requisita *sanctitate*. S. Th. ibidem.

ARTICULUS II. De partibus status religiosi

I. De his quae postulat perfecta eius ratio

Essentialia secundum se.

23. Ut status ille *plene* habeatur, haec, ex dictis, apparent requiri :

1. Voluntaria paupertas, perfecta castitas, eaeque ut partes studii perfectionis in quo quis humili animo paratus est obtemperare iis qui in hoc ordine ipsi legitime praeficiantur. Paucis : *Tria consilia evangelica.*

2. Eorum *satis aperta professio*, quae in foro exteriore probari possit. Status enim designat externam hominum condicionem.

3. Eorundem *professio per se perpetua*, quae firmo nexu obtineat propriam status stabilitatem. Et quia vix altera suppetere videtur ratio, eadem condicio ita reddi potest : Professio firmata perpetuo satisque manifesto voto.

COROLLARIA.

Descriptio status religiosi secundum se.

24. Recta igitur est haec **religiosi status descriptio** : *Stabilis vivendi modus hominum profitentium se, per tria perpetua vota paupertatis castitatis et oboedientiae, tendere in Ecclesia ad perfectionem christianae caritatis.*

Quo spectent alia quae accedere solent studia.

25. Aliae exercitationes, quae simul voveri solitae sunt :

1. Hinc quidem non pertinent ad essentialem istius status rationem. Hanc enim supra, n. **16, 17,** ostendimus tribus consiliis esse concretam.

2. Nec simul omnes prudenter assumpseris. Sicut enim non expedit omnes usurpare medicinas, sic minus congruum est omnia opera sancta et utilia aggredi. Cfr. S. Th. 2. 2. q. 186, art. 2.

3. Illinc vero, si prudens habeatur delectus, apprime ad essentialia aptantur [1], praesertim quae ad *caritatem in proximum*

[1] Immo omnes huiusmodi observantias S. Thomas dicit ordinatas ad tria substantialia vota. 2. 2, q. 186, art. 7 ad. 2.

referantur. Haec enim artissimam habet necessitudinem et cognationem cum caritate in Deum.

Finis status religiosi.

26. « **Finis religiosi status** *intrinsecus* et *proximus* est perfectio caritatis huius vitae ; *remotus* et *extrinsecus* est perfectio caritatis patriae [1]. »

Finis Instituti religiosi.

Huic generis fini nequit repugnare finis peculiaris alicuius Instituti vere religiosi ; fieri tamen potest ut sit alterius rationis. Quam ob rem, quaerenti *cur* aliquod Institutum *sit religiosum,* semper respondendum est : quia continet perpetuam trium votorum professionem ordinatam ad perficiendam caritatem sodalium; quaerenti vero *cur sit tale,* non raro indicandum erit aliquod opus pietatis, caritatis in proximum.

Varia demonstrantur esse extra essentiam :

27. Ad essentiam status religiosi non pertinet :

Vota sollemnia,

1. *Votorum sollemnitas.* Gregorius XIII enim, C. *Quanto fructuosius* (2 feb. 1583) et *Ascendente Domino* (25 maii 1584) declaravit Scholasticos S. I., quorum vota non sunt sollemnia, « vere et proprie religiosos fuisse et esse. »

Vita communis,

2. *Communis vita.* Haec enim sanctis defuit eremitis, nec requiritur ad essentialem oboedientiae rationem. Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 186, art. 5, ad 3.

Professio facta verbis.

3. *Concepta verbis professio,* quippe quae alio signo probari possit.

Approbatio formalis.

4. *Formalis et diserta* approbatio Ordinis vel Instituti, proficiscens ab auctoritate ecclesiastica. Per se enim satis est si, cum *tacito* assensu, religiosi *negative* subsint regimini hierarchico, quatenus corrigi possint ab Ecclesia, si quod vitium inficere ac corrumpere videatur genus vitae quod ipsius Christi auctoritate commendatur. Atque ita res se habuit in primordiis.

Ferunt quidem [2] Doctores plerosque ita sentire, ut formalem approbationem iure *divino* ad essentiam referant status religiosi. Qui tamen, si attente legantur [3], vix aliter atque verbis dissentiunt a placito Bellarmini, *De Monachis,* c. 4, quod probamus tamquam ipsa historia demonstratum, et quo necessitas formalis confirmationis dicitur esse iuris positivi *humani.* Diu enim sancti regularum auctores de diserta approbatione minime cogitarunt. Cfr. De Buck-Tinnebroeck, *Examen historicum* etc. c. 1, n. 8-10.

Num requiritur traditio ?

28. Quaeres *utrum necne ad essentiam status religiosi secundum se spectati, pertineat traditio ?*

In primis, quia de re ista non pauci confuse dicunt, distinctam huius traditionis rationem proponere debemus.

---

[1] Mélot, op. c. n. 18.

[2] Cfr. v. gr. Piat. op. c. p. 16.

[3] Ita Suarez *De Religione,* tr. 7, l. 2, c. 15, n. 13 sqq. Pellizarius, *Manuale regularium,* tr. 1. c. 1. n. 10, etc.

Traditionis notio.

Traditio ista concipitur esse personae humanae donatio Deo facta ut Deo conferat speciale ius utendi et fruendi ista persona tamquam re quae in speciale eius transierit dominium [1].

Ad ipsa vota itaque addit traditio idem quod, inter homines, traditio vel donatio rei addit ad simplicem rei promissionem. Promissio meram parit obligationem ; ex traditione res mutavit dominum, ita ut donans non iam valide de re disponere queat. Ac simili fere ratione, per sui traditionem religiosus excesserit potestate in propriam suam personam, utpote quae res sit facta Dei.

Immediate Deo fieri nequit.

Ac fuere olim qui traditionem huiusmodi immediate Deo fieri posse contenderent. Verum positio ista est iam diu explosa a Suarez [2] et a Sanchez [3], et improbanda est ut fictio, quae omni careat fundamento. Nec minus iam ex ipsis consectariis erroris arguitur. Hinc enim eruebant religiosum esse iure divino inhabilem ad nubendum vel ad possidendum bona, dum nunc satis in aperto est positum inhabilitates istas ad ius humanum esse adscribendas.

Immediate facta Ecclesiae gratis affirmatur exsistere.

Verum existimat Suarez traditionem istam fieri in manibus Ecclesiae, quae nomine Dei hanc personae donationem acceptat, sicut et rerum quae Deo sunt oblatae [4].

Neque illud tamen approbare possumus.

Undenam enim speciale istud Dei dominium demonstratur?

Suarez arguit ex communi modo quo Patres loquuntur; sed re vera, pauci quidam loci Patrum quibus religiosa vita effertur ut quoddam *holocaustum*, quaedam *sui consecratio*, *donatio* facta Deo [5], aliud non sonant nisi servitutem perfectionis quae status perfectionis rationem ingreditur. *Per se* enim perspicitur dicta ista facile quadrare ad obligationem perpetuam, praesertim quae sollemniter suscipiatur. Similia autem occurrunt prolata de solis virginibus et de perpetua castitate [6], in qua distinctam aliquam a voto traditionem ipsi adversarii fatentur se vix cernere posse [7]. Immo nonne de omnibus christianis iam aiebat D. Paulus : *Non estis vestri* [8] ? Ipse denique S. Thomas, eo loco [9] ubi statum reli-

1 Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 2, c. 4, n. 5. 8.

2 Cfr. *De Religione*, tr. 7, l. 2, c. 7.

3 *De matrimonio*, d. 25, n. 13. 17.

4 *De Religione*, tr. 7, l. 2, c. 4, n. 5-8. Cum Eximio Doctore sentiunt Bouix, *De iure regularium*, t. 1, p. 49 ; Craisson, *Manuale iuris canonici*, n. 2467 ; Marc, *Institutiones morales Alphonsianae*, t. 2, n. 2129, quaer. 2 ; Palmieri, *Opus theol.* n. 22-24.

5 Locos habes apud Suarez, op. cit tr. 7, l. 1, c. 4, n. 5 ; vel Palmieri, l. c. n. 25.

6 Cfr. v. gr. S. Ambrosium *De virginibus* 1. 4, (Migne P. L. t. 16, c. 193.) ubi non obscure idco virginem dicit sacram, quia, una suadente pietate, perpetuam colat continentiam : « Ipsi (infideles) docent virgines suas non debere perseverare... Non habent igitur sacram virginem. »

7 Cfr. Palmieri, l. c. n. 24.

8 1 ep. ad. Cor. 6, 19. Cfr. et 3, 23.

9 2, 2, q. 186, art. 7.

giosum celebrat ut holocaustum, eundem dicit tribus votis concretum.

Quod si quaeramus de vi propria istius traditionis, nulla nobis videtur indicari. Namque nullitas matrimonii futuri, inhabilitas ad possidendum, effectus sunt, non traditionis, quae religiosi est opus, sed legis ecclesiasticae; oboedientiae autem non coniungitur nisi mancipatio qua aliquis propter Deum se subicit alterius dominativae potestati. Dominativa illa Superioris potestate fit ut religiosus nequeat, in his in quibus alii subditur, firmiter contrahere personalem obligationem. Nec, contra atque autumabat Suarez, votum sollemne magis inhabilem reddit religiosum quam simplex.

Quid, quod patroni istius sententiae ipsis fere verbis nobiscum conveniunt. Rationem denique tandem petunt ex eo quod status religionis est status servitutis. Gratis autem asserunt servitutem illam metaphoricam non haberi sine dominii translatione, cum satis explicetur per obligationem perpetuam serviendi Deo in operibus perfectionis [1].

Ipsa denique dominii translatio, quae facile intellegitur fieri de re quae in hominis est possessione, quomodo humana voluntate fieri potest de persona propria? Nemo enim sibimet ipsi dominatur, sed a primo initio est in solius Dei dominio.

Itaque, ut mentem nostram aperiamus, *re* nihil praeterea ad statum *religiosum* secundum se poscitur quam quod ad ipsam pertineat status *perfectionis* rationem; ficticium vero est dominium illud speciale, quod Deo foret comparatum.

29. **Quaeres,** *num illud saltem sit religioso statui essentiale, ut quispiam se tradat alii regendum et gubernandum?*

Num requiritur alterius regimen ac ductus.

Hodierno quidem usu, nemo fit religiosus quin, praeter vota Deo facta, simul se tradat Instituto religioso, quocum ita vero iuris vinculo coniungitur. Atque traditionem huiusmodi essentialem putat Suarez, hac saltem ratione, quod debeat esse aliquis — puta confessarium quem quisque elegerit, servata facultate ipsam mutandi electionem — qui, ex voto oboedientiae, etiamsi soli fiat Deo, potestatem acccipiat dirigendi personam [2].

Hodie quidem istud habetur, sed non videtur esse per se essentiale.

Atque illud valde conaturale esse, ut qui scholae perfectionis nomen dederint simul magistro ac duce utantur, nemo negabit [3]. Stricte tamen requiri non videtur, tum quia religiosus status non tantum tirones complectitur, sed et viros probatae virtutis ac disciplinae; tum quia videtur defuisse viris qui vitam stricte solitariam agebant, ut S. Paulus fuit

1 S. Thomas *De perfectione vitae spiritualis*, c. 15.
2 Cfr. Suarez *De Religione*, tr. 7, l. 2, c 4, n. 11 sq.
3 Cfr. 2, 2, q. 186, art. 5.

eremita ; tum denique quia etiam cum summa dignitate pontificia, quae talem non patitur subiectionem, religiosus status componi potest.

Quare non alia videtur *secundum se essentialis* esse subiectio praeter eam qua religiosus iurisdictioni Ecclesiae, i. e. suis superioribus, si quos habuerit ecclesiastica iurisdictione instructos, se profiteatur obnoxium.

II. De imperfecta ratione status religiosi

Ratio generalis disciplinae imperfectae.

30. Imperfecta ratio illius status in universum habebitur, si quis ex studio perfectionis se nexu voti obliget ad quaedam observanda consilia, etsi fortasse particularia, quae iuvent ad hanc metam tenendam, aliqua autem parte deficiat status perfectio.

Exempla.

Late itaque religiosis annumerabuntur :

Qui *ad tempus* vota nuncuparunt : deficit *perennitas* servitutis.

Qui castitate, vel paupertate vel alio consilio sequendo *circumscribunt* suam *obligationem* : deficit *votum substantiale*.

Qui *secretis* tenentur *votis perpetuis* : deficit *professio*. Hic tamen proxime acceditur ad veram religiosi status rationem, qui coram Deo dici possit ab ipsis participari.

ARTICULUS III. De status religiosi divina origine, perpetuitate

Divina status religiosi origo.

31. Christus est **auctor status religiosi** quod ad substantiam. Etenim :

1. Ipse exemplo et verbis hortatus est homines ad perfectionem sectandam ;

2. Ipsius sunt consilia quibus status religiosi essentia est concreta ;

3. Ipse verbis et figuris quibus utebatur, eam innuit firmitatem quae votis obtinetur : recolas animo, v. gr. similitudinem castratorum.

4. Ipse munus dedit Ecclesiae status religiosi ordinandi.

Haec omnia supra sunt ostensa. Cfr. Suarez, *De Rel.* tr. 7, l. 3, c. 2, qui fuse in his versatur.

Perpetuitas status religiosi.

32. Ad sanctitatem Ecclesiae pertinet numquam in ea desiderari qui via per Christum demonstrata palam ad evangelicam perfectionem contendant. Quae cum sit ipsa essentialis ratio status religiosi, fieri non potest ut haec umquam deficiat.

Quod confirmatur recentibus litteris SS. Leonis Pp. XIII ad C. Richard. « Les Congrégations religieuses représentent la pratique publique de la perfection chrétienne.... il est certain qu'il y a et qu'il y aura toujours dans l'Église des âmes d'élite pour y (à la perfection) aspirer sous l'influence de la grâce. »

CAPUT II

DE PERFECTIONE STATUS RELIGIOSI

S. Thomas, 2. 2. q. 183, art. 3; q. 184, art. 3 et 4; ***Passerini**, De Hominum statibus*, t. 1 in q. 183, art. 4, p. 33 sqq., ***Suarez**. De Religione*, tr. 7, l. 1, c. 10. 11: ***Bellarminus***, II Controv. L. 2. *De Monachis*, c. 6, n. 21-25, et c. 7; ***Thomas Waldensis**, Doctrinale fidei*, t. 1, l. 3, c. 11. 14; ***Pellizarius**. Manuale Regularium*, tr. 1, c. 4; ***De Buck-Tinnebroeck**, Examen historicum et canonicum libri R. D. Verhoeven*, c. 3.

ARTICULUS I. De perfectione consiliorum

33. 1. Praeter eos qui negabant esse consilia, Iovinianus, ex haereticis primae aetatis, ab iisdem abiudicabat praestantiam, quam omnes catholici agnoscunt, distincte tamen efferre operae pretium est.

Praestantia consiliorum negata a Iloviniano.

2. *Consilii* et *praecepti* communis est ratio *medii* ad salutem vel perfectionem. In qua re, praecepta potiora sunt *necessitate*, consilia altiora sunt *excellentia*, si *in eodem* versentur *genere;* neque ulla divelluntur repugnantia: qui enim consilio obtemperat plus praestat quam quod est in hac re praeceptum, ita ut, nihil violando praeceptum, melius praecepti finem attingat.

Collatio praecepti et consilii:

Eiusdem generis.

Quod si *obiecto discrepent,* fieri potest ut ex merito obiecti praeceptum anteponendum sit consilio inferioris materiae.

Dissimilis generis.

Paucis ergo: *in eodem genere* consilia perfectiora sunt praeceptis; *in dissimili genere* claudicat utriusque comparatio.

3. Quod si quaeras utrum in aliqua praecepti observatione an consilii ponenda sit *absolute maxima perfectio*, responsio variabit pro vario modo dicendi. Convenit enim perfectionem istam esse in excellenti caritate, qualem eam descripsimus, n. **6**. Si ergo non solam caritatis substantiam, quod nemo ambigit, sed quemlibet caritatis gradum quodam modo feceris praeceptum, contendes cum S. Thoma [1] perfectionem esse simpliciter in observatione praecepti; si vero excellentes caritatis gradus referas ad consilia, perfectionem dices consilio contentam [2]. Quam disputationem tuto possu-

Utrum perfectio sit in praeceptis an in consiliis.

---

[1] 2, 2, q. 134, art. 3. De modo quo difficilem illum locum S. Thomae declarent ii qui huic placito astipulantur, conferri potest Greg. de Valentia, *Commentariorum theologicorum*, t. 3, d. 10, q. 2. p. 1. versus finem; vel Passerini, *De Statibus*, t. 1, in hunc artic. n. 70-84. 196 sqq. Cfr. supra n. **8**.

[2] Ita Suarez, *De Relig.* tr. 7, l. 1, c. 11, n. 12, et, ut videtur, Bellarminus, *op. c.* c. 6, n. 25.

mus missam facere. Supra, n. **8** breviter de re disseruimus.

Relatio consiliorum ad perfectionem.

34. 1. Perfectio, ait S. Thomas, est in consiliis « *secundario et instrumentaliter* ». *Instrumentaliter*, quatenus hac via certius et altius ipsam assequimur caritatem ; *secundario*, quatenus primario attendendum est ad praecepta, quippe quae removeant ea quibuscum caritas componi nequeat, dum consilia tollunt ea quae caritati non sunt contraria, sed per se eius officiunt actibus. Cfr. 2. 2, q. 184, art. 3.

2. Ut humana est imbecillitas, nisi quis exercere velit quosdam actus etiam non praeceptos, ut orationis, paenitentiae, etc., perfectionem christianam adipisci non valebit. Cfr. Suarez, c. 10, n. 3.

3. Perfectio tamen haberi potest etiam non impletis consiliis evangelicis. Cuius rei ratio est, tum quia sunt aptior quidem sed non necessaria via ; tum quia, si *per se*, id est plerumque, expediunt, *per accidens* tamen alicui possunt esse minus utilia.

4. Non omnes qui profitentur consilia evangelica ascendunt ad perfectionem. Namque, ut observat S. Thomas, 2. 2, q. 184, art. 4, sicut « aliqui implent ad quod se non obligaverunt, » ita alii non servant quae tamen promiserant. Cfr. etiam dicta, n. **20**, 3.

ARTICULUS II. De perfectione status religiosi

Negata excellentia ab haereticis.

35. 1. *Errores contrarii.* a) Saeculo XVI osores religiosorum negabant statum religiosum anteponendum esse statui communi. Hos virtualiter redarguit conc. Tridentinum, can. 10, sess. XXIV : « Si quis dixerit statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu quam iungi matrimonio, anathema sit. »

Mitior erroris forma.

b) Ad mitiorem formam huiusmodi erroris visi sunt etiam nonnulli accedere catholici, qui contendebant, statum religiosum esse non quidem *intensive* perfectiorem sed *extensive* tantum, utpote qui plures tradat vias seu accessus ad unam perfectionem. Cfr. Thomam Waldensem, *Doctrinale fidei*, t. 1, l. 3, c. 11, n. 2, c. 14.

Status religiosus probatur intensive perfectior.

2. *Vera positio, eiusque probatio.* Quamvis, ut apparet ex dictis, contingat nonnullos qui in communi statu versantur, esse religiosis perfectiores, nihilo minus status religiosus praedicandus est perfectior et quidem *intensive*.

Status enim omnis, hic in terris, rationem habet medii et viae, non secus atque ipsa vita. Quare bonitas eius consideranda est ex utilitate ad finem. Religiosus porro status dicit, praeter obligationem servandi praecepta, quibus finitur status communis, obligationem servandi consilia, quae aptissi-

ma sunt perfectionis instrumenta. Quo fit ut sit *intensive* perfectior. Non uno enim numero potior est utilitas praeceptorum simul et consiliorum, quasi pro una via praeceptorum, duae iam suppeterent fere parallelae; sed praeceptorum et consiliorum adduntur et coniunguntur utilitates, ita ut ex accessione consiliorum ad praecepta efficiatur via expeditior et efficacior. Quo enim tendunt praecepta, eo, sed melius, consilia; neque haec sunt mere apposita praeceptis, cum iuvent ipsam praeceptorum exsecutionem.

CAPUT III

DE STATUS RELIGIOSI INITIIS ET PROGRESSIBUS BREVES ANNOTATIONES [1]

Suarez, De Religione, tr. 7, l. 3; *Rotarius, Theologia moralis regularium*, l. 1, c. 4; **De Buck-Tinnebroeck**, S. I., *Examen historicum et canonicum libri R. D. Verhoeven de regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis*; **Hélyot**, *Histoire des Ordres monastiques, religieux et militaires*; **Funk**, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, t. 1; **Kraus**, *Real Encyclopaedie der christlichen alterthümer*; **Martigny**, *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*; **Hergenrother und Kaulen**, *Kirchenlexicon*; **Duchesne**, *Les origines du culte chrétien*; **St. Schiwietz** [2], *Vorgeschichte des Mönchtums*; *Das egyptische Mönchtum in vierten Jahrhundert* (*Archiv*, t. 78-79); **I. Wilpert**, *Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten der Kirche*; **U. Berlière**, *Les origines du Monachisme et la Critique moderne*; **E. Revillout**, *Le concile de Nicée d'après les textes coptes et les diverses collections canoniques*; **P. Ladeuze**, *Étude sur le cénobitisme pakhomien pendant le IV^e siècle et la première moitié du V^e*; **Marin**, *Les Moines de Constantinople depuis la fondation de la ville jusqu'à la mort de Photius* (opus hoc conferendum est cum proxime sequenti); **Pargoire**, *Les débuts du monachisme à Constantinople* (*Revue des Questions historiques*, t. 65, 1899); **J. M. Besse**, *Les Moines d'Orient antérieurs au concile de Chalcédoine* (451). *Le Monachisme Africain* (IV^e-VI^e siècle); **Th. Oltarjefskij**, *Palestinkoïe Monaschestvo s' IV do VI vèka*; **E. Preuschen**, *Mönchtum und Sarapiskult*; **H. Delehaye**, *Les stylites* (*Revue des Questions historiques*, t. 57, 1895); **E. Spreitzenhofer**, *Die Entwicklung des alten Mönchthums in Italien*; **O. Gasquet**, *Saggio storico della Costituzione monastica*; **C. Butler**, *The lausiac history of Palladius*; **Montalembert**, *Les Moines d'Occident*.

---

[1] De initiis cfr., in altero tomo, supplementum 1.

[2] Lucrubationes istae in unum deinde conflatae sunt opus, cui titulus: *Das morgenländische Mönchtum*, Mainz, Kircheim, 1904.

§ 1. *Divisio argumenti*

Trita partitio in 4 epochas.

36. Satis solent scriptores historiae Ordinum religiosorum has quattuor recensere epochas :

1. *Monachismi, tum orientalis,* a Deciana persecutione ad saec. VI ; *tum occidentalis,* a saec. VI ad XI.

2. *Canonicorum regularium,* a saec. XI ad XIII.

3. *Fratrum mendicantium,* a saec. XIII ad XVI.

4. *Clericorum regularium,* a saec. XVI ad nostra usque tempora.

Nostra ratio dividendi ex ordine quo variae formae religionum sunt natae.

37. Aptiorem tamen et veriorem, simulque nostrae iuridicae considerationi magis congruam arbitramur hanc alteram partitionem, qua, post aetatem primordiorum, non tam aetates distinguimus quam varias, eo quo natae sunt ordine, formas vitae religiosae. Namque, si suum cuique formae assignes tempus, non primae tantum originis sed vigoris etiam et prosperitatis, videris novae quae accesserit formae vim tribuere depellendi superiorem. Re vera tamen haec permansit, nec quicquam proprii amisit roboris atque utilitatis, quamvis non ita raro, ut ad nova sese accommodaret tempora, non nihil a prima sua institutione recesserit.

Itaque dicemus :

1. *De aetate primordiorum*, quae a Christo pertinet in Oriente ad S. Basilium Magnum, saec. IV, et in Occidente ad S. Benedictum, saec. VI.

2. *De monachis*, qui exsistunt a saec. III (medio).

3. *De canonicis*, a saec. XI.

4. *De mendicantibus*, a saec. XIII.

5. *De clericis regularibus*, a saec. XVI.

6 *De congregationibus religiosis*, ab exeunte saec. XVII.

Post has formas praecipuas, brevi disseremus separatim :

7. *De formis secundariis*, quales sunt Ordines militares.

Observandum denique est varias religionum formas non repente et quasi totas simul uno momento esse a Deo revelatas vel humana inventas industria : suavi enim Dei providentia sunt sensim sine sensu praeparatae, donec progrediente tempore, adiunctis ipsisque experimentis maturatae, opportune oborirentur et florerent.

§ 2. *De vitae religiosae primordiis* [1]

Argumentum non potest nisi adumbrari.

38. Nec consilium est, nec, ut in re adhuc parum explorata, via suppetit *accurate* persequendi quibusnam exordiis,

[1] Cfr. Hélyot, op. cit. t. I.

quibusnam progressionibus perventum sit ad monachos et religiosos presse dictos. Primis autem initiis, omnia fuisse minus composita et parum finita, mirari nequit qui noverit hoc esse in more positum divinae Providentiae, ut lentis incrementis omnia adducat ad perfectionem atque ita gratiam dispenset ut minime tollat hominum sive conatus sive proprios voluntatis motus.

Itaque paucis indicabimus praecipua quae ad nostram spectent provinciam de his duobus punctis : de *exemplo Apostolorum*, de *virginibus et ascetis*.

De collegio Apostolorum.

39. Ipsum **Apostolorum collegium** perfectam sub Christo duce religionis referebat speciem, cum, relictis omnibus, — rebus, parentibus, uxore, — ultroneam colerent paupertatem et castitatem, et ab ipso quem oboedientissimi sequebantur Domino, ad omnem informarentur perfectionem. Quae parva Religio recte, ex muneribus quibus iam tunc fungebantur duodecim, mixtam vitam dici potest professa [1].

De virginibus et ascetis.

40. Postquam Apostoli praeiverunt exemplo [2], numquam defuere in Ecclesia qui, superadditis Domini consiliis,

---

[1] Cfr. quae de ordine apostolico habet Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 3, c. 2, n. 10.

[2] In loco quidem S. Pauli, *epist.* 1 *ad Cor.* IX. 5, acatholici interpretes mentionem legunt uxoris quam duxissent vel secum tenuissent Apostoli, immo Christi consanguinei et ipse Petrus. Sic autem : Non solum, a) Post-habent antiquissimam persuasionem Ecclesiae de continentia quam servarunt Apostoli ex quo vocati sunt a Christo, ac b) Sine ulla verbi necessitate, cum vox γυνή (opposita tum ἀνδρί tum παρθένῳ) aeque significet mulierem in universum ac uxorem, c) Repugnant Patrum intellectui qui errorem istum refellunt : Tertull. *De monog.* 8 (M. P. L. t. 2, c. 939. 940) ; S. Hieron. *contra Iovin.* 1, 26 (M. P. L. t. 13, c. 245) ; S. August. *De op. mon.* 4. 5 (M. P. L. t. 40, c. 552. 554), sed etiam, d) Sententiam obtrudere volunt quam reliquae Scripturae et contexta oratio plane faciunt incredibilem. Et re quidem vera : α) Christus, apud S. Matth. XIX. 12, commendaverat continentiam propter regnum caelorum, quod protestantes intellegunt de praedicatione Evangelii : qua veri specie indociles faciunt primos Evangelii praecones ? β) Cum Petrus (S. Matth. XIX, 27) testatus esset se cum ceteris Apostolis reliquisse omnia, Christus, ℣. 29, in praemii declaratione, inter ea quae propter ipsum relinqui possunt, numeravit uxorem. Num, post Christi mortem, ad hanc, veluti facti paenitentes, rediisse credendi sunt Apostoli ? γ) Modo, c. VII. S. Paulus virginitatem suaserat, tribulationes et impedimenta spiritualia efferens eorum qui essent cum uxore. Num haec scripsisset, si, brevi post, Apostolos, fratres Domini, S. Petrum, his dicere debuit vinculis irretitos ? δ) Quid, quod si γυνή idem hic esset quod uxor, S. Paulus affirmasset hic in sua esse potestate circumducendi uxorem, quam c. VII negaverat se habere ! ε) Denique ℣. 6 ita ad verbum exprimitur ex Graeco : « An ego solus et Barnabas non habemus potestatem *non* operandi ? » Quae lectio probatur sola acatholicis. Atqui haec, dum conectit quandam facultatem otiandi cum facultate circumducendi mulierem, satis ostendit agi de mulieribus istis quae more hebraico se comites praebebant ad subministranda necessaria. Has commemorat *Evangelium* Lucae c. 8. ℣. 3 ; has ipse Paulus *ad Rom.* XVI, 1.

sectarentur religionem communi perfectiorem. Primi isti sublimioris doctrinae discipuli inventi sunt inter *virgines* et *ascetas*. (Plura de his, *Suppl.* I § 1.)

Notae communes eorum disciplinae.

Perfectior autem religio intellegebatur esse quaedam *maior personae devotio* facta Deo per continentiam, bonorum abdicationem, abstinentias et orationes [1]. Ascetismus exhibebatur etiam ut fuga et renuntiatio saeculi [2], ut individua cum Christo coniunctio [3] et magis absoluta vitae ordinatio secundum Verbum, quo maiorem Dei consequereris similitudinem [4]. Ipsique ascetae a Clemente Alex. vocantur veri gnostici, electi inter electos [5]. Non aliud autem nisi fortasse *castitatis* fieri solebat votum, dum *paupertas* colebatur ipsa divitiarum abdicatione atque amotione commoditatum vitae. Quod ad *oboedientiam*, voti quidem nullum superest vestigium, usus autem non videtur defuisse. Monumentis enim saec. III [6] novimus personas istas *loco, ordine*, fuisse in Ecclesia distinctas; intentamque virginum curam habitam esse ab Episcopis. Haec non potuerunt fieri quin simul istae personae sub speciali Ecclesiae iurisdictione essent constitutae. Immo, nonne iam praesentis oboedientiae similior ratio conspicitur in communibus virginum domibus, quas ab unius regi auctoritate necesse erat, et in magisterio quod S. Cyprianus [7] commissum vult antiquioribus?

§ 3. *De Monachis* [8]

Distinguendi sunt monachi quales erant ante aetatem S. Basilii in partibus Orientis et S. Benedicti in Occidentis, et quales exstitere ex disciplina duorum istorum praecipuorum Patrum et Institutorum vitae monasticae.

I. De prioribus Monachis

Communis ratio monasticae vitae.

41. *Communis* cuiuslibet *vitae monasticae ratio* est ipsa professio sanctitatis; sanctitatis, inquam, propter se intentae, non autem directae ad aliquem finem Instituti. Ecclesiae tamen, si res postulabat, per accidens opitulari non abnue-

---

[1] Cfr. Origen. *in Ieremiam* XIX, 4. 7 (M. P. G. t. 13. c. 507. 514).
[2] Cfr. Schiwietz op. c. (*Archiv*, t. 78) p. 305; Wilpert, op. c. p. 7.
[3] S. Cypr. *De lapsis*, c. 11. fine: « Individuis Christi nexibus adhaeserunt » (M. P. L. t. 4. c. 11).
[4] Schiwietz, p. 19.
[5] Quis dives salvetur c. 36 (M. P. G. t. 9, c. 642).
[6] Tertullianus. *De Exhortatione castitatis*, c. 11 (M. P. L. t. 2. c. 926); S. Hippolytus, *Fragmenta in Proverbia* (M. P. G. t. 10. c. 627).
[7] S. Cyprianus, *De habitu virginum*, c. 24 (M. P. L. t. 4, c. 464).
[8] Cfr. Hélyot, op. cit. t. 1. 5. 6.

bant monachi. Porro ad sanctitatem pertinere intellegebatur fuga saeculi, rerum penuria, cultus continentiae, studium abstinentiae et mortificationis, rerumque divinarum contemplatio.

In priore autem aetate, magis suo quisque impulsu atque instinctu movetur, quam in altera, ubi potius communi informantur regimine. Quare, in his primordiis, magna cernitur varietas studiorum ; et monachi videntur esse spirituales athletae, qui abstinentia et mortificatione inter se certant. Nec diffitendum est nonnullos excessisse modum atque egisse sat insipienter. Hoc potissimum errore videntur plures esse decepti, ut corporis castigationes, quae inter media sunt ponenda, cum ipso fine seu sanctitate confunderent, ita ut quo magis aliquis paenitentia excelleret, eo et perfectione ceteris praestare putaretur. Cave tamen ne ex paucorum deliramentis, quae, quia sunt praeter consuetudinem, facilius memoriae traduntur, universam iudices disciplinam. Hanc enim sanctissimi iique prudentissimi viri laudibus celebrarunt, ac libri quibus exhibetur, nominatim scripta Cassiani et Rufini, aurea continent documenta vitae spiritualis.

Duo genera : eremitarum et coenobitarum.

Varietas ista in duo praecipua genera cogi potest, non omnino tamen separanda : saepe enim idem homo utrumque vitae genus inter se commutabat. Habentur itaque *eremitae*, *anachoretae*, i. e. solitarii homines, quorum primum exemplar fuit S. Paulus eremita, illustris autem propagator S. Antonius abbas; vel *coenobitae*, communi obnoxii regimini, quibus sapientem praescripsit regulam S. Pakhomius.

Cassianus.

Licet potissimum intendamus animum in iuridicas rationes status religiosi, iuvat verbo saltem commemorare etiam, in Occidente, Ioannem Cassianum († 435 vel 448), Abbatem Massiliensem, cuius notiora sunt ascetica opera [1]. In haec rettulit vitae spiritualis documenta quae, hausta ex diutina (390-400) commoratione inter monachos aegyptiacos, ab ipso ad occidentales regiones aptata sunt.

S. Columbanus

In Hibernia circumferebatur etiam aspera regula dicta a S. Columbano († 615), monacho Hiberno, qui vir apostolicus, a montibus incipiens Vosegis ad Apenninos, in plures Europae regiones intulit fidem et monasticam vitam una cum civili cultu, praecipuusque exstitit apostolus Alamannorum.

Nova aetas,

Verum aetas nova monachis exorditur a regula S. Basilii

[1] Sunt autem : *De institutis coenobiorum et de octo principalium vitiorum remediis libri XII* et *Collationes XXIV*. Posterius hoc opus praestat spiritualis doctrinae copia, quamquam non nihil, praesertim in Coll. XIII^a, infectum sit errore semi-pelagiano.

auspiciis S. Basilii et S. Benedicti.

in partibus Orientis et S. Benedicti in Occidentis. Iam tamen hic memores simus novae disciplinae initio non significari prioris finem. Quare hoc loco plura referenda sunt de disciplina orientali, quae licet recentiora S. Basilio, minime tamen ab ipsius Institutis sunt profecta.

Fusius autem de primordiis dicimus in *Supplemento* I § 2.

Notae iuridicae: Perseverantia.

42. 1. Qui semel perfectiores has vias erant ingressi, existimabantur se reditu ad vitam saecularem prohibuisse, ita ut cuiuspiam defectionis argueretur nonnullorum inconstantia [1]. Qua tamen necessitatis vi, quo titulo tenerentur, dici adhuc nequit.

Integrum autem ipsis erat mutare sedem; atque etiam coenobitis licebat in aliud migrare monasterium.

Consilia evangelica,

2. Re potius quam voto videntur fuisse *pauperes,* sine dominii inhabilitate. Perfectam profitebantur *castitatem* ac corporis mortificationem, variisque cautionibus, nominatim fuga alterius sexus [2], ipsos aemulabantur Angelos.

Oboedientiae, quam diximus essentialem, non pauca habemus documenta. Plura enim facta demonstrant ipsos fuisse Episcopis obnoxios [3]; Monachi Aegyptii specialem profitebantur oboedientiam, tamquam *Pharaoni ecclesiastico*, Archiepiscopo Alexandrino [4]. Quam Episcoporum auctoritatem luculente confirmavit can. 4 concil. Chalcedonensis (451) vetans ne monasterium erigeretur sine Episcopi consensu. Conc. Arelatense III (c. 455) et, saec. VI, conc. Carthaginense (525 et 534) voluerunt tamen monachos libere in potestate versari suorum abbatum, reservata Episcopis ordinatione clericorum monasterii et dedicatione oratorii [5].

Eadem concilia sic indirecte nobis testantur auctoritatem abbatis in monachos suos. Solebant ceterum ii ipsi qui in

---

[1] Besse, *Les moines d'Orient*, p. 93, 117, 142, 143. Contra « monachos et monachas » qui « abiecto proposito sanctitatis », labuntur in peccata carnis, severius iam invehitur in epistula S. Siricii Papae ad Himerium episcopum, c. 6 .in qua carnales istae coniunctiones damnatae dicuntur publicis legibus et ecclesiasticis iuribus. Norunt epistulam istam anni 385, esse decretalium iuris canonici antiquissimum monumentum (Bardenhewer, *Les Pères de l'Eglise*. II, p. 340. M. P. L. t. 13, col. 1137). Obligationem illam perseverandi sanciunt C. Arelatense II (a. circ. 452), can. 25; C. Andegavense II (a. 455). Cfr. Harduin, II, 775, 779.

[2] Evenit tamen ut una domus contineret monachum et moniales; immo exstructa sunt monasteria quae *duplicia* vocabantur, quia binae utrique sexui habebant partes. Quod, etsi sancte quandoque frequentatum, non vacare periculo per se patet.

Calumnias D. Amélineau contra mores monachorum S. Pakhomii regarduit R. D. Ladeuze, *Etude sur le cénobitisme pakhomien*, in appendice.

[3] Besse, *Les moines d'Orient*, p. 187. Cfr. p. 40. 52 et prooemium regular. brev. S. Basilii, (M. P. G. t. 31, c. 1079).

[4] Besse, l. c.

[5] Cfr. ista concilia, Harduin, II, 780. 1090. 1177. 1178; Hefele, *Conciliengesch.* II, 563. 693-695. 738.

Oriente petebant solitudinem, sibi quaerere ducem spiritualis disciplinae, cui perfectissime dicto obtemperabant [1], nisi quod arbitratu suo mutabant magistrum. Plurimum praedicabatur sequenda traditio maiorum.

Vix autem communi tecto uti coeperunt, cum absoluta oboedientia visa est aliquid praecipuum in vita religiosa. Iam regula S. Pakhomii [2] ac deinceps universim omnes in prima commendatione habent oboedientiam, ita ut ex ea collegerint vitae coenobiticae praestantiam. In Instituto tamen S. Pakhomii nondum videntur usu venisse vota *formalia* [3]; nec vita erat perfecte communis, nec stabili vinculo monasterio devinciebantur monachi. Nihilo minus, unius Superioris generalis auctoritate et bis in anno celebrandis conventibus universalioribus monachorum [4], iam magis ibi accedebatur ad modernos Ordines religiosos quam per regulam recentiorem S. Benedicti.

Clericatus.

Pro fine intento, monachi dignitate clericali minime opus habebant, potiusque, ex humilitate et fuga tumultus ac negotiorum, animo erant ab isto honore atque onere alieni. Quia tamen solebant anachoretae in sabbatis et Dominicis simul convenire ad sacra participanda, non paucae congregationes proprio uti coeperunt sacerdote. Quod multo magis opus fuit his qui vitam agebant coenobiticam. Mox plures monachi abducti sunt ab episcopis ut fierent sacerdotes vel diaconi [5], et nonnulli etiam, vel reluctantes, episcopali aucti sunt dignitate. Commemorandi sunt hoc loco S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ioannes Chrysostomus, qui ante suum sacerdotium exemplo honestarunt vitam religiosam quam deinde, facti Episcopi, tantopere hortationibus suis propagarunt. Ipsa ceterum S. Bibliorum lectione, ad suam ipsorum utilitatem primum assumpta, inducti sunt monachi, sive sponte sua, sive iussi a suo « Pharaone » ecclesias-

---

[1] Oltarjefskij, p. 11.

[2] Cfr. Ladeuze, *Étude sur le cénobitisme pakhomien*, p. 285. 286.

[3] Formulam votorum videtur primus induxisse celeber S. Pakhomii aemulus, Schenute. Cfr. Leipoldt, *Schenute von Atripe und die Entstehung des national aegyptischen Christentums*, Leipzig, 1903. (Opus non vacat praeiudiciis acatholicis.)

[4] Cfr. de Instituto S. Pakhomii. Ladeuze op. cit. p. 285-288 et Butler, *The lausiac history*, etc. p. 234-237.

[5] Egregium huius rei monumentum habemus in cit. epist. S. Siricii ad Himerium. In c. enim XIII declarat Pontifex : « Monachos quoque, quos tamen morum gravitas et vitae ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus. » (M. P. L. t. 13, c. 1144.) Atque in conciliis orientalibus saec. V et VI, praeter eos qui subscribebant mere ut pertinentes ad ordinem monachorum, nomina legimus plurium monachorum qui simul aucti erant sacerdotio vel diaconatu. Ita, ex 22 archimandritis qui consignarunt damnationem Eutychetis, 18 sese profitentur sacerdotes. Cfr. Labbe-Mansi, t. 6, c. 751-754.

tico [1], ut in theologicas controversias se insinuarent. Quod si quandoque errorum atque haeresium fuere fautores, plerique tamen non parum christianae reipublicae profuerunt, iamque saec. IV apparent utilissimi Episcoporum adiutores in defendendo et praedicando Evangelio vel patrocinando iis quos iniqua vexabat calumnia vel principum persecutio [2].

Ius regulare.

3. Peculiaris iuris prima vestigia habemus in variis canonibus c. Gangrensis (c. 330) qui virginibus, continentibus, iis qui saecularia negotia dimittunt, plura praecipiunt, ne religionis obtentu deserant officia coniugalia vel pietatis erga parentes vel filios; ne contemnant statum communem, ne insolescant in vestitu singulari, etc. [3]. Synodus vero Alexandrina, a. 362, auctore S. Athanasio, solitariis Aegypti observanda praescripsit quae traditione continebantur maiorum [4]. Synodus Caesaraugustana (380) can. 6, vetat ne per speciem monachatus clericus quaerat sibi liberiorem vivendi modum; Africana V (401) prohibet ne Episcopus ordinet clericum qui pertineat ad monasterium alterius dioecesis; conc. Hiberniae sub S. Patricio (c. 450) inhibet can. 9 cohabitationem monachorum et virginum. Canone 4 conc. Chalcedonensis (451) exigitur assensus Episcopi ad legitimam monasterii erectionem [5]. Iam dicebamus modo de conciliis quibus libera vindicata est abbatum auctoritas. Quae exempla satis sint ad ostendendum qua via perventum sit ad proprium religiosis constituendum regimen.

II. De Monachis Basilianis et Benedictinis

Regula S. Basilii.

43. Clarum illud lumen orientalis Ecclesiae, S. Basilius Magnus (331-379), in modum responsorum ad dubia, duplicem conscripsit codicem regularum, quae, maxima refertae sapientia, ea tradunt religiosae vitae principia quibus ubique, etiam hodie, sublimis religiosorum declaratur philosophia. Has ante oculos suos proposuere quotquot deinceps monachis formam vivendi praescripserunt [6]; has adhuc profitentur fere omnia monasteria ritus orientalis, sive romanae adhaereant unitati, sive schismate sint a catholica communione avulsa. Praeter enim paucos, qui S. Antonii vel S. Pakhomii vivunt

[1] Cum Archiepiscopi sui caeco satis impetu partes sectarentur, interdum accidit ut, pro diversis Praesulum studiis, modo verae fidei, modo haeresi patrocinarentur monachi orientales.

[2] Besse, *Les moines d'Orient*, c. 17 et 19.

[3] Hefele, *Conciliengesch.* I, 753, 758. Cfr. Harduin I, 536-538.

[4] Cfr. Revillout, *Le conc. de Nicée etc.* t. 2, p. 459, 460, 475-489.

[5] De his conciliis cfr. Harduin, I, 806. 988. 1791; II, 602.

[6] Namque ad Latinorum cognitionem eas transtulit Rufinus, ex utrisque S. Basilii regulis conficiendo tertiam, ducentis tribus constantem responsis. Cfr. Spreitzenhofer, p. 41.

legibus, ceteri omnes sunt Basiliani. Cfr. Papp-Shilágyi, *Enchiridion iuris ecclesiae orientalis catholicae*, § 161.

Duplici constat serie responsorum.

Ex regulis istis priores, numero 55, dicuntur (κατὰ πλάτος) *fusius tractatae* [1], quia explicatius res proponunt, licet summa sit brevior quam alterarum (κατ' ἐπιτομήν) *brevius tractatarum* [2], quae sunt 313. Et hae quidem dubia solvunt magis particularia ; utrumque tamen genus versatur in virtutibus colendis, status officiis, morali institutione ac disciplinae perfectionis ratione intima, potius quam definit vel describit diurnum vivendi ordinem.

Regula S. Benedicti.

44. Occidentalis monachismi Patriarcha fuit S. Benedictus, Nursiae in Umbria anno 480 natus, qui, non sine divino consilio et instinctu Spiritus sancti, humanam simul industriam minime aspernatus nec modicum lumen mutuatus ex regulis S. Basilii et S. Augustini et ex Cassiani libris [3], « scripsit monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam [4] » quae ab octavo ad medium saeculum XII communis monachorum evasit norma vivendi, ita ut prae aliis uno *Regulae* nomine designaretur.

Notae propriae.

Haec, omnium prima, continet, praeter principia spiritualis conversationis, diurnas exercitationes quae monasticae vitae referunt imaginem, atque, ut aliquid praecipuum, vult monachum *stabiliter* voti nexu monasterio addictum.

Praecipuae reformationes :

Ut est humana fragilitas in laxiores mores prona, et vitae regulari aeque adversari solent divitiae et exteriores turbae, tunc temporis frequentissimae, pluries necesse fuit monachos ad pristinam morum severitatem revocare. Hinc in Ordine S. Benedicti variae Reformationes quae, plurium monasteriorum factae communes, Ordinem istum in varias dividere congregationes coeperunt.

S. Benedicti Anianensis,

Opus sanctae restitutionis magno aggressus est zelo S. Benedictus Anianensis († 821), qui ex collectis undique monachorum usibus, illustrem composuit *Concordantiam regularum*. Ipsis tamen adiunctis prohibiti sunt diuturni fructus istius conatus.

Cluniacensis,

Pervulgata est reformatio Cluniacensis, qua alter abbas istius monasterii, S. Odo (927-942), condidit congregationem quae deinceps adeo floruit, ut ineunte saec. XII ad 2000 monasteria satis arte subiunxerit imperio Abbatis monasterii principalis.

Cisterciensis et Trappensis.

Cisterciensis reformationis, saec. XI, praecipuum lumen ac decus fuit S. Bernardus. Ex Cisterciensium stirpe exstitere

---

[1] Migne, P. G. t. 31, c. 890-1052.

[2] Migne, ibid. c. 1079-1306.

[3] Ipse S. Benedictus memorat opera Cassiani et regulam S. Basilii in postremo capite, 73, suae regulae ; usum vero documentorum S. Augustini probat Besse, *Le Monachisme africain*, p. 51.

[4] S. Greg. M. *Dialog.* l. 2, c. 36. M. P. L. t. 66. c. 200.

et nati sunt PP. Trappenses, qui, auspice Leone XIII, recens pristinam unitatem recuperarunt, religionemque constituunt sui iuris, cui nomen : *Ordo Cistercensium Reformatorum Beatae Mariae Virginis de Trappa* [1].

Commemoranda etiam videtur magna reformatio inducta a Benedicto XII per const. *Summi Magistri*, 20 iun. 1336.

Religio Camaldulensis.

Ad regulam S. Benedicti, non tam reformationis quam severioris cultus studio, referuntur etiam *Congregatio Camaldulensis* [2] quae, auctore S. Romualdo († 1027), eremiticum profitetur genus vivendi temperatum communibus Institutis et oboedientia uni capiti praestanda; tum *Congregatio Vallombrosana* [3] quam S. Ioannes Gualbertus († 1073) condidit ea mente ut utriusque vitae, eremiticae inquam et coenobiticae, coniungeret commoda. Religio ista insignis fuit indefessa sua opera ad depellendam simoniacam labem ab ecclesiis Italiae, primaque, ad res temporales curandas, usa est *fratribus conversis*, quibus mitior indita est disciplina.

Religio Vallombrosana.

Religio Carthusiana.

Rigore vitae celeberrima praeterea est religio Carthusiana [4], quae a° 1084 parentem habuit S. Brunonem Coloniensem propriisque regitur *Consuetudinibus Carthusiae* collectis et compositis a quinto Maioris Carthusiae Priore cui nomen Guigo. Qui ordo gloriatur se numquam esse reformatum.

Ratio utriusque monachismi.

45. 1. Regulae S. Basilii et S. Benedicti intactam servant *intentionem vitae monasticae*, qua monachi mere cogitant perfectiorem exercere religionem, i. e. evangelica consilia moribus et conversatione exprimere. Quae porro sanctitas ab ipsis ponebatur in caritate [5], intima coniunctione cum Deo, ad quam assequendam deponenda erat omnis saeculi sollicitudo, et absoluta colenda renuntiatio rerum et affectuum [6]. Quare disciplina eorum vertebatur praecipue oboedientia [7] et oratione, nominatim psallendis Deo laudibus, quas interrumpere solebat honestus labor.

Intentio vitae.

Ministeria sacra.

Per accidens, si res postulare videbatur vel opportuna dabatur occasio, spiritualia ministeria non detrectabant. Plures e monasteriis assumpti sunt Episcopi, immo Summi Pontifices, et prodiere viri apostolici qui non minus moribus quam verbis Evangelium disseminarunt. Tales fuere qui, duce S. Gregorio Magno missi sunt in Britanniam maiorem.

Forma exterior.

2. Quod ad *regimen* seu *formam exteriorem*.

a) Minime cogitabant Patriarchae monachorum de in-

---

[1] Cfr. Breve *Pastoralis Muneris* 17 mart. 1893. *N. R. Th.* t. 25, p. 256 sqq.
[2] Cfr. Hergenröther, etc., *Kirchenlexicon*, v. *Camaldulenser*.
[3] Cfr. op. cit. v. *Vallumbrosaner* et *Iohannes Gualbertus*.
[4] Cfr. op. cit. v. *Bruno von Köln, Karthaüserorden*.
[5] Cfr. S. Basil. reg. brev. 157. 221. 222.
[6] Cfr. S. Basil. reg. fus. tract. 8, n. 3, et reg. brev. 2. 234.
[7] Cfr. reg. S. Benedicti, prologum.

stituendo aliquo collegio, quod, sub uno capite, multas ubique domus membrorum instar complecteretur. *Nulla magna Universitas.*

Qui Ordinem condebat mere tradebat vivendi normam, qua, si vellent [1], monachi uterentur ad mores perficiendos, fere sicut ex Ordine liturgico sacerdotes accipiunt rationem litandi et sacras obeundi functiones. Atque ipse *Ordo monasticus* non designabat nisi universitatem eorum qui Christi scholam absolute sectabantur. Modernas Ordinum rationes praepararunt Cluniacensis reformatio et Cisterciensis, cum unius supremi Abbatis imperio obnoxias facerent omnes domus ; simul tamen ipsis obici potest recessus aliquis a mente S. Benedicti [2].

b) Quam diu singula monasteria constituta sunt separatim nec partes evaserunt maioris Universitatis, minus necesse fuit eos Ordinariorum legibus subducere. Itaque monachi communem reliqui populi [3] debebant Episcopo oboedientiam. *Iurisdictio Episcopi.*

c) Si omittimus Instituta quae SS. Episcopi eo fundarunt consilio ut ex religiosa disciplina sanctiores sibi asciscerent ministros, non *per se*, sed *per accidens*, iidem qui monachi, erant clerici, ita ut per aliquod tempus prohibitum fuerit ne monachi clericatum susciperent [4]. Necessitas autem monasterii vel evangelicae missionis cogebat ut ascenderent ad sacros ordines [5]. *Clericatus.*

d) Communi prece quae statis temporibus fundebatur, suadente etiam versu Psalm. « Septies in die laudes dicam tibi Domine », inducta est paulatim nostra horarum canonicarum forma [6].

e) Studiis quidem vacabant monachi, minime tamen ex instituto ; pia autem lectio, quam etiam suadebat regula S. Benedicti, iam quibusdam studiis litterarum potuit sternere viam, sicut institutio puerorum, quos a parentibus oblatos recipiebat S. Benedictus, initium fuit scholarum claustralium.

1

[1] Quare nihil obstabat quin idem monasterium mutaret regulam ve plures simul admitteret.

[2] Cfr. D. Gasquet, *Saggio storico*, p. 9. 13. 20. 44.

[3] Populi, inquam, non specialem cleri : Cfr. documenta supra, **42**, 2, recitata.

[4] Besse, ibid.

[5] Saec. VI et VII ecclesiae celticae non habuerunt clericos quos vocamus saeculares.

[6] Duchesne, *Les origines du culte*, p 433 fine. Rationis qua celebrabatur officium divinum a monachis Aegyptiacis et Palaestinensibus testem praecipuum habemus Cassianum, *Collat.* 2 et 3 (Butler, op. cit. p. 204) ; auctorem vero S. Basilium, reg. fus. tr. 37 (Besse, op. cit. p. 334. 335). Fuere etiam in Oriente monasteria in quibus indesinenter resonabat Psalmorum cantus. Ad hos pertinent monachi abbatis Alexandri in Syria, saec. V, qui etiam, in aliquo saltem monasterio, dicti sunt *Acemetae*. (Besse, op. cit. 46, 47 ; conferend. cum Ladeuze, *Revue d'hist. eccl.* 1900, p. 513 not.)

Tunc tamen monachi de litteris bene mereri coeperunt, postquam imitati sunt Cassiodorum (477-570), qui, in monasterio a se prope Vivarium exstructo, scientificis artibus et exscribendis codicibus monachos addixit.

III Parergon. De religiosorum istius aetatis ratione secundaria

Peculiaris disciplinae origo.

46. Iam vidimus non in sola orientali Ecclesia, verum etiam in occidentali, celeberrimos episcopos et doctores fuisse simul religiosae vitae professores et propagatores. Quod peculiari disciplinae religiosae viam paravit. Namque

S. Eusebius Vercellensis.

S. Eusebius Vercellensis († 371) studio impulsus reformandi ecclesiasticos mores, in propria domo cum clero suo vitam

S. Augustinus.

egit monachalem ; quod imitatus est S. Augustinus. Is iam pridem cum quibusdam discipulis « Dei servum » se fecerat, prius Tagasti in paterna domo, — quam solam ex bonis suis retinuerat, — tum in Hipponensi urbe, ubi reluctans ordinatus est sacerdos. Itaque, post cooptationem suam in Episcopum, haec de se testatus est : « Volui habere in ista domo episcopii mecum monasterium clericorum [1]. » Quare, etsi nondum variae tunc religiones distingui possunt, in hac tamen specie deprehendimus, post exemplum S. Eusebii Vercellensis, collegium clericorum qui, ut ipse ait S. Augustinus, binas res professi sunt « et sanctitatem et clericatum [2] ». Ex monasteriis hipponensibus decem saltem prodierunt episcopi sanctitate et doctrina conspicui.

§ 4. *De canonicis regularibus* [3]

Genesis istius Instituti.

47. Ad exemplum S. Eusebii Vercellensis et S. Augustini, coeperunt plures antistites inter ecclesiae suae clerum inducere vitam communem, proposita regula quae ex sacris conciliorum canonibus magnam partem erat desumpta. Omnium celeberrima ea est quam a° 766 Metensis Episcopus

Regula S. Chrodegangi.

S. Chrodegangus suis clericis praestituit ; quae deinceps in variis locis est admissa. Ita factum est, ut clerici ecclesiarum tum cathedralium tum principalium dicti sint *canonici*, non solum quia nomina habebant rescripta in albo seu matricula cuiuspiam ecclesiae [4], verum etiam quia ad praescriptum certae regulae seu *canonis* communem vitam degebant. Qui etiam solebant communiter in ecclesia laudes Deo psallere.

---

[1] Sermo 355. M. P. L. t. 39, c. 1570.
[2] Ibid. col. 1573.
[3] Cfr. Hélyot, op. cit. t. 2. Hergenröther etc., *Kirchenlexicon*, v. *Canonici Regulares, Kreuzherren, Norbert.*
[4] Cfr. C. Nicaen. (325) c. 16 ; Aurel. (541) c. 13.

Institutum istud plurimum fuit commendatum, immo firmatum conciliorum sanctionibus, nominatim Aquisgranensis (816). Clerici tamen isti carebant votis nec erant religiosi, ita ut vita *canonica* interdum vitae opponeretur *regulari*.

Canonici regulares et saeculares.

Saeculo autem x, salutaris ista disciplina coepta est dilabi, et, dimissa vita communi, fieri inter clericos partitio beneficiorum. Cui mitiori disciplinae quo firmius obsisterent, alii addiderunt vitae communi abdicationem privatae possessionis. Ita, saec. xi, nati sunt *canonici regulares*, qui vitam communem cum professione paupertatis coniungebant ; et divisio facta est inter eos et *canonicos regulares*, lege communis vitae solutos.

Regularium canonicorum singulae domus in initio sui quaeque erant iuris. Deinceps, inter monasteria communis originis vel reformationis, vinculum est inductum, nataeque sunt plures eorum congregationes.

Universalem canonicorum regularium reformationem ordinavit Benedictus xii, Constitutione *Ad decorem* (15 maii 1339).

Hodiernae Congregationes.

48. Ex his canonicorum congregationibus paucae numero supersunt, quas breviter recensemus :

Lateranensis.

a) *Canonici regulares Lateranenses* vel de *SS. Salvatore*, quorum origo repeti posse videtur ab Alexandro ii, qui, circa 1063, canonicos Basilicae SS. Salvatoris (seu Lateranensis) composuit ad vitam regularem. Reformati sunt (1396) a B. Bartholomaeo Colonna, atque saeculo proxime elapso (1823) sibi asciverunt *Canonicos regulares Rhenanos*. Sixtus v porro decrevit, ut, quamvis ab Ecclesia Lateranensi discessissent, ab eadem tamen ductum retinerent nomen. Ad harum quasi genus adscribi possunt *Canonici Immaculatae Conceptionis*, quorum recentissima est formalis origo (1887).

Praemonstratensis.

b) In Belgio potissimum floret Institutum canonicorum *Praemonstratensium* (1120), qui patris loco habent S. Norbertum episcopum Magdeburgensem.

Crucigerorum.

c) In Belgio etiam atque Hollandia exsistunt domus *Crucíferorum* vel *Crucígerorum*, quos 14 septembris a° 1211 instituit, in colle Clair-Lieu, prope Huttensem civitatem (Huy), Theodorus Cellensis (1166-1236).

Notae religionis canonicae.

Regulares isti, ut plurimum secuti sunt, praeter proprias Constitutiones, regulam quae ex scriptis [1] S. Augustini confecta, a sancto praesule nomen mutuatur.

In hoc Institutorum genere iam cernitur coniunctio clericatus cum professione religiosa, habeturque finis proprius

[1] Nominatim ex epist. 211 (alias 109) ubi monialibus forma vivendi a S. Doctore praescribitur, et ex serm. 355 et 356 de moribus clericorum. (M. P. L. t. 33, col. 958 ss. et t. 39, col. 1568 ss.)

Instituti, servitio alicuius ecclesiae et sacri cultus decore contentus.

d) In opere *Gerarchia cattolica* recensentur etiam *Canonici Crucigeri cum rubea stella* (ex Bohemia).

§ 5. *De Ordinibus Mendicantibus* [1]

Ratio propria istarum religionum.

Genesis.

Peculiares notae.

49. Ineunte saec. XIII, cum plures sectae haereticorum exprobrarent Ecclesiae labentem disciplinam, et apostolicam severitatem simulantes non paucos caperent ignaros, visum est ipso regimine vitae propulsare calumniam pestemque continere erroris. Hanc suscepere provinciam *Ordines Mendicantes*, quorum praecipui auctores fuerunt S. Franciscus Assisiensis et S. Dominicus. Ratio vero peculiaris illorum Ordinum his notis concrescit, ut, abiecta non privata tantum singulorum sed etiam communi Instituti possessione, colant, quantum consequitur ex primaeva Institutione [2], *paupertatem in communi*, ducantque *mixtum* contemplatione et sacris ministeriis *genus vitae*. Etenim uterque fundator addixit missionibus et praedicationibus religiosos suos, quorum praeterea plures in cathedris philosophiae et theologiae brevi coeperunt illustri esse loco.

Denique ad propriam huius generis Institutorum rationem pertinet etiam *collegialis* eorum *Institutio* ad modum Ordinis presse talis, ita ut omnes domus uni subsint regimini habeantque hierarchiam cuius caput est superior generalis.

Restat ut praecipuos iam demus mendicantes Ordines.

Fratres minores.

Ordo primus, secundus, tertius.

50. 1. Itaque S. Franciscus a° 1209 instituit Religiosos qui, ut ab humili suo conditore erant iussi, dicti sunt *Fratres Minores* S. Clara auctoritate mota S. Francisci, simile mulieribus creavit Institutum (1212), quod ita fuit *secundus Ordo S. Francisci*. « Tricamerata » evasit, ut, in 3 *parte historiali* scribit S. Antoninus, arca novi Patriarchae, postquam (1221) etiam inter saeculares vulgavit nonnullas religiosae vitae exercitationes quibus *Tertius* continetur *Ordo*.

Hanc regulam S. Francisci, quam, 29 nov. 1223, C. *Solet* confirmavit Honorius III, secundum privilegia a S. Sede concessa et suas quisque observantias S. Sedi probatas, profitentur :

---

[1] Cfr. Hélyot, op. cit. t. 7.

[2] Si enim excipias Fratres Minores de Observantia et Cappuccinos, huic regimini derogatum est a concilio Tridentino s. 25, c. 3, *De Regularibus et Monialibus*. Domus professae Societatis Iesu ac residentiae independentes prohibentur etiam habere sive reditus sive bona immobilia, nisi fere habitationem, ecclesiam et hortum. Suarez, *De Relig.* tr. 10, l. 6, c. 6, n. 15-17 ; Sanchez, *In Decal.* l. 6, c. 18, n. 11-15 ; Ciravegna, *De Paupertate* S. I. p. 11.

Fratres Minores. Merum istud *Fratrum Minorum* nomen acceperunt a Leone X, C. *Ite et vos* (1517), eorumque quattuor exstabant genera: *Observantes*, *Reformati*, *Excalceati* seu *Alcantarini*, *Recollecti*, sub uno antistite supremo, cui nomen *Minister generalis totius Ordinis Minorum*. Haec autem ad unitatem perfectamque vitae communitatem revocavit Leo XIII, C. *Felicitate quadam*, 4 oct. 1897, indito nomine *Ordinis fratrum Minorum*, sine ullo apposito.

Fratres Minores Conventuales, qui regulam sequuntur minus asperam, suumque sortiuntur nomen a maioribus quas incolebant domibus.

Fratres Cappulati seu *Cappuccini*, quorum strictam ac primis initiis eremiticam disciplinam, a° 1526, induxit Matthaeus Baschi.

Exstat etiam *Tertius Ordo regularis S. Francisci*, cuius origo repetitur ab anno 1521.

Fratres Praedicatores.

51. 2. S. Dominicus, qui iam ab a° 1206 coegerat sanctimoniales, a° 1215 pater exstitit novi Ordinis Mendicantis, qui scientiis sacris et praedicationi vacaret: unde dicti *Fratres Praedicatores*. Approbati sunt C^e *Religiosam* Honorii III, 22 dec. 1216.

Carmelitae.

52. 3. In eodem saeculo XIII, ex Asia in Europam transcenderunt *Carmelitae*, qui primitus eremiticam vitam colebant, sed, auctore Innocentio IV (1245), coenobiticam adoptarunt, licet eremiticae professionis quaedam vestigia retinerent. Ob priorem regulam, quam (1208 vel 1209) *Albertus*, patriarcha Hierosolymitanus, iis conscripserat, a nonnullis inter *Basilianos* monachos ponuntur; sed alteram postea (a medio saec. XIII) professi sunt regulam atque a° 1245 cooptati in Mendicantes. Eorum Institutum confirmavit, a° 1247, Innocentius IV C^e *Quae honorem*, ut *Ordinem Beatae Mariae Virginis a Monte Carmelo*. Notissima est huius ordinis reformatio feliciter a° 1563-1568 peracta a S. Theresia a Iesu.

Eremitae S. Augustini.

53. 4. E variis *Eremitarum* congregationibus Alexander IV, C. *Licet*, 2 maii 1256, composuit unum corpus, cui data est regula S. Augustini (n. **48** c.). Quare isti religiosi vocantur *Eremitae S. Augustini*.

Quattuor istae religiones vulgo nuncupatae sunt *quattuor Religiones mendicantium*.

Servi B. M. V.

5. His postea, ut quintus ordo mendicans, additus est Ordo *Servorum. B. M. V.* (1256).

Minimi, etc.

In Mendicantibus referuntur etiam *Minimi Eremitae S. Francisci de Paula* (1474); *Mercedarii* (1218): *Trinitarii excalceati* (1599); *Eremitae S. Hieronymi* (1571); *Hospitalares S. Ioannis de Deo* (1572); *Ordo Paenitentiae* (vulgo *Scalzetti*, 1784).

§ 6. *De Clericis regularibus* [1]

Clerici regulares.

54. Ex vinculo quo principali ecclesiae erant obstricti, facile coeperunt canonici nomine aliquam praeferre dignitatem, simulque, prae ceteris clericorum officiis, incumbere

Genesis.

potissimum in communes Dei laudes et divini cultus maiestatem.

Apostolica studia magis placuerunt mendicantibus, qui nondum tamen omnia amplectebantur clericalia officia.

Qui igitur professioni religiosae clericalia munia in universum coniungere cogitarunt, simulque a dignitatis nomine abhorrebant, non iam *canonici,* sed *clerici regulares* sunt appellati. His susceptio clericatus est inter media quibus finem persequuntur sui Instituti.

Nota peculiaris.

Clericatus ergo, qui Monachis est aliquid subsicivum, a Mendicantibus vero aeque ac regula intenditur. Canonicis et Clericis regularibus fit quodam modo caput, ita ut apud eos potius regula accedat clericatui, quam is regulae.

Theatini.

55. 1. Hoc vitae genus primi amplexi sunt *Theatini*, quos a° 1524 *S. Caietanus* coepit condere, una cum Petro Caraffa qui dein fuit Paulus IV.

Barnabitae.

2. *Barnabitae* vero (seu *Clerici regulares a S. Paulo*), 1533, Mediolani modo satis universali studuere spirituali proximorum utilitati ; iuventuti alendae operam dederunt, et iam quodam voto de non ambiendis dignitatibus se obstrinxerunt. Horum parens est S. Antonius Maria Zaccaria.

Regulares Somaschae.

3. Hos exceperunt clerici regulares *Somaschae* seu *S. Maioli*, quos, 1532, *S. Hieronymus Aemilianus* orphanis instituendis devovit. Institutum est approbatum a° 1540, et confirmatum cum votis sollemnibus a° 1568.

Societas Iesu.

4. Ad hanc *Religionum* classem pertinet *Societas Iesu*, quae a° 1540 ut Ordo religiosus coepit exsistere. Simili fere ratione qua Mendicantibus propositum fuit haereticorum impugnare partes simulque eorum repellere criminationes, societas ista superbiae Neotericorum, qui Romani Pontificis imperium abiciebant, specialis obsequii contrarium studium opposuit, et quo melius retunderet calumnias quibus Ecclesiam turpis insimulabant avaritiae, abiudicavit a se stipendia sacrorum ministeriorum. Quae cum nec proprio uteretur habitu, nec chori teneretur obligatione, nec sollemni professionis pactione mutuum inter se et alumnos omnes induceret vinculum, etiam quibusdam catholicis viris visa est a propria Religionis ratione deficere, variisque obnoxia querelis. Has omnes ob-

[1] Cfr. Hélyot, op. c., t. 7.

trectationes redarguit et prohibuit Gregorius XIII, B. *Ascendente Domino*, 25 maii 1584 [1].

Ministri infirmorum.

5. Post eam, a° 1591, *S. Camillus de Lellis* instituit *Clericos ministros Infirmorum.*

Clerici minores.

6. Afferendi etiam sunt: *Clerici minores* (1588), quos *S. Franciscus Caracciolo* instituit;

Clerici scholarum piarum.

7. *Congregatio Paulina Clericorum regularium pauperum Matris Dei scholarum piarum*, saepe breviore nomine appellati *Clerici scholarum piarum (Scuolopi, Piaristen)*, quorum fundator est *S. Iosephus Calasanctius* (1621-1663).

Clerici regulares a Matre Dei.

8. *Clerici regulares a Matre Dei* (1621), instituti a *B. Ioanne Leonardi* († 1621).

Plures ex cleric. regul. sunt Mendicantes.

Regularibus clericis studium paupertatis, quam Christus apostolicis viris commendavit, minime repugnabat. Unde nonnullae Religiones clericorum regularium, etiam *paupertatem in communi* sunt professi et sic simul exstiterunt religiones Mendicantium, quamvis, quia praecipua eorum intentio ferebatur in spiritualem proximorum utilitatem, Mendicantium nomine non definirentur.

A. S. Pio V, per Bullam *Dum indefessae*, 7 iul. 1571, Societas Iesu declarata est Ordo Mendicans.

§ 7. *De Congregationibus religiosis* [2]

Quae res subiiciantur voci congregationis.

56. Varia fuit vis verbi *Congregationis*. Namque designavit:

Coetus monachorum;

1. *Coetum* seu *coitionem monachorum*. Cfr. Cassian. Coll. 2ª Praefatio; S. Benedicti regulam c. 17 [3].

Consociatio plurium monasteriorum,

2. *Consociationem plurium monasteriorum*, qua morali saltem coniunctione coeptae sunt copulari domus quae ab una praecipua originem trahebant vel eandem recipiebant reformationem. Prioris generis fuit iam a° 1080 congregatio Hirsaugiensis [4] (Hirschau, Würtemberg), Ordinis S. Benedicti, in quo plures adhuc exstant huiusmodi Congregationes: e. c. Cassinensis, Beuronensis. Ad alterum genus referri possunt Congregatio Cluniacensis, Cisterciensis, quae potius tamen peculiares sunt Religiones.

In ordine S. Benedicti;

Congregationes huiusmodi auctae sunt numero ex quo plena exemptione frui iam non est concessum nisi iis monasteriis quae plura simul universalioris cuiuspiam capituli obtemperabant legibus.

---

[1] *De Societate Iesu*, cfr. Heimbucher, op. cit. t. 2, p. 34-247.

[2] Cfr. Hélyot, op. c. t. 8.

[3] Quot requirantur ad huiusmodi congregationem, cfr. commentaria huius regulae a Martene, apud M. P. L. t. 66, c. 465, 466.

[4] Monasterium istud verum fuit seminarium Abbatum. Cfr. Hergenröther etc. *Kirchenlexicon*, v. Hirschau.

Societas clericorum vel laicorum :

3. *Societates* sive *clericorum* sive *laicorum*, quae, ad peculiarem assequendum finem pietatis vel caritatis, accedunt ad Religionum rationem sed ab ea aliquo modo deficiunt, sive quia desideratur aliquod votum substantiale saltem perpetuum, sive quia vota a nullo superiore nomine Ecclesiae acceptantur. Hae nunc presse dicuntur *Congregationes ecclesiasticae* vel *saeculares*. Tempore prima fuit *Congregatio Oratorii* quam, sine votorum obligatione, Romae (1566) condidit S. Philippus Nerius : quod Institutum imitatus est in Gallia (1611) Card. Bérulle. *Presbyteri Missionis*, vulgo dicti *Lazaristae*, quattuor faciunt vota simplicia paupertatis, castitatis, oboedientiae et stabilitatis, quae, etsi reservata sunt Sedi apostolicae, a nemine tamen nomine congregationis vel S. Sedis acceptantur : quare, ex sententia S. Vincentii a Paulo eorum parentis, definivit Alexander VII, Br. *Ex commissa* [1], 22 sept. 1655 : « Haec congregatio sit de corpore cleri saecularis. » Puellae vero seu Sorores dictae a caritate, ab eodem S. Vincentio iussae sunt in singulos tantum annos nuncupare vota.

Congregatio Oratorii,

Presbyteri Missionis,

Sorores a caritate ;

Congregatio religiosa presse dicta.

57. Proprie autem nomini *Congregationis religiosae* subiciuntur Instituta quibus inest essentia status religiosi favetque S. Sedis assensus, non autem concessa est votorum sollemnitas.

Genesis simplicis professionis.

Diu omnium religiosorum vota fuere sollemnia.

Simplicibus votis obstringi coepti sunt Tertiarii S. Francisci vel S. Dominici qui communem agebant vitam. Huiusmodi mulierum communitates, quia lege clausurae solutae erant, omnino abolere voluit S. Pius V, C. *Circa pastoralis*, 29 maii 1566, incepto tamen ex parte irrito. Quae superfuere mox sunt toleratae a S. Sede. Similes habuere vices coetus virorum Tertiariorum, quibus idem Pontifex, C. *Lubricum vitae genus*, 17 nov. 1568, interdixerat communem sine sollemnibus votis vitam.

Interea tamen S. Ignatius voluit in sua Societate esse, praeter sollemniter professos, alios simplicibus tantum votis obstrictos.

Tempora etiam, quae plures sollemnium votorum impediebant effectus, id effecerunt, ut non tantum tolerare sed fere nova non approbare coeperit S. Sedes Instituta, nisi exclusa votorum sollemnitate.

Institutis istis communes leges praescripsit primus Leo XIII, C^e *Conditae a Christo*, 8 dec. 1900. Ex eadem Constitutione Instituta ista locum plane authenticum in Ecclesia habere coeperunt.

Variae Congregationes religiosae.

58. Has inter Congregationes, quae in dies fiunt frequentiores [2], satis nobis sit memorasse :

Congregationem Doctrinae christianae, a Caesare de Bus (1592),

[1] Eodem Brevi plene eximitur ab Ordinariorum iurisdictione.

[2] Multae numerantur in *Analecta iuris pontificii*, ser. 5 (1861), col. 62 sqq.

et *Congregationem Fratrum Scholarum christianarum* (1679), a S. I.-B. de la Salle addictas pauperum institutioni ;

Congregationem Clericorum Discalceatorum Crucis et Passionis D. N. I. C. institutam a S. Paulo a Cruce et a° 1741 primum approbatam ;

Congregationem presbyterorum sub titulo Sanctissimi Redemptoris, quae patrem habuit S. Doctorem Alphonsum de Ligorio, rettulitque a° 1749 approbationem Benedicti XIV.

Congregationem prosperrimam *Missionariorum Immaculati Cordis B. M. V.*, dictam a Scheutveld (prope Bruxellas) quae 16 sept. 1888 est approbata.

§ 8. *De quibusdam Institutis peculiaris rationis* [1]

Istarum religionum communis ratio.

59. Hoc nomine significamus religiones quae quidem ad supra dictas congregationes referuntur, sed ab iis discrepant vel *fine peculiari* quo, quantum saltem colligitur ex prima origine, novae et insolitae christianae reipublicae necessitati erant intentae ; vel *defectu alicuius notae* quae per se ad religionum genus censetur pertinere.

Varia genera.

60. Sunt potissimum :

Ordines ad redimendos captivos.

1. Binae religiones *SS^ae Trinitatis Redemptionis Captivorum (Trinitarii)* et *B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum (Mercedarii)*, prior a S. Ioanne de Matha et S. Felice de Valois, altera a SS. Petro Nolasco et Raymundo de Pennafort conditae saec. XIII, liberandisque captivis addictae. Regula utuntur S. Augustini, ac recensentur inter Mendicantes. Notanda est hispanica reformatio Trinitariorum, exeunte saec. XVI (1594) peracta a *Ioanne Baptista de la Conception*, quae distinctae Congregationi ortum dedit.

Ordines Hospitalarii.

2. *Ordines Hospitalarii*, quos finis caritatis prohibet ne monachis, defectus autem clericatus ne alii generi plane assimulemus. Hi peculiarem curam habent Infirmorum. Iam saec. XII exeunte, religiosi et moniales *Congregationis a S. Spiritu in Saxia* se quarto voto, serviendi nempe pauperibus, obstringebant. Saec. XIII (1218) Honorius III vota religionis indulsit *Fratribus hospitalaribus* dictis *a S. Antonio*. *Fratres Cellitae* approbati sunt a Pio II, a° 1460. Omnium celeberrimi sunt *Fratres a S. Ioanne de Deo* (1572), qui accensentur Mendicantibus et aliquot habere solent sodales sacerdotio auctos, qui infirmis spirituale subsidium afferre valeant.

Ordines Militares.

3. *Ordines militares*, qui per arma causae Christi serviebant. Inter hos, Ordo *Equitum Melitentium*, antea appellatus equestris ordo *S. Ioannis Hierosolymitani* (1118), atque Ordo *Equitum*

---

[1] Cf. Hélyot, op. c. t. 3. 4.

Teutonicorum (1190) vota religionis substantialia habent [1] et servant, immutato nunc fine speciali Instituti.

Militaris fuit Ordo Templariorum (1118) quos, ob importunas instantias regis Galliarum, Philippi Pulchri, exstinxit (1312) Clemens v in concilio Viennensi. Templariorum causa plures hodie nacta est patronos.

4. Huc etiam referri possunt Instituta quaedam recentiora quae substantialibus votis carent. Ita v. gr. celebris Societas *Missionariorum a Domina Nostra missionum Africanarum*, a Card. Lavigerie a° 1868 constituta. Hi a colore vestium saepe *Patres albi* vocantur ; nulloque voto religioso tenentur, sed iuramento oboedientiae. Verum *Sorores albae* tria habent vota substantialia perpetua.

§ 9. *De Ordinibus et Congregationibus mulierum*

Triplex genus.

61. Alia mulierum Instituta sunt veluti accessio quaedam Ordinis vel Congregationis virorum, cuius legibus quodam modo sunt obnoxiae censenturque participare rationem.

Secundi Ordines.

Huiusmodi sunt Moniales a S. Dominico, a S. Clara, a S. Coleta, a S. Theresia ; Sorores sub titulo SS. Redemptoris.

Alia sui iuris.

Alia propriam habent originem suique sunt iuris. Ita Moniales *Ursulinae*, quas 1544 condidit S. Angela Merici ; Ordo *Visitationis B. M. V.* qui (1626) auctores habuit S. Franciscum Salesium et S. Ioannam Fremiot de Chantal ; ita praesertim multae congregationes religiosae, quales sunt Sorores a SS. Corde.

Alia essentia carent status religiosi.

Alia denique carent essentia status religiosi. Iam indicavimus Sorores a Caritate. Similiter piae tantum feminae sunt Begguinae Belgii.

PARERGON. De vi atque usu quorundam verborum

Quomodo nominentur sodalicia religiosa.

62. 1. a) *Instituti* vox est universalissima, ita ut *religiosi Instituti* nomen conveniat tum ad omnem status religiosi veram rationem, tum ad quamlibet eius imitationem. Quare frequens fit mentio *Institutorum votorum simplicium*.

Institutum religiosum.

Ordo.

b) *Ordo,* ex propria vi vocis, dicit statum, condicionem personarum in Ecclesia [2] : qua ratione, iam 3° ineunte saeculo, S. Hippolytus *ascetas* in septem fidelium ordinibus, sexto loco, post sacerdotes, ante iustos sanctosque, refe-

---

[1] De ordine *Equitum Teutonicorum*, alias *Domo hospitali S. Mariae Teutonicorum in Ierusalem*, cfr. annotationes R. P. Nilles, S. I. Innsbruck. ZEITSCHRIFT, 1887, 186 sq., 398. De *Ordinibus* militaribus cfr. etiam Heimbucher, *Die Orden und Congregazionen*, etc. t. 1, p. 150, 226, 498.

[2] Kraus, *Real-Encyclopaedie der christlichen Alterthümer*, v. *Ordo*.

rebat [1]. *Ordo monachorum* vel religiosorum continet tunc religiosorum universitatem.

Verbum dein translatum est ad singula religiosorum genera seu collegia quae probata erant Ecclesiae. Probata, inquam : sine enim huiusmodi approbatione non est in Ecclesia status personarum, nedum sit status religiosus. Ex quo porro causa approbandi Instituta religiosa reservata est S. Sedi, et solis votorum sollemnium Institutis plena approbatio est concessa, consentaneum fuit *Ordinis religiosi* nomine sola designare Instituta cum votis sollemnibus. Haec igitur est hodie propria huius vocis significatio [2]. Nomine autem, prorsus falso Instituta votorum simplicium nuncupaveris *Ordines regulares.*

De Ordine Tertiariorum.

Universum genus eorum qui in saeculo profitentur se sectari christianam iustitiam secundum probatam regulam, quamvis nullo teneantur votorum nexu, merito etiam potuit Ordinis nomine honestari. Quare ii qui tertiam profitentur S. Francisci regulam ab ipsa S. Sede dicti sunt verum efficere *Ordinem Tertiariorum* [3], *saecularem* tamen, cum careant substantia status religiosi. Cfr. infra, parte IX, c. I.

Religio.

c) *Religio* per se idem sonat quod *forma cultus*. Quare, quotquot profitentur consilia evangelica diu dicti sunt profiteri religionem *perfectiorem* simplici ea quae communis est Christianorum [4], ac singulae rationes vivendi ad normam documentorum Evangelii appellatae sunt *religiones.*

Praesente usu Religio est nomen proprium Instituti cum votis sollemnibus.

Congregatio.

d) *Congregatio* primo, secundum verbi etymologiam, supposuit pro coetu aliquo religiosorum. Deinde plurium monasteriorum coniunctioni est inditum nomen, ut apparet in congregationibus Ordinis S. Benedicti.

Familia religiosa.

Hodie tamquam proprio nomine sic appellantur Instituta quae aliquo modo imitantur Ordines religiosos. Dicuntur etiam *Familiae religiosae* [5]. Porro haec sunt vel

Congregatio religiosa.

Congregationes religiosae presse tales, si approbatae sunt a S. Sede cum tribus votis substantialibus, non tamen sollemnibus ; vel

Congregationes religiosae latius dictae, si carent vel romana

---

1 *Fragmenta in Proverbia*, M. P. G. t. 10, c. 627.

2 Evenit ut latius transferretur ad Congregationem religiosam.

3 Sic in C. *Auspicato*, 17 sept. 1882, et *Misericors Dei Filius*, 23 iun. 1883, passim redit nomen *Ordinis saecularis*. R. P. Piat, I. 30, post Pellizarium, tr. 1, c. 3, n. 35, potius existimat hic Ordinis nomine venire modum vivendi certa regula et caerimoniis definitum.

4 Cfr. v. gr. Thomam Waldensem, *Doctrinale fidei*, t. 3, c. 75.

5 Ita v. gr. in C. *Conditae a Christo*.

approbatione [1], vel votis perpetuis vel aliquo ex votis substantialibus.

Pia congregatio, pia societas.

Piae congregationes, piae societates, si accurate loquaris, congregationes sunt improprie religiosae [2].

Congregatio ecclesiastica.

Congregationes ecclesiasticae dicuntur quae constant clericis, sive fuerint proprie religiosae sive improprie tantum.

Quibus nominibus appellentur domicilia.

63. 2. a) *Monasterium*, cui voci iam pridem subiciebantur cum singula monachorum tecta, tum vicus qui eorum coniunctione constituitur [3], in praesentia non dicitur proprie nisi de communi plurium domo [4] ubi viget clausura papalis, praesertim si, ut plerumque evenit, emittantur in ea vota sollemnia.

Monasterium.

Coenobium, conventus.

b) Communes domus signantur etiam nominibus, minus authenticis, *coenobii, conventus.*

Conservatorium.

c) *Conservatorium* seu *Beaterium* nuncupatur cum ipsa congregatio mulierum quae studiis et vita communi aemulantur moniales presse tales, solutae tamen sunt votis, saltem quae sint sollemnia ; tum ipsa domus in qua communem degunt vitam. Cfr. Ferrari, *Summa Institutionum canonicarum*, n. 240, 242.

Domus professorii.

d) *Domus professorii* est domus in qua versantur ii qui in Ordinibus religiosis triennalem experiuntur professionem simplicem.

De nominibus personarum.

64. 3. *Quod ad singulas personas :* a) *Regularis*, strictissime is solus est qui professionem fecit sollemnem ; — minus stricte, proprie tamen, ex *certo privilegio* [5], quotquot in Societate Iesu votorum simplicium nexu tenentur ; — lato sensu, novicius Ordinis religiosi presse talis.

Regularis.

Quid de simpliciter professis Ordinum.

Quid de iis qui alius Ordinis ac Societatis Iesu sunt *simpliciter professi ?* S. Congregatio noluit definire, atque incertum est inter scriptores, utrum proprie an late tantum sint regulares [6]. Prius tamen videtur praeferendum. Cfr. *Kirchenlexicon* v. *Congregationem*, col. 924.

Religiosus.

Religiosus strictissime idem est ac Regularis ; minus stricte

---

[1] Quibus hoc unum deest, hae satis proximae sunt congregationibus proprie talibus, ut De Angelis eas ad hoc ascripserit genus, l. 3, t. 31, n. 6.

[2] Cfr. resp. S. C. Ep. et Reg. 30 dec. 1838 apud Bizzarri, p. 880, nota.

[3] Cfr. S. Athan. *Vita S. Antonii* passim, v. gr. c. 14, 15 (M. P. L. t. 73, col. 134 sqq.) ; eiusdem epist. ad Dracontium, c. 7 ; Palladium, *Historia lausiaca*, c. 25 (M. ibid. col. 1122. 1123). Vicus monachorum vocabatur etiam μονή (cfr. Revillout, *Le concile de Nicée*, II. p. 461) vel *laura* (Besse, *Les Moines d'Orient*, p. 285). Communes virginum domus nominabantur παρθενῶνες (Vita Antonii, c. 3) ; et a S. Ambrosio appellantur sacraria virginitatis, tabernacula Christi, semel *monasterium virginale*. Cfr. Wilpert, op. c. p. 41.

[4] Monasteria ista appellata sunt a S. Augustino *diversoria sanctorum. De moribus Ecclesiae*, l. 1, c. 3 (Migne P. L. t. 32, c 1339, 1340).

[5] C. *Ascendente Domino*, Gregorii XIII.

[6] Cfr. Bizzarri, *Collectanea*, p. 801 nota.

est alumnus alicuius *Congregationis religiosae ;* late et *improprie*, est socius *piae Congregationis*.

Monialis, *Sanctimonialis*, strictissime est mulier quae nuncupavit vota sollemnia ; minus stricte, sed proprie etiam, est mulier quae, etsi sub votis simplicibus, clausura tamen papali continetur (religiosa claustralis) ; latiore sensu, vox aptatur ceteris mulieribus quae tamen substantiam vitae religiosae in Instituto a S. Sede probato retinent. Latissimo sensu, designarit mulierem piae Congregationis. *Monialis.*

Femina religiosa est vox propria ad hanc designandam. *Femina religiosa.*

Sororis nomen sat saepe usurpatur ut vox generalis ; quamvis magis proprie competat mulieribus non sollemniter professis. *Soror.*

PARS SECUNDA

DE IPSIS INSTITUTIS RELIGIOSIS

CAPUT I

DE PRIMA EORUM CONSTITUTIONE

Suarez, De Religione, tr. 7, l. 2, c. 15-17 ; ***Pellizarius,*** *Manuale regularium,* tr. 1, c. 2, n. 12-17 ; ***Schmalzgrueber,*** in l. 3, t. 31, n. 13. 20-22 ; ***Reiffenstuel,*** in l. 3, t. 31, § 1 ; ***De Buck-Tinnebroeck,*** *Examen historicum,* etc. c. 4 ; ***Bouix,*** *De Iure Regularium,* t. 1, p. 123-129 ; 186-243 ; ***Mélot,*** *De Ordinibus,* etc. c. 5 ; ***Piat,*** *Praelectiones iuris regularis,* t. 1, p. 16-22 ; ***Bizzarri,*** *Collectanea in usum secretariae S. C. Ep. et Reg.,* appendix 1, p. 828 sqq. ; ***Lucidi,*** *De visitatione sacrorum liminum,* t. 2, p. 255 sqq. ; ***Heimbucher,*** *Die Orden und Congregazionen,* t. 2.

Quarum causarum requiratur opera.

65. In condendo Instituto religioso, *tres conspirant causae.*

Christi,

1. Primae partes deferendae sunt *Christo ;* quippe qui auctor sit ipsius status religiosi et gratia sua pellere soleat piam hominis voluntatem, illustrato prius intellectu, ad peculiarem inveniendam formam vitae religiosae.

Scribebat propterea Pius VI [1] : « Regularium abolitio... laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum ; laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam, tamquam apostolicae doctrinae consentaneam : laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, *qui non nisi a Deo inspirati eas instituerunt societates.* » Itaque,

Fundatoris,

2. Secundo loco recensendus est *fundator,* qui peculiarem religionis rationem excogitat atque adrumbrat ;

Ecclesiae.

3. *Ecclesia* denique sua auctoritate huic sancto se immiscet consilio, quo illud probet atque Institutum aptis instruat iuribus ac privilegiis.

---

[1] Litt. *Quod aliquantulum,* 10 mart. 1791 (*Collectio Brevium atque instructionum Pii* VI etc., t. 1, p. 91).

De tertia illa causa nonnulla nobis declaranda sunt.

Qualis accedat oportet Ecclesiae approbatio.

66. 1. Forma quam *repudiat* Ecclesia, status perfectionis iam constitui nequit. Deficit enim essentialis oboedientia. Immo videtur opus esse ut *positivus* accedat assensus, saltem *tacitus* et *generalis*, quatenus Ecclesia acceptos habeat in universum eos qui honesta aliqua ratione disciplinam profiteantur perfectionis. Nequeunt enim visibilis societatis cives distribui nisi secundum eos status qui positive sint agniti.

Requiritur assensus positivus,

Non tamen formalis.

2. *Formalis* et diserta *approbatio* non videtur per plura saecula fuisse necessaria, donec C. Lateranense IV (1215), confirmatum Lugdunensi II (1274), prohibuit ne de cetero novae religiones invenirentur. De vi atque amplitudine istius prohibitionis, cfr. Bouix, *De iure regularium*, t. I, p. 193-209.

Post haec concilia, novum non potuit condi Institutum religiosum sine auctoritate S. Sedis, nisi forte assumeretur una ex probatis regulis.

Diu fuit reservatus S. Sedi nec concessus Institutis votorum simplicium.

3. S. Sedes porro, per pianas constitutiones [1] supra (**57**) recitatas, repudiavit Instituta votorum simplicium. Mox tamen tolerare coepit, quasi dissimulando, Tertiarios, qui communem vitam nexu simplicium votorum sanciebant. Quo factum est, ut hi coeperint episcopali niti iure et Episcopis dare ansam approbandi Instituta votorum simplicium. Qui mos ita invaluit, ut non soleat iam S. Sedes approbare Instituta nisi prius per aliquod tempus episcopali probata sint regimine. Ius istud episcoporum, quod, ex manifesta consuetudine, ambigi non poterat, recens authentico documento est promulgatum. C. dico Leonis XIII, *Conditae a Christo*, 8 dec. 1900. Cfr. *Supplementa & Monumenta* nostra, monumentum 2, p. 199 ss.

Quin immo, mutatis adiunctis, formalem iam iisdem Institutis non detrectavit approbationem ipsa S. Sedes, diu tamen adiecta clausula « citra approbationem conservatorii. »

Exempla approbationis romanae.

Primum exemplum huius approbationis romanae indicatur a Ferrari (n. 240) Breve Clementis XI, *Incrutabili* (13 iul. 1703), approbans *Constitutiones* virginum anglicanarum. Hanc excepit C. *Experientiae* Clementis XIII, qua, 6 sept. 1760, confirmata sunt Institutum et regulae speciales piarum virginum quae vulgo dicuntur *Matres* vel *Magistrae piae*. Deinceps probatae sunt plures aliae religiosae Congregationes sororum, ut *sorores a Sacratissimo Corde Iesu*, a° 1826 ; *Sorores a Bono Pastore*, 1835 ; *Sorores Cluniacenses a S. Ioseph*, 1854 ; *Parvae sorores pauperum*, 1854, etc.

Ad viros quod attinet, tempore priores fuere congregatio-

[1] CC. S. Pii V. *Circa pastoralis*, 29 maii 1566 et *Lubricum vitae genus*, 17 nov. 1568.

nes ecclesiasticae improprie religiosae. Huiusmodi sunt *Congregatio Oratorii* (S. Philippi Nerii) probata a Paulo V, 1612 ; *Presbyterorum Missionis*, quam, a S. Vincentio a Paulo conditam, Urbanus VIII confirmavit a° 1632 ; Congr. *Presbyterorum saecularium V. Holzhauser,* approbata a° 1680, post mortem fundatoris (1658) ; Congr. *Eudistarum*, 1643 ; Congr. *Presbyterorum S. Sulpicii*, 1642 ; Proprie vero religiosae sunt ; Congr. *Clericorum SS. Crucis et Passionis*, approbata a Benedicto XIV, a° 1741 ; Congr. *Sacerdotum sub titulo SS. Redemptoris,* confirmata a Benedicto XIV, a° 1749 ; Congr. *Fr. Scholarum christianarum,* confirmata a Benedicto XIII [1], a° 1724.

4. Denique, Motu Proprio 16 iul. 1906, *Dei providentis* [2], Ordinarii locorum prohibentur novum Institutum condere vel approbare, nisi prius S. Sedis licentiam obtinuerint.

Praesens disciplina. Religiones probat S. Sedes.

67. Itaque, ut brevi comprehendamus praesentem disciplinam Ecclesiae :

1. Religionem probare cum *votis sollemnibus* causa maior est quae reservatur Apostolicae Sedi.

Congregationes etiam Episcopus.

2. Institutum *votorum simplicium* approbat vel Episcopus, cum S. Sedis facultate, vel Romanus Pontifex.

Usus romanus.

Romana autem de his Institutis sententia :

a) Non solet intercedere nisi post prius quasi experimentum regiminis episcopalis ;

b) Variae est rationis, potissimum duplicis : vel enim continet meram recognitionem legum ac statutorum, vel impertit praeterea ipsi Instituto commendationem seu approbationem (C. *Conditae a Christo,* initio) ;

c) Non in hac quasi in ultimo sistit gradu, cum desideretur etiam absolutio et perfectio votorum sollemnium.

Diserta opus est approbatione.

3. *Diserta* religiosis opus est *approbatione ;* neque haec conceditur nisi iis qui in aliquod probatum Institutum asciscuntur. C. Ne nimia, 9 *De religiosis domibus* (III, 36). Cfr. Schmalzgrueber in l. 3, t. 31, n. 20.

Normas praestitutae Episcopo.

68. 1. Cavere debent Episcopi ut Constitutiones congruant cum Normis S. C. Episc. et Regularium (Mot. propr. *Dei Providentis*).

2. Ex C. *Conditae,* c. 1 : a) Ne sinant sine utilitate plura condi Instituta eiusdem rationis ; — vel aliquod fundari cuius victui non sit satis provisum ; — vel, nisi forte demas regiones Missionum, quod fine minus definito vel nimis universali distrahatur in disparia studia.

b) Difficiles se praebeant in approbandis sodaliciis quae stipe collaticia vivant.

c) Quod ad religiosas ; α) Ne permittant Episcopi earum

[1] Iam ante tamen (1687) ut Congregatio religiosa fuit approbata confraternitas Bethleemitarum, quae postea evasit Ordo religiosus.

[2] Cfr. PERIODICA nostra, t. 2, n. **133,** p. 127. Declaratur p. 101-104.

domus converti in diversoria, quae utriusque sexus peregrinos soluto pretio recipiant hospitio [1].

β) Sine maturo et severo consilio, ne comprobent familias muliebres quae diu noctuque adsint aegrotis in ipsorum domo ; — vel quae suas aedes destinent excipiendis aegrotantibus personis utriusque sexus, aut nominatim sacerdotibus.

In hunc finem specialem condita Instituta romanam approbationem non consequuntur [2]. Pariter spe consequendae romanae approbationis deiciuntur Sodalicia Sororum quae finem persequuntur gerendi quandam provinciam in seminariis clericorum vel aliis quibuslibet ecclesiasticorum virorum domibus vel collegiis masculini sexus ; vel docendi in scholis adulescentulorum vel utriusque sexus puerorum [3]. Immo in posterum iam non approbabuntur Instituta quasi duplicia, in quibus ad virorum Congregationem veluti accedit Institutum sororum [4].

Improbatur praeterea directa cura puerulorum in cunis vagientium, vel mulierum parturientium in domibus quae *Maternitates* vocantur [5].

Infallibilitas Ecclesiae in hac re.

69. Sollemne decretum quo suprema potestas Ecclesiae, h. e. Summus Pontifex sive solus sive in concilio oecumenico, probat, *pro tota Ecclesia*, aliquod Institutum ut *vere regulare*, continet, secundum communem sententiam, infallibile iudicium quo constat fidelibus hoc vitae genus non solum nullo inhonestatis vitio deturpari, verum etiam aptam munire viam ad evangelicam perfectionem. Cfr. Suarez *De Rel.* t. 7. l. 2, c. 17, n. 17.

Qua via S. Sedes approbet Instituta religiosa.

70. 1. Duplici utitur S. Sedes organo ad approbanda Instituta religiosa.

Per se res pertinet ad S. Congregationem *Episcoporum et Regularium*.

Congregationes competentes.

Si quae tamen vel nascantur in regione commissa S. Congregationi *Propagandae Fidei*, vel ad finem Missionum principaliter dirigantur, approbatio spectat ad S. Congregationem *Propagandae Fidei*, cui coniunctum est peculiare consilium ad istas causas deliberandas.

Varii gradus.

2. Non tantum solet S. Sedes postulare ut prius episcopali regimine explorata sit Instituti utilitas, verum etiam vult plerumque ut gradatim ad veram approbationem ascendatur.

---

[1] Cfr. de hac re litteras E^mi Card. Vicarii Urbis, 18 maii 1905. (PERIODICA, n. 74, t. 2, p. 11).

[2] *Normae secundum quas Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium*, art. 14. Cfr. de his nostrum t. 2, p. 125-127 (ed. 2).

[3] Ibidem.

[4] Ibid. art. 17 et 52.

[5] Ibid. art. 15.

Ex ipsa C. *Conditae*, in praefatione, distinguitur recognitio Constitutionum et ipsius Instituti commendatio vel approbatio.

Accuratius haec stadia numerant *Normae* S. Congregationis Episcoporum et Regularium [1] :

Initium habetur a laude intentionis fundatoris et finis Instituti.

Succedit laus et commendatio Instituti.

Decretum hoc excipit ipsius Instituti approbatio et confirmatio.

Ipsas porro Constitutiones, prius recognitas, approbat initio *ad experimentum*, dein *definitive*.

Ita, nuper, in Belgio, Congr. *Immaculati Cordis B. M. V. ad fidem infidelibus, praesertim Sinarum populis, praedicandam*, dicta a Scheutveld, quae prius, tamquam Congregatio ecclesiastica, approbata est ab Archiepiscopo Mechliniensi, 28 nov. 1862, nacta est a S. Congr. Prop. Fidei decretum laudis, 14 nov. 1863, dein decennalem approbationem, per modum experimenti, 16 sept. 1888, donec definitive est approbata, 20 iulii 1900.

3. Ipsi approbationi Instituti votorum simplicium accessio foret erectio Religionis proprie talis, cum votis sollemnibus.

Atque haec incrementa fuere *Bethleemitarum*. Primo erant confraternitas *hospitalaris* a Petro Betancour, circa 1655, in Indiis Occidentalibus fundata, et ut talis a S. Sede confirmata a° 1672. Hanc *Innocentius* XI, C. *Ecclesiae catholicae*, 26 mart. 1687, erexit in *Congregat. religiosam ;* tandem *Clemens* XI. C. *Ex debito*, 3 april. 1710, fecit eam Ordinem religiosum. Haud dissimili modo *Clerici regulares Matris Dei* sunt a Clemente VIII, 13 oct. 1593 cum votis simplicibus approbati, in veram autem religionem erecti a Gregorio XV, a° 1621. Alia exempla videsis apud Bouix, op. cit. 1, p. 189 sq.

Bis autem, C. *Iniuncti*, 28 iul. 1707 et C. *Iniuncti*, 24 iul. 1711, idem Pontifex Clemens XI Instituto isti Bethleemitarum privilegia tribuit Ordinis Mendicantium. Hi, quamvis optime de republica meriti sint, nihilo minus a Parlamento Hispaniarum (Cortès) a° 1820 sunt suppressi. Post hoc decretum sunt paulatim re ipsa exstincti.

In saeculo tamen proxime elapso nulla Congregatio adepta est sollemnitatem votorum. Nescio an ultima fuerit approbatio et confirmatio Ordinis *Clericorum regularium* (Immaculatae Conceptionis) *marianorum*, contenta C. *Ex debito*, Pii VI, 27 mart. 1787. Quare satis notatu dignum videtur decr. S. C. Ep. et Reg. quo, die 7 feb. 1899, concessit clausuram papalem et vota sollemnia alicui monasterio Hollandiae, cuius sorores primo Tertiariae fuerant S. Dominici, obtinuerant dein ab Episcopo ut observarent regulam Secundi Ordinis, donec vota sollemnia impetrarunt a Leone XIII.

[1] Cfr. nostrum t. 2, p. 123-127. De isto usu S. Congregationis ante disseruerunt Bizzarri, *Collectanea*, Append. 1. p. 828, et Lucidi *De Visitatione sacrorum liminum*, II, p. 255 sqq.

COROLLARIA.

71. *Sodales Instituti episcopalis, quamvis non vocentur regulares, versantur in statu perfectionis*, si modo fecerint vota perpetua. Namque Episcopus, statuto per se perpetuo, re vera interponit publicam Ecclesiae auctoritatem. Quod nunc confirmari videtur C. *Conditae a Christo*, ubi uno *religiosarum familiarum* nomine bina genera Institutorum significantur. *Alumni Instituti episcopalis an statum habeant religiosum.*

72. *Eremitae*, qui ad nullum pertinent Ordinem seu Congr. approbatam, licet fortasse ab Episcopo acceperint habitum eremiticum et emiserint vota, ne improprie quidem sunt regulares nominandi. Craisson, *Des communautés à vœux simples.* n. 42. Wernz, *Ius decret.* t. 3, n. 590. *Quid de eremitis ?*

73. *Instituta quorum sodales nullo exteriore signo dignoscuntur*, quamvis tria noncupent vota substantialia et vitam degant communem, non probantur nisi ut piae sodalitates quarum vota omnino sunt privata. Sodales ergo non versantur in statu perfectionis (coram Ecclesia). Cfr. decr. S. C. Ep. et Regul. 11 aug. 1889 apud Bucceroni, *Supplementum Ferraris*, *v. Instituta religiosa recentiora.* *De Instituiis quae exterius non dignoscuntur.*

74. *In praesentia, definiri potest status religiosus* cum Laymann l. 4, tr. 5, c. 1, n. 1: *Fidelium, ad christianae caritatis perfectionem tendentium, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus.* *Ratio praesens status religiosi.*

CAPUT II

DE VARIETATE RELIGIONUM

S. Thomas, 2. 2, q. 188; *Passerini, De Hominum statibus*, t. 2, p. 1-90; *Suarez, De Relig.* Tr. 9, L. 1; *Schmalzgrueber*, l. 3, t. 31, § 1; *Reiffenstuel*, l. 3, t. 31, § 2; *Pellizarius, Manuale Regularium* t. 1, c. 3; *Rotarius, Theologia moralis Regularium*, l. 1, c. 3; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 2, l. 3, tr. 1, p. 1, c. 3, s. 1; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 25-29; *Angelus a SS. Corde, Manuale iuris communis regularium*, t. 1, p. 16-18.

ARTICULUS I. Undenam et cur varient Religiones

75. Praeter finem communem cuiuslibet Religionis, qui *genericus* existimari potest, nihil prohibet quin ad plures fines, alios sed non contrarios, ordinentur peculiares, i. e. ad specificas rationes Institutorum. Qui fines, cum accedant ad essentialem finem generis, interdum dicuntur *minus principales, secundarii*, quemadmodum habentur pro *proximis* quia *Varietatis principia :* *Finis.*

ex specifica potius quam generica eruuntur ratione ; esse tamen possunt *primarii* cur tale exsistat Institutum.

Media,

Media dein quibus ad finem contenditur altera sunt causa varietatis. Et quia ex *fine* et *mediis* omnis rei notio perficitur, ad binos hos fontes omnes per se varietates sunt referendae.

Exercitationes, Vota, Regula,

Proderit tamen perspicuitati notionum, inter ipsa media, discernere quibus potissimum *exercitationibus* seu *studiis* vacent Religiosi, quo *votorum* nexu teneantur, qua utantur *regula* seu *lege*.

Condicio iuridica,

Ab extrinseco nova ratio distinctionis exoritur ex varia quam sortiuntur *condicione iuridica*.

Perfectio,

Denique ex horum omnium consideratione efflorescit ratio *perfectionis* Religionum, cuius brevi expositione concludetur caput.

Varietatis opportunitas.

76. Haec varietas plurimum confert :

1. Ad *pulchritudinem* Ecclesiae, quae Ps. 44, 10, proponitur ut regina in vestitu deaurato, circumdata varietate.

2. Ad expediendum *pluribus* aditum scholae perfectionis, cum ita suis quisque ingenio, indoli, moribus, studiis, viribus, congruam religionis formam reperiat.

3. Ad maiorem *utilitatem* rei publicae christianae, cuius variis necessitatibus ita melius consulitur.

Quod confirmatur ex Gregorio XIII scribente : « Cum divina Providentia, pro temporum necessitate, varia et salutaria Ordinum Instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque subinde in ea nascentibus morbis, nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, et cuique illorum, iuxta cuiuslibet peculiaris gratiae vocationem, peculiares quasdam notas, peculiaria insignia, ac opportuna ad finem quem intendit media suggesserit. » Bulla *Ascendente Domino*, § 18.

ARTICULUS II. Varietas finium

Religio,

77. *Pro fine suo specifico,* religiones sunt *contemplativae*, *mixtae* et *activae* [1].

Contemplativa,

Contemplativa nititur tota ut homo in rebus divinis commentandis et meditandis assidue versetur arteque cum Deo coniungatur, qui finis vix differt ab eo qui ad genus vitae religiosae pertinet. Itaque genus hic etiam habetur loco differentiae specificae.

---

[1] S. Thomas, etsi ipse omnem vitae rationem dividit in *contemplativam* et *activam*, *medium* tamen genus vitae *mixtae* nec negat nec reicit, ut patet ex 2. 2, q. 179, art. 2 ad 2; et q. 186, art. 6, c. Hoc tamen, pro praecipua quam alterutrius generis, contemplativi vel activi, continet parte, ad prius vel ad alterum ipse ascribit.

Mixta ordinatur ad hanc operum rationem quae per se postulat contemplationem ut fontem unde scaturiat : cuiusmodi sunt doctrina et praedicatio. Cfr. 2, 2, q. 188, art. 6. *Mixta,*

Activa in his occupatur operibus quibus exterior exercetur caritas, utputa hospitalitate, cura infirmorum. *Activa.*

78. *Contemplativae* sunt Religiones Camaldulensis, Carthusiana, Trappensis. Antiquiores regulae S. Basilii et S. Benedicti discipulos quidem non dirigunt nisi ad personalem sanctitatem ; non excludunt tamen ministeria sacra in spirituale proximi bonum, si qua detur opportuna eorum occasio. Quare formas istas excipiendas putamus divisionibus quae post eas coeptae sunt usurpari. *Exempla.*

Mixtam profitentur vitam canonici Lateranenses. Praemonstratenses, Fratres Praedicatores, Fratres Minores, Societas Iesu, id est religiones clericales et mendicantes in universum.

Activae vitae addicuntur religiones mercedariae, hospitalariae, militares.

ARTICULUS III. Varietas mediorum

§ 1. *Varietas in studiis seu exercitationibus*

79. *Exercitationibus* seu *studiis* distinguuntur : *Pro variis studiis sunt*

1. Religiones *clericales*, quae ex instituto suscipiunt ministeria clericorum propria ; *Clericales,*

2. Religiones *monachales*, id est eorum qui a mundi istius conversatione segregati et solitudinem captantes dicebantur ideo μονάζοντες seu *monachi* [1] ; *Monachales,*

3. Religiones *mendicantes*, quae profitentur *paupertatem in communi*, *apostolicam* tamen, ita ut dixeris eas mendicati subsidii referre vicem per spiritualia caritatis officia, praedicationis potissimum et doctrinae ; *Mendicantes,*

4. *Militares*, quae, ex primaeva institutione, pro causa Fidei et Ecclesiae munus sustinent militiae ; *Militares,*

5. Religiones *hospitalariae*, quae in exteriora caritatis incumbunt officia. *Hospitalariae.*

80. *Genera* dabimus secundum canonicum ordinem praecedentiae [2]. In *singulis* autem Institutis recensendis, sequemur catalogum operis *Gerarchia cattolica*, qui usum refert Urbis. *Exempla.*

---

[1] Cfr. Cassianum, *Collation.* 18, 5. Arcessita vocis interpretatio videtur inventa a S. Augustino *Enarr. in Ps. 132*, qua monachi appellarentur « qui sic vivunt in unum ut unum hominem faciant. » De variis declarationibus huius verbi, cfr. *Comment. in regul. S. Benedicti* (Martene), Migne P. L. t. 66, col. 245, 246 ; vel Schiwietz, *Archiv*, t. 78, p. 3, 4 ; Besse, *Monachisme africain*, p. 69.

[2] Cfr. Piat, op. cit. II, p. 42-46.

Religiones clericales,

Religiones *clericales* sunt vel *Canonicorum regularium*, ad quos pertinent canonici Lateranenses, Praemonstratenses, Crucigeri ; — vel *Clericorum regularium*. Hi sunt : Theatini, Barnabitae, Clerici regulares de Somascho, Societas Iesu, Clerici regulares Minores, Ministri Infirmorum, Clerici regulares a Matre Dei, Clerici regulares Scholarum Piarum.

Nonnulli ex his, ut Sodales Societatis Iesu, simul sunt Mendicantes, licet hac appellatione non utantur.

Monachales,

Monachales religiones efficiunt Basiliani, Benedictini, Camaldulenses, Vallombrosani, Cistercienses, Trappenses, Silvestrini, Olivetani, Carthusienses. Antoniani, dicti a S. Antonio abbate et pertinentes ad Ecclesiam orientalem.

Mendicantes,

Mendicantium quattuor ordines agnovit c. *Lugdunense* II (1274) [1] : Fratres Praedicatores, Fratres Minores, Eremitas S. Augustini, Carmelitas. His dein plures accesserunt, ut Mercedarii, Trinitarii, Servi B. M. V., Minimi, Hieronymitae, Hospitalarii S. Ioannis de Deo, Ordo de Paenitentia.

Militares,

Militares sunt potissimum equites Melitenses, et Teutonici ; qui posteriores, ex decr. Leonis XIII, 16 mart. 1886, iam non emittunt nisi vota simplicia. De his cfr. Nilles in KATH. ZEITSCHRIFT Innsbruck, 1887, p. 186-188, 398.

Hospitalariae.

Hospitalariae. Ad has, praeter Inst. S. Ioannis de Deo quod in loco Mendicantium numeratur, pertinent potissimum plures recentiores Congregationes, dum quaedam aliae potius in clericalibus sunt reponendae.

§ 2. *Varietas in votis*

Pellizarius, *Manuale regularium*, tr. 4, c. 1.

I. Varietas illa in universum

Quomodo vota differant.

Vota quae nuncupantur in religionibus differunt *tempore*, *numero*, *forma*, cui per se coniungitur discrimen *effectuum*.

Tempore ;

81. *Pro spatio temporis*, vota sunt *perpetua* vel *temporaria*, neque unum est utriusque generis temperamentum. Namque :

Exempla.

a) In plerisque Ordinibus presse talibus, si de iis agitur qui choro vel clericorum officiis addicuntur, *omnia* vota sunt *perpetua*.

b) In congregationibus late sumptis, *non* sunt quandoque *nisi* vota *certo temporis spatio definita*, ut vidimus Puellas a Caritate annuo tantum nexu teneri.

c) In aliis Congregationibus, *vota temporaria viam parant ad vota perpetua*, sive, post quaedam intervalla, iam non permittantur nisi vota perpetua, sive optio detur superioribus aut subditis utrorum votorum videatur facienda nuncupatio.

---

[1] C. unic. Religionum diversitatem, *De Religiosis domibus in 6°* (III, 17).

Porro haec est potius disciplina recentium Congregationum, ut alumni prius in certum tempus faciant vota quae dein, adveniente die, firmanda sint promissione perpetua. Ita, in Congregatione Immaculati Cordis B. M. V. instituta in Scheutveld, priores constitutiones (art. 5) inducebant vota primo quinquennalia, dein decennalia, quae denique, si superioribus et subditis simul placeret, perpetua fieri possent ; dum nunc, ex quo [1] Congregatio « definitivam » consecuta est approbationem, vota quinquennalia iis qui in Congregatione perseverare velint et idonei reperiantur, necessariam habent successionem votorum perpetuorum.

Secundum Normas S. C. Episcoporum et Regularium, trium annorum spatio debent vota fieri in singulos annos ; dein in potestate est Instituti vel vota permittere perpetua vel alterum trium annorum spatium praestituere, per quod vota fiant annualia vel triennalia, ita ut perpetua professio ultra sex annos non differatur.

Numero ;

82. Omissis Institutis quae carent aliquo voto substantiali, satis usu venit ut ad vota status religiosi communia accedant plura alia.

Exempla.

Haec dat exempla Pellizarius, l. c. *Fratres Minores* vovent tacite specialem oboedientiam et reverentiam Papae et Ecclesiae romanae ; *Moniales S. Clarae* clausuram ; *Mercedarii* redemptionem captivorum christianorum, quam etiam seipsos oppignerando procurent ; *Minimi* abstinentiam quadragesimalem ; *Barnabitae* professioni coniungunt iuramentum de non ambiendis dignitatibus ; *Carmelitae discalceati* et *Augustiniani discalceati* votum emittunt humilitatis. In *Societate Iesu*, primis votis coniungitur, specie promissionis, quartum votum ingrediendi Societatem ; Professi vero quattuor votorum quarto sollemni voto promittunt specialem oboedientiam S. Pontifici circa missiones, ad quae accedunt quinque vota simplicia, quae vigorem respiciunt paupertatis, fugam elationis, humilem prudentiam in benigne permittendis consiliis Praepositi generalis vel eius in hac re vicarii, etiamsi dignitate fueris auctus. *Clerici regulares Minores* tenentur voto non praetendendi nec acceptandi dignitatem extra Ordinem, nec praetendendi dignitatem intra ; *Clerici ministri Infirmorum* votum sollemne habent inserviendi perpetuo infirmis etiam peste infectis, cui quattuor vota simplicia praeterea superaddunt ; *Fratres S. Ioannis de Deo*, inserviendi infirmis ; *Clerici Regulares Scholarum Piarum* vovent eruditionem puerorum, quod votum sollemne est, praeter tria vota non permittendi relaxationem paupertatis, non ambiendi dignitates neque extra neque intra Ordinem. *Ordo religiosus de Paenitentia* (Scalzetti) astringitur quarto voto sollemni defendendi Immaculatam Conceptionem B. V. M.

Recentior *Congregatio Passionistarum* peculiare votum nun-

[1] Die 20 iulii 1900.

cupat promovendi cultum Passionis Dominicae. *Fratres Scholarum christianarum* vovent stabilitatem, gratuitam et consociatam institutionem puerorum.

Votorum forma.

83. 1. *Forma* intellegi potest ipse exterior nuncupationis ritus, qui maiore vel minore apparatu vestitur. Atque sic habeas potissimum :

Pro ritu exteriore,

a) Vota quae *palam* fiunt et publica dicuntur ; et alia quae *privatim* nuncupantur seu coram paucis ;

b) Vota quae *conceptis verbis* nuncupantur et vota quae *tacite* in alio continentur. Ita, in pluribus formulis quae usu veniunt in Ordine S. Benedicti, paupertas et castitas existimantur promitti diserta professione oboedientiae secundum regulam.

Huc spectat distinctio, quae hodie suppressa est, professionis *expressae* et *tacitae*.

Vel sollemnitate.

2. Potissima autem distinctio votorum quae ex forma repetatur, est votorum *sollemnium* et *simplicium*.

Non est Ordo presse talis quin habeat vota sollemnia, dum his carent Congregationes religiosae [1].

In Ordinibus autem, vel non sunt *nisi* vota *sollemnia*, ut in pluribus monasteriis monialium, vel sunt etiam vota *simplicia*. Quod etiam varia ratione obtinet. Nam vel socii quidam non faciunt nisi simplicia vota : ut Coadiutores S. Iesu ; vel professi votorum sollemnium subiungunt votis sollemnibus vota quaedam simplicia, ut contingit in Societate Iesu et in pluribus Ordinibus ; vel per aliquod spatium obstringuntur votis simplicibus antequam sollemni teneantur nexu : quae lex, post decreta *Neminem*, 18 mart. 1857, et *Perpensis*, 3 maii 1902, apud omnes Ordines invaluit.

Iam vis ac ratio istius distinctionis videtur paulo magis exponenda.

II. De votis sollemnibus et simplicibus [2]

Definitio voti sollemnis.

84. 1. Votum *sollemne* est votum *plene authenticum in facie Ecclesiae*. Quare in speciali est Ecclesiae tutela ab ipsaque peculiaribus donatur effectibus, nominatim maiore firmitate *extrinseca*, ita ut Ecclesia magis repugnet isti vinculo dissolvendo.

Quae vota sint sollemnia.

2. Diu fuit *sollemne* omne votum cui accedebat susceptio ordinis sacri vel status religiosi approbati. Cfr. c. Presbyte-

[1] Recens tamen, brevi 16 mart. 1886, Leo XIII concessit ut *equites* Teutonici ordinis simplicia dumtaxat vota emitterent... *sarta tamen tectaque ordinis eiusdem natura et religiosa institutione.* Sed quod ad sacerdotes eiusdem ordinis nihil fuit immutatum. Cfr. Nilles *Zeitschrift Innsbruck*, 1887, p. 398 vel *Archiv*, 1887, p. 190.

[2] De sollemnitatis ratione, cfr. Supplementum II.

ris, 8, D. 27 (Dictum Gratiani) et c. un. *De voto et voti redemptione* in 6 (III, 15).

Quae simplicia.

Simplex tunc dicebatur votum cui deerat utraque accessio. Deinceps, nihil mutata disciplina de Ordine sacro, sollemnitas voti coniuncta fuit soli professioni religiosae, presse tali, quae fit in Ordine religioso.

Vota stricte simplicia.

Opus itaque est distinguere : a) Vota simplicia quae *privata continentur promissione*, ita ut ignorentur in foro externo : huiusmodi sunt vota per se secreta.

Semiplene authentica.

b) Vota simplicia de quibus constat in foro externo et quae *semiplene* sunt *authentica :* ita vota simplicia religiosorum [1].

Plene authentica.

c) Vota *plene authentica*, quae dicuntur *sollemnia*.

Collatio voti sollemnis et simplicis.

3. Ex his efficitur : a) Ut vota sollemnia et privata inter se differant non tam intrinseca ratione quam accidentali et extrinseca accessione auctoritatis ;

b) Ut ad Ecclesiam pertineat definire, tum quaenam vota sint sollemnia, tum quinam sint ipsius sollemnitatis effectus, servata omni facultate auferendi vel intermittendi istos effectus, aut eos tribuendi, ex toto vel ex parte, votis mere simplicibus ;

c) Ut, nisi disparitas vis exterioris, qua gravius sit onus voti sollemnis, suadeat aequabile temperamentum, possit Ecclesia, non iterata votorum nuncupatione, commutare vota simplicia in sollemnia, et contra [2] ;

d) Ut sollemnia vota non sint essentialia statui religioso, accidentali tamen merito praestare possint votis simplicibus ex cognita maiore efficacia et firmitate [3] ;

e) Ut speculative verior sit sententia probabilis quae negat *specie* inter se differre peccata contraria voto sollemni et ea quae perpetuae simplici religiosorum professioni adversantur. Cfr. Lehmkuhl, I, 385.

Esse adhuc possunt vota sollemnia ;

85. Quaeres an hodie sollemnia esse possint vota ?

Res fuit aliquatenus controversa, ambigi tamen nequit cogitanti esse in Ecclesiae potestate prudenter temperare, servata sollemnitate, eos voti sollemnis effectus qui ob civile regimen minus vide-

---

[1] Non sunt *private* simplicia, ait *Conc. Am. lat.* n. 323. Promissio est aliquo modo sollemnis, publica. Cfr. Bizzarri, p. 502.

[2] Ita fecisse perhibetur S. Sedes dum ad Religionem evexit Congregationem S. Hippolyti (C. *Ex debito*, 20 maii 1700), Congregationem Presbyterorum Matris Dei (C. *In supremo*, 3 nov. 1621); Congregationem Clericorum regularium Scholarum piarum (C. *In supremo*, 18 nov. 1621). Contra, voluit Clemens XI, C. *Ex debito*, 3 ap. 1710, iterari vota in Congr. Bethleemitarum, cum eam fecit Ordinem religiosum. Sic fere apud De Angelis, in l. 3, t. 31, 4, p. 78 sq.

[3] Nihilo minus, quia Ordo minus obligatur erga *simpliciter* professum, in professione ista inesse potest ex hac parte maior liberalitas, ut censet Suarez de votis scholasticorum, *De Rel.* tr. 10, l. 3, c. 2, n. 2.

rentur opportuni. Cfr. v. gr. quae statuta sunt, per S. Congr. Prop. Fidei, de Statibus Foederatis Americae, 15 dec. 1840, a n. 10 [1]; responsum Leonis XIII ad Em^um. Archiepiscopum Mechliniensem, 31 iul. 1878 [2].

Authenticis ceterum documentis constat Ecclesiam plura vota hodierna pro sollemnibus habere. Cfr. responsum proxime sequens.

Ac re vera sunt.

86. Quaeres an ubique vigeant hodie vota sollemnia religiosorum.

R. Observandum prius est, ex ecclesiastica disciplina, trium votorum substantialium unum sine alio sollemne esse non posse, S. Paenit, 28 nov. 1818 et 1820 [3]. Porro, hoc utimur principio: vota, nisi contraria fiat demonstratio, habenda esse pro sollemnibus in Institutis quae cum votis sollemnibus sunt approbata, si modo ad normam constitutionum in iis dirigatur vita.

Itaque separanda est causa virorum a monialium causa.

Apud viros ubique.

Quod ad *viros*, non uno decreto Ecclesia agnovit, etiam in nostris partibus, esse sollemnia eorum vota, nedum aliquo documento constet ea facta esse simplicia.

Apud moniales non ubique.

Quod ad *moniales*, ex pluribus rescriptis vel decretis Congregationum apparet earum nulla vota esse sollemnia: a) in Gallia, si demas Sabaudiam et comitatum Nicensem; b) in Belgio; c) in Statibus Foederatis Americae, si quattuor [4] excipias monasteria monialium a Visitatione B. M. V. iam erecta cum latum est decretum. Cfr. Bizzari, p. 778, 791.

Cur mitior sit disciplina sanctimonialium haec ratio afferri potest, quod vota sollemnia postulant clausuram pontificiam eius rationis quae difficilius servari possit a monialibus.

§ 3. *Varietas in regula*

Hergenröther et ***J. Kaulen***, *Kirchenlexicon*, v. *Ordensregel*; ***Suarez***, *De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 1; ***Pellizarius***, *Manuale etc.*, tr. 5, c. 2, n. 1.

Ratio regulae.

87. 1. **Regula religiosa** *in universum* describi potest: *Norma vivendi perfectionis studiosis proposita, qua dirigantur ad finem suae professionis.*

In usu communi,

Verum, ex quo coepit regula cohaerere monasterio vel Instituto, atque ita praevalere genus vitae caenobiticum, ut eremiticum iam positiva careret ecclesiastica approbatione,

---

[1] Cfr. *Collectan. Prop. Fid.* n. 1627, vel nostrum t. 2. Supplem. VI, p. 76 (ed. 2).

[2] Cfr. t. 2, suppl. VI, p. 77, 80 (ed. 2).

[3] Apud Carrière, *De iustitia et iure*, 223.

[4] Erant numero quinque, sed unum, in loco Kastkakia, hodie est suppressum.

sensu strictiore definitur: *Norma vivendi secundum perfectionem evangelicam religiosis imposita ut communiter ad finem suae religionis tendant.*

2. *Iuridico* denique *usu*, regula strictissime designat « regulas antiquiorum Ordinum, quae olim ab Apostolica Sede sunt approbatae [1] » dum recentiores leges veniunt nomine *Constitutionum*. *In usu iuridico.*

Porro, sicut norma tota, ita singuli eius articuli regulae nomine signari possunt. Ita dicitur in Soc. Iesu regula 5ª summarii Constitutionum.

88. 1. Quod ad *intentionem*, auctores regulae primo hoc unum sibi proposuerunt, ut explicatius traderent evangelicae perfectionis documenta. Hoc apparet v. gr. in reg. S. Basilii. Inde a S. Benedicto instituerunt magis accurate disponere cotidianae conversationis opera. Denique, postquam varia fine speciali distincta sunt Instituta, praescripta regulae accommodata sunt non tantum ad generale omnium religiosorum, verum etiam ad peculiare singularum religionum consilium. *Notiones historicae.* *Quo consilio sunt scriptae regulae.*

2. Monachi primae aetatis existimarunt se primam suae disciplinae formam reperire in *Actibus Apostolorum*, IV, 32-35, ubi de voluntaria quadam bonorum abdicatione habetur sermo, eamque dicebant *Regulam sub sanctis apostolis constitutam* [2]. Regulae, et quidem, ex parte saltem, scriptae, auctor fuit S. Pakhomius, authenticum autem eius desideratur monumentum [3]. Pro genuinis habentur hodie utraeque regulae S. Basilii. Regularum numero accenseri potest epistula ad sanctimoniales quam S. Augustinus scripsit aº 423 [4]. Sic pervenimus ad magis illustres regulas S. Benedicti, S. Francisci, etc. *De primis regulis.*

89. 1. *Origo.* Post c. Lateranense IV (1215), quod vetuerat ne quis profiteretur religionem nisi sub regula approbata a S. Sede, opus fuit ut conditores familiarum religiosarum regulam assumerent ex antiquioribus, iam probatis. Non solebant enim SS. Pontifices nova Iustituta aliter confirmare. Simili ergo modo quo iam antea S. Romualdus (saec. XI) usus erat regula S. Benedicti, S. Dominicus, v. gr., adoptavit sibi regulam S. Augustini, quae evasit etiam communis *Distinctio inter regulam et constitutiones.* *Unde orta;*

---

[1] Inter animadversiones S. Cong. Episc. et Regul. Bizzarri, p. 846, n. 6. Itaque quattuor communiter in Ecclesia recensentur regulae: S. Basilii, S Benedicti, S. Augustini (de cuius origine diximus), quibus, post sollemnem approbationem Innocentii III et Honorii III accessit regula S. Francisci. Huius in ipso corpore iuris habetur expositio facta a Nicolao III, c. Exiit 3, *de V. S.* in 6 (v. 12). Tres priores nominantur c. Perniciosam 25 C. XVIII, q. 2 ex conc. rom. 1139.

[2] Possidius, *Vita S. Augustini*, c. 5. (M. P. L. t. 32, c. 37).

[3] Cfr. Ladeuze, *Le cénobitisme pakhômien*, p. 256-272.

[4] Ep. 211, Migne, P. L. t. 33, col. 960-965.

norma canonicorum regularium ; Clericis vero Ministris Infirmorum negata est aliquod tempus (Sixto v Pontifice) approbatio, quia sub nulla antiquiore regula essent constituti.

Regulam tamen istam, per pecularia statuta, ad proprium sui Instituti finem, religionum auctores accommodare consueverunt. Ita factum est, ut iam distingueretur inter *Regulam*, qua primum veluti fundamentum ponebatur, et magis peculiares *Constitutiones*. Si quando deinde permissum est novo Ordini propriis tantum regi legibus, hae tamen *Constitutionum* nomen retinuerunt. Potestas ista facta est primo Carthusianis, qui dicti sunt « Constitutiones pro regula habere. »

Quos spectet.

2. Ad *vim* quod attinet, regula praestat *antiquitate ;* et sicubi vigent simul regula et constitutiones, paris ambae sunt auctoritatis ; verum regula est aliquid *magis commune*, quod proinde *magis* sit *stabile* et firmum, et ad *plures* pertineat *Ordines*.

Hodierna varietas regularum.

90. 1. Aliae Religiones, antiquiores, militare dicuntur *sub* sola *regula* sui fundatoris : ita Fratres Minores; in plerisque, *regulae* alicui fit accessio *Constitutionum ;* nonnullae habent *Constitutiones per modum regulae*.

2. Regula *S. Basilii* regit monachos ritus graeci.

Sub regula *S. Benedicti* vivunt potissimum monachi Occidentis, et fuerunt etiam quidam Ordines militares : ut Alcantarensis et Templariorum.

S. Augustini regula utuntur canonici regulares, *Eremitae* S. Augustini, et plures alii, quibus, pro fine intento, congruebant faciliores leges. Sic FF. Praedicatores, Servi B. M. V., religiosi S. Ioannis de Deo et plures congregationes hospitalariae utriusque sexus.

S. Francisci regulam sequuntur, praeter Fratres Minores, tam simpliciter dictos quam Conventuales et Cappuccinos, varia Instituta Monialium et Tertiariorum.

Carmelitae, Minimi, Societas Iesu, Clerici scholarum Piarum loco regulae habent suas quique Constitutiones, a S. Sede probatas.

Item plures congregationes v. gr. *SS. Redemptoris*.

ARTICULUS IV. **Varietas condicionis iuridicae**

Ordines et Congregationes.

91. Hac ratione potissimum distinguuntur *Ordines* stricte tales, approbati cum votis sollemnibus ; et *Congregationes* religiosae.

Aliae iuris pontificii, aliae iuris dioecesani.

Inter Congregationes, oportet distinguere eas quae *iuris* sunt *pontificii* et eas quae *episcopali* utuntur *regimine*. Ad priorem rationem pertinent non ea tantum Instituta quae formali

S. Sedis approbatione evasere *proprie dictae Congregationes*, sed ea etiam quae a S. Sede *Decretum laudis* obtinuerunt [1].

Exemptae vel non.

Ex Congregationibus religiosis iuris pontificii, nonnullae sunt exemptae a iurisdictione Episcopi, dum aliae subsunt ecclesiasticae eius iurisdictioni.

Quo spectent hae distinctiones, magis ex iis patebit quae passim infra sunt proponenda.

ARTICULUS V. De varia perfectione Religionum

S. Thomas, 2. 2, q. 182; 188, art. 6. 7. 8; *Passerini, De Hominum Statibus*, t. 3, in q. 188, art. 6, p. 34 sqq.; *Suarez, De Religione*, tr. 9, l. 1, c. 6; *Pellizarius, Manuale*, etc., tr. 1, c. 3; tr. 3, c. 5, n. 85; *Rotarius, Theologia*, etc., l. 1, c. 5; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 28. 29.

Normae aestimandi :

92. 1. Potissima, utpote absoluta, est consideratio *finis*, qui, quo altior et perfectior est, eo maiorem tribuit excellentiam religioni quae ad ipsum dirigitur. Quare *contemplativa* religio per se praeferenda est *activae*, cum magis immediata relatione referatur ad dilectionem Dei; principatum autem habet religio *mixta*, quia perfectior et certior est caritas Dei cum fructum fert operum caritatis in proximum [2]. Cfr. 2, 2, q. 182, q. 188, art. 6.

Ex fine,

Haec tamen laus et praestantia vitae mixtae eorum tantum erit qui talia exercent pietatis studia ut eorum opera vere ex stirpe contemplationis nascantur.

Ex mediis,

2. Ubi finis fuerit similis, ad *media* respiciendum est, quae *aptitudine*, *genere*, *numero*, alia aliis esse possunt meliora.

Aptitudine : quo enim magis media fini attemperantur, eo perfectior existimatur res quae hac proportione ornatur.

Genere : exercitationes enim seu actus variae sunt dignitatis. Ita S. Thomas, q. 188. art. 6, orationem anteponit lectioni, captivorum redemptionem hospitio.

Ipso numero : nam qui per plura tendit, per se efficaciorem habet motum.

Ex austeritate.

3. Ipsa *severitas* cultus ac disciplinae causa est cuiuspiam praeeminentiae. In *strictiore* enim religione magis arcentur occasiones peccati, atque ipsum peccatum. Huiusmodi autem immunitas est negativa perfectionis ratio.

Rursus religio quae in principalioribus studiis est strictior superat eam quae in minoribus. Remoto itaque omni peccato, vigor oboedientiae est primo loco habendus.

---

[1] Ita Normae S. C. Ep. et Reg. art. 2, 4. Non sufficit tamen laus intentionis vel operis, sed ipsius Instituti requiritur commendatio. Cfr. t. 2, p. 125, ed. 2.

[2] *Ep. ad Rom.*, 13, 9. 10; 1 *ep. S. Ioannis*, 4, 20. 21.

In *foro* tamen *canonico*, ubi vix constare potest altera perfectionis ratio, potius attenditur ad asperitatem cultus exterioris, satisque convenit religionem Carthusianorum haberi posse pro strictissima [1].

De praestantia religionis clericorum et votorum sollemnium.

93. Quocirca : 1. Per se perfectior dicitur religio *clericorum* quam laicorum. Suarez, tr. 10, l. 1, c. 7, n. 4.

2. *Religionibus presse talibus* accidentalis quaedam praestantia competit prae aliis, ex peculiari firmitate qua donantur *sollemnia* vota.

De prudenti delectu Instituti religiosi.

94. 1. Monet S. Thomas, 2. 2, q. 189, art. 10, prudentem Instituti cui quis se committat electionem grave esse negotium dignumque quod magis deliberetur quam ipsa electio status religiosi in universum.

2. Sine peculiari illustratione Spiritus Sancti, Institutum hebescentis virtutis et labentis disciplinae minus apta videtur via ad perfectionem, quae proinde non est per se ineunda.

3. Imprimis observandam est quisnam sit impulsus gratiae divinae et quo ferant adiuncta consilio divinae Providentiae parata. Quare suum quisque ne neglegat ingenium, indolem, mores. Non omnibus enim meliora sunt Instituta quae per se sunt perfectiora, cum simplex laicus virtute antecellere possit clerico contemplativo.

Mutatio Instituti per se parum commendanda.

4. Qua autem via, in se bona, aliquis coeperit incedere, in ea perseveret, nisi ambigi nequeat diversum divinae Providentiae beneplacitum. Mutatio enim propositi per se aliena est a divina instigatione, soletque de ipsa animi constantia detrahere, ita ut ad nova consilia deinceps faciat quempiam mobiliorem. Quid quod ipsa prioris institutionis vestigia obesse solent ne quis ad alterum regimen se bene accommodet. Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 189, art. 8.

CAPUT III

DE EXSTINCTIONE INSTITUTI RELIGIOSI

Mélot, De Ordinibus, efc., c. 12 ; *Piat, Praelectiones*, etc., t. 1, p. 209-210

Quibus causis intereat Institutum religiosum.

95. *Finem habet Institutum religiosum :*

Ab intrinseco,

1. Ab intrinseco, si *omnes sodales defecerint*. Omnes inquam. Donec enim manserit unus, « ius collegii bene remanet in uno [2]. » Cuius perseverantiae illustre habes exemplum in

---

[1] Fagnani, in C. Ad Apostolicam, 16, *De Regularibus*, testatur hunc esse usum S. Congregationis.

[2] Glossa ad v. *Collegiatas*, in C. Statutum, 22, *De electione* (1, 6) in 6. Cfr. Glossam ad v. *Pauciores*, in c. Gratum, 2, *De postulatione* (1. 5).

Monastico anglicano, t. 8, Append. n. VII quod afferunt etiam Morris S. I. *Catholic England*, 1892, p. 58, 59 ; et Bouix, II, p. 357.

2. Ab extrinseco, *auctoritate ecclesiastica*, sine qua inefficax foret consensus sodalium, cum teneantur perpetuo votorum nexu. *Ab extrinseco.*

Porro, ius abolendi Instituta religiosa nequit ab Ecclesia abiudicari, tum quia publica potestas valet ob bonum commune dissolvere minores societates quae ad eius rationem referuntur ; tum quia assensus Ecclesiae est statui religioso essentialis ; tum quia ipso usu ostendit Ecclesia in se hanc vim inesse. *Ius Ecclesiae.*

Ita C. Gregorii X, in conc. Lugd. II (1274), quod est c. unic. *De religiosis domibus in* 6, generalem continet abolitionem ordinum qui post C. Lateranense IV erant conditi ; ita in conc. Viennensi (1311) Clemens V suppressit *Templarios* ; sic Clemens XIV (1773) decrevit exstinctionem *Societatis Iesu*. Quandoque restitutus fuit Ordo sublatus. Exemplo sit *Institutum scholarum piarum*, quod exstinctum ab Innoc. X (1664) excitatum est a Clemente IX [1].

Rectus tamen usus istius potestatis postulat iustam et gravem causam, *Rectus eius usus.*

Negotium enim agitur gravissimum ; religiosis et fidelibus ius quoddam est acquisitum ne priventur utilitate et commodis talis Instituti, et normae generales exercendi sacri imperii non sinunt haec leviter tentari. Confirmatur C. *Conditae a Christo* cap. I, n. 6.

Ceterum, causam istam tum labilis aut vitiosa condicio ipsius Instituti, tum extrinseca tempora et adiuncta suppeditare valent.

96. 1. Ad solum Summum Pontificem, seu supremam Ecclesiae auctoritatem, pertinet dissolvere *Ordinem* religiosum et *Congregationem* a se probatam vel cuius recognoverit Constitutiones. (Arg. ex C. *Conditae a Christo*). *Cuinam competat ius istud in Ecclesia.*

2. Quod ad *dioecesanas* consociationes, « quae una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate [2] » :

a) Si in una tantum dioecesi sedes habuerint, unius Episcopi auctoritate aboleri valent.

b) Si vero in pluribus fuerint propagatae, cum Episcopi pari sint iure, horum opus est consensu in quorum fuerint dicione. Singulares tamen domos in sua quisque dioecesi tollere potest.

3. Nihilo minus, cum Episcopis non competat suprema illa administratio bonorum Ecclesiae quae propria est Summi Pontificis, res familiares exstincti sodalicii proprio Episcopi iure constitui non poterunt, sed, nisi delegata uti possit

[1] Immerito ergo cl. von Scherer, l. 4, p. 723, autumat Societatis Iesu exstinctionem et restitutionem esse factum singulare.

[2] C. *Conditae a Christo*, Praefatio.

auctoritate, erit ad S. Sedem recurrendum. Quare *Acta C. Americae latinae* commemorant, n. 322, decretum S. C. Episc. et Reg. quo ad abolendum Institutum dioecesanum exigitur beneplacitum apostolicum « quatenus scilicet id speciem aliquam alienationis prae se ferat ».

De commigratione in aliam dioecesim.

97. Quaeres, quid iuris, *si dioecesana consociatio*, relicta dioecesi originis, *in aliam dioecesim commigrare velit ?* Quia genus istud sodalicii solo sodalium consensu tolli nequit, dioecesi vero ex fundatione videtur quaesitum ius ad eius capiendam utilitatem, commigratio ista non fit legitime « nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare. »

De eius propagatione.

Perinde dixeris de mera *propagatione Instituti.* (C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. 4.)

De mutanda indole vel legibus Instituti.

98. Quaeres, *qua auctoritate mutari* valeant natura vel leges Instituti *dioecesani ?* Ob simile ius acquisitum, haec per se non fient rite nisi salvis iuribus sodalium et consentientibus Antistitibus in quorum dioecesi exstant domicilia Instituti (C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. 5).

De abolitione Societatis Iesu.

99. Quaeres an *Societas Iesu tota fuerit exstincta* post Breve *Dominus ac Redemptor*, 21 iul. 1773 ?

Resp. Negative, nam legitime perseveravit in Russia alba. Probatur :

1. Ex defectu universalis promulgationis legis pontificiae. Per litteras encyclicas congregationis specialis *De abolenda Soc. Iesu*, indicta fuit peculiaris ratio promulgandi Brevis *Clementis* XIV, qua, in singulis Societatis domibus, ab Episcopo loci Breve istud denuntiari debuit Patribus in unum congregatis, qui simul tunc ad exsecutionem compellerentur. Iam vero haec promulgatio numquam facta est in ista prov. Russiaci imperii.

2. *Ex occulto consensu S. Pontificis*, quem produnt varia testimonia et indicia.

Unde sequitur congregationem sociorum istius provinciae retinuisse essentiam et privilegia Soc. Iesu, eaque transtulisse in novam Societatem, quae sic continuo nexu antiquae coniungitur.

Plura videsis apud Sanguineti S. I. *La Comp. di Gesù e la sua legale esist. ;* Boëro, *Osservazioni sopra l'istoria di Teiner ;* de Ravignan ; *Clément* XIII *et Clém.* XIV ; Zalenski, *Les Jésuites de la Russie blanche ;* R. P. Mélot, p. 174-180 ; Heimbucher, *Die Orden und Congregazionen*, § 101, 102. Idem tenet Santi-Leitner, in l. 3, t. 36, n. 5.

N. B. Ut in comperto est, *authentica* confirmatio accessit Societati primum in Russia, per Breve Pii VII *Catholicae Fidei ;* Brevi *Per alias*, 20 iul. 1804, restituta fuit Neapoli ; et tandem per Bullam *Sollicitudo omnium Ecclesiarum*, 7 aug. 1814, in universo orbe est redintegrata. Ultimam comprobationem et privilegiorum confirmationem acccepit a Leone XIII per Breve *Dolemus inter*, 13 iul. 1886.

PARS TERTIA

DE DOMICILIIS RELIGIOSORUM

Passerini, in l. 5 Decr. in 6, in t. 6, c. un.; *Schmalzgrueber*, in l. 3 t. 36; *Reiffenstuel*, in l. 3 t. 36 et t. 48; *Rotarius*, *Theologia mor. Regularium*, l. 3, c. 5; *Tamburini*, *De iure abbatum*, t. 3, d. 5; *Pellizarius*, *Manuale Regularium*, tr. 8, c. 7, a n. 89; *Cespedes*, *Tractatus de exemptione Regularium*, c. 1; *Schmier*, *Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, c. 2, § 2; *Bouix*, *De Iure Regularium*, t. 1, p. 244-309; 360-386; *Biederlack*, *De Iure regularium*, c. V, § 2; *Piat*, *Praelectiones iuris regul.* t. 2, p. 269-286; *Angelus a SS. Corde*, *Manuale*, etc. t. 1, p. 24-33; *Santi*, *Praelectiones iuris canonici*, in l. 3, t. 36; *Wernz*, *Ius decretalium*, t. 3, n. 616-624; *Lucidi*, *De Visitatione*, t. 2, c. 4 a n. 46; *Bizzarri*, *Collectanea in usum S. Cong. Episcoporum et Regularium : — Collectanea in usum S. C. Prop. Fid. — Acta et Decreta concilii plenarii Americae latinae.*

CAPUT I

NOTIO CONVENTUS SEU MONASTERII

Quid conventus.

100. Conventus [1] proprie est sedes stabilis religiosorum, ubi, ad normam approbati Instituti regularis, dirigitur vita. Tria igitur videntur ad eius rationem requiri :

1. Habitatio *continua* religiosorum ex *intentione* domicilii vel diuturnae commorationis ;

2. Vera *communitas* cum superiore ;

3. *Consuetus tenor vitae* ad proprias leges et Instituta exactus, ita ut solitis vacent studiis, quaerendo eleemosynas, curando infirmos, recipiendo missarum stipendia, praedicando, etc. Immo tamquam pars integrans conventus habetur etiam oratorium publicum.

---

[1] Vox *domus religiosa* habet vim universaliorem. Cfr. Schmalzgrueber, l. c. n. 1-3.

Variae domus regularium.

101. Non sunt itaque proprie conventus [1] :

1. Aedes quas religiosi, sede pulsi, interim incolunt dum quaerunt sibi domicilium ;

Habitatio temporalis,

2. *Granciae* presse dictae, seu *praedia rustica* ubi unus vel alter religiosus oeconomicas res procurare solet ;

Grancia,

Villa,

3. *Villae* in quas religiosi se conferunt rusticatum vel recreationis causa ;

Hospitium,

4. *Hospitia*, quae in quibusdam locis tenentur in commodum religiosorum itinerantium vel eorum qui frequentia negotiorum locum istum saepe petere coguntur.

Residentia dependens.

Contra, nexus quo domus secundaria seu « residentia » dependet a monasterio seu collegio principali, non impedit quin referatur in veris conventibus. Residentiae istae interdum dicuntur granciae late tales.

CAPUT II

DE ERIGENDA DOMO REGULARIUM

Quaenam domus erigi nequeant sine sollemnitatibus iuris.

102. Sollemnitates de quibus sumus acturi tunc tantum adhibendae sunt cum agitur de erigenda vera domo regulari seu conventu, nec in ea loca transferendae sunt a quibus, n. **101**, hanc abiudicavimus naturam. Ita communis sententia [2].

Si tamen velint religiosi hospitio alicui vel villae publicum addere oratorium, patet id fieri non posse nisi annuente Ordinario loci. Rotarius, l. c. puncto 2, n. 1.

Ordo dicendi.

Separatim agemus : 1. De monasterio virorum ; 2. De monasterio sanctimonialium stricte talium ; 3. De domo congregationis religiosae : sive haec a S. Pontifice, sive a solo Episcopo fuerit approbata.

§ 1. *De monasterio virorum*

Summa condicionum.

103. Condiciones, ad summam, hae sunt : 1. *Assensus Episcopi loci ;*

2. *Beneplacitum apostolicum :* quo gradu tamen et quibus finibus id constet, cfr. infra, **109** ;

3. *Observatio legitimae distantiae.*

4. *Congrua alimenta,* ex reditibus et eleemosynis, *ad alendos saltem 12 religiosos.*

---

[1] Cfr. aliquam huiusmodi domorum descriptionem factam in r. S. C. Ep. et Reg. 15 sept. 1690, relata in causa Faventina, apud Bizzarri, *Collect.* p. 681.

[2] Passerini, op. cit., n. 37-39 ; Reiffenstuel, in l. 3, t. 48, n. 47. 48 ; Cespedes, l. c. n. 1-4 ; Piat, II, 230. 278.

I. De assensu Episcopi

104. 1. Requiritur assensus *Episcopi loci in quo est erigenda domus.*

Cuiusnam petendus assensus.

Vetus est haec disciplina, sancita iam a C. Chalcedonensi (451), quam vigere etiam saeculo XII testantur canones 10. 12. 13, C. 18, q. 2, *Decreti Gratiani*. A medio saec. XIII eidem coeptum est derogari per privilegia Mendicantium, donec restituta est a Tridentina synodo, c. 3, s. 25 *De Reg.*, « Nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi in cuius dioecesi erigenda sunt licentia prius obtenta.»

Venia an dari possit a Vicario generali, capitulari.

Negotium porro illud existimatur ex gravioribus et ex iis quae statum mutant dioecesis. Ex priore capite, venia ista dari nequit a *Vicario generali sine speciali mandato :* ita communis sententia, quae, ex altero capite, etiam vetat ne concedatur a *Vicario capitulari*. « Ne sede vacante aliquid innovetur [1] » (III. 8 in 6).

Venia danda est ante erectionem.

2. *Prius debet dari venia* quam erigatur domus ; ut tamen condita domus retineri possit, satis videtur esse si Episcopus ratam habuerit erectionem. Ratihabitione enim confirmatur quod factum est et sanatur defectus. Cui argumento accedit auctoritas Pii IX, in litteris quas 26 octobr. 1865 dedit ad Ill. Archiep. Parisiensem Darboy, ut vindicaret exemptionem monasteriorum Parisiensium. Haec enim habet de nostra causa : « Te minime latet hunc esse proprium naturalem et iuridicum omnis ratihabitionis quae ex sequentibus factis oritur effectum, sanandi scilicet defectum illius actus qui recte praecedere debuisset [2]. »

Quid si mere habeatur rata.

Vocandi ii quorum interest ; quo rigore iuris ?

3. Assensus dandus est « *vocatis et auditis.... interesse habentibus.* » Clemens VIII, C. *Quoniam*, 26 aug. 1603, confirmata C. *Cum alias*, Gregorii XV, 17 aug. 1622.

Istud tamen, ex C. *Cum alias*, benigne intellegi potest, quantum opus est ut Episcopo constet domum erigi sine detrimento eorum quorum interest. Cfr. tamen Schmalzgrueber, in l. 3, t. 36, n. 44. 45.

Superiores regulares.

Itaque a) Ea de causa vocandi sunt, ex ipsis verbis Constitutionis, superiores vel procuratores aliorum conventuum qui exsistunt intra quattuor milia passuum. Detrimentum vero quod iuste conquerantur fere istud est, sedem concedi non posse aliis religiosis quin ipsi, qui iam illius loci sunt incolae, laboriose, saltem 12 numero, sibi quaerant victum et alimenta. Ita Maschiat, *Elench.* VI, n. 85 ex S. Rota.

Populus.

b) Si nulli fuerint religiosi, ex dicta C. Gregorii XV,

---

[1] Ambo haec confirmantur responsis S. Congreg. Cfr. Piat, II, p. 273, 274.
[2] Cfr. *Acta S. Sedis* XI, p. 217.

audiendus est ipse populus, saltem si ab incolis loci alendus fuerit novus conventus.

Secundum Sancti, l. 3, t. 36. n. 6, per edictum in hunc finem ad valvas Ecclesiae affixum quo, notitia data de futura erectione, permittantur moveri querelae, satisfieri solitum est utrique condicioni sub a) et b) indicatae.

An vocandus parochus.

105. Non constat *ex iure* vocandum esse *parochum* [1]. Id tamen acriter disputatur, cum alii eum demonstratum velint verbis Constitutionis quae iubent ut vocentur *alii habentes interesse*, alii contra. Sed quaestio videtur parum pertinere ad usum : namque, si Episcopo satis constet nullum fore ipsi detrimentum, non magis quam regulares superiores erit parochus vocandus ; sin minus, ipsa rei necessitate compelletur Episcopus ad interrogandum parochum.

Quaeres de *ipso detrimento* parochi, de quo diversimode sentiunt. Severius Ill. D. Aichner exigit laesionem in iuribus presse parochialibus, quam vix umquam patietur ex erectione conventus. Iura enim ista huc spectant, ut parochus servet dispensationem viatici, extremae unctionis et alia huiusmodi, quibus quomodo ex novo monasterio iniciatur periculum non apparet. Quare, nostra sententia, hoc rursus erit considerandum detrimentum, si parocho vel ecclesiae parochiali defuturi sint sufficientes reditus. Minoris enim frequentiae populi in ecclesia non est habenda ratio. De hoc argumento, cfr. Bouix, op. c. p. 285 sqq.

Sanctiones istius obligationis.

106. 1. Assensus Episcopi requiritur sub *poena nullitatis*, ita ut nullo fruatur monasterii iure domus quae sine ipsius assensu fuerit erecta.

2. Superiores, contra attentantes, plectuntur *poena* privationis vocis activae et passivae necnon officiorum et inhabilitatis ad illa in futurum obtinenda. Urbani VIII C. *Romanus Pontifex*, 1624 § 3.

De arbitratu Episcopi negantis,

107. *Assensus negari* nequit *sine iusta causa :* ita plerique [2]. Agitur enim de amplificatione Instituti cui, ex ipsa pontificia approbatione, prodest quoddam ius quaesitum exsistendi in Ecclesia. Cfr. Bouix I, p. 262-264.

Apponentis condiciones.

2. *Condiciones apponere veniae datae,* modum aliquem, ne v. gr. aperiant oratorium publicum. iustam ob causam praefinire, videtur in potestate esse Episcopi : Qui potest plus potest minus.

---

[1] Immo necessitatem ipsum audiendi simpliciter negat Ill. D. Aichner *Compend. iur. can.* p. 470.

[2] Quidam, v. gr. Reiffenstuel, l. 3, t. 48, n. 45. 50, volunt, sine seria utilitate non esse aperiendum novum monasterium. Haec autem quomodo abesse dixeris, si hinc nihil obstat, illinc vero Institutum est a S. Sede approbatum ?

108. Appellatio a sententia **Episcopi** datur ad S. Sedem, i. e. ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium. *Appellatio a sententia Episcopi.*

Porro, si venia fuerit concessa, appellationi erit effectus *suspensivus*, quo factae veniae virtus tenetur suspensa donec S. Sedes sua auctoritate diremerit controversiam. Ita fert rerum natura et edicitur C. *Quoniam*, Clementis VIII.

II. De Beneplacito apostolico

109. Praeter episcopi veniam, requiri ad *singula erigenda* virorum monasteria beneplacitum apostolicum, non eadem vi rationum de omnibus affirmatur locis et monasteriis. Etenim : *Necessitas beneplaciti apostolici.*

1. Id liquet *in regionibus in quibus viget* C. *Romanos Pontifices* 1881, i. e. in Anglia, in Missionibus subiectis S. C. Prop. Fidei, in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, in Americae latinae partibus. In Constitutione enim ista declaratur, sublato quolibet contrario iure : « Sodalibus religiosis novas sibi sedes constituere, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis apostolicae, non licere. » *In regionibus missionum.*

2. Formaliter idem exigitur *in Italia et insulis adiacentibus*, C. *Instaurandae*, Innocentii X, 22 octobr. 1652 [1]. *In partibus Italiae.*

Quod ad *Ordines mendicantes*, qui hoc loco intellegendi sunt ii dumtaxat qui etiam post C. Tridentinum prohibentur habere reditus aut possessiones [2], necessitas beneplaciti apostolici eruitur ex c. Religionum, unico, *De religiosis domibus in* 6° (III. 17) et c. Cum ex eo, *De excessibus praelatorum*, in 6° (V. 6). Verisimile tamen est huic iuri esse derogatum per C. Tridentini s. 25, c. 3 *De Reg.* exigens licentiam Episcopi. Cfr. Passerini, l. c. n. 13 sq. *Pro monasteriis mendicantium.*

---

[1] Observes huius Bullae § 5 in fine ita legendam esse : « Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adiacentes *prout expedire viderimus*, providere » Cfr. B. R. t. 6, p. 2, p. 235 ; M. B. Cherubini, t. 5, p. 483 ; Fagnani in C. Relatum, *Ne clerici vel monachi*, n. 46-60 ; Lucidi, t. III, p. 431. Namque Ferraris, v. *Conventus* art 1, n. 6 pro *viderimus* subiecit *videmus ;* in nota autem Bizzarri p. 782 verba *prout expedire viderimus* sunt suppressa. Atque ita fit ut locus, ubi Pontifex mere prodit *intentionem* disponendi pro aliis regionibus, afferatur ad probandam Constitutionem istam re vera iam ad universum pertinere Orbem !

[2] Cfr. Fagnani in C. Non amplius *De Institutionibus* (III, 7). Immerito itaque Ill. D. Aichner, p. 469, nota 7, huic putat legi obnoxios quotquot ex primaeva institutione ad mendicantes ascribuntur. Ii porro qui post C. Tridentinum communem profitentur paupertatem sunt Fratres Minores (tunc dicti de Observantia), PP. Cappuccini et Societas Iesu quod ad domos professas et residentias independentes. — Simul patet falso a pluribus poni statum quaestionis, quasi hoc in universum agatur, utrum necne Tridentina Synodus derogaverit iuri superiori, dum etiam de recta quaeritur huius iuris interpretatione.

In universum.

4. *Extra* vero *regiones Italiae et Missionum*, nulla est lex quae monasteriis in universum praescribat petendum beneplacitum. Id egregie ostendit Fagnani [1], qui simul testatur pluries S. Cong. Conc. ad hanc sententiam sua aptasse responsa. Idem tenent Reiffenstuel, l. 3, t. 48, n. 38. 39; Schmier [2], *Iur. can. civ.* t. 2, l. 3, tr. 1, p. 2, c. 2, s. 1, § 3; Leurenius, *For. eccles.* l. 3, q. 997, n. 2; Maschiat, in h. t. q. 4, R. 4; Bouix [3] l. c. p. 253. 254. Favent etiam Aichner, p. 469; Santi in l. 3, t. 36, n. 6. Huc accedit, iam per se mirum esse utriusque, Episcopi dico simul et S. Pontificis, specialem requiri licentiam [4], domibus vero Congregationum religiosarum non opus esse beneplacito apostolico. Quorsum rigor ille cum agitur de Ordinibus?

Nihilo minus severior sententia placuit Schmalzgrueber, in l. 3, t. 36, n. 30, Benedicto XIV *De synodo dioec.* l. 9, c. 1, et quamvis infirmis nitatur iuris argumentis [5], evasit communior. Eadem urgetur disciplina S. Cong. Ep. et Reg. et gravissimum accepit pondus ex recenti C. *Romanos Pontifices* [6].

N. B. Onus petendi beneplacitum apostolicum recidere potest in beneficium, si, sua usus auctoritate, Summus Pontifex ceteras supplere velit condiciones.

III. De legitima distantia et alimentis

Legis distantiae vis atque usus.

110. 1. Per se *certa distantia* est observanda ab alliis iam erectis conventibus. Mendicantes privilegium habent, quod hodie tamen satis parum videtur esse in usu, ne novum erigatur monasterium intra spatium 140 cannarum, per directum, circa suos conventus. Namque ad hoc spatium fuisse reductum privilegium, quod olim ad 300 extendebatur, refert C. Petra, Const. VII Clem. IV. — Porro canna aequivalet fere 2 m. 23. — Sed plures Ordines obtinuerunt etiam privilegium aedificandi intra cannas. Sic *Soc. Iesu* ex C. Gregorii XIII, *Salvatoris*, § 9, 30 oct. 1576, et Clerici *Schol. Piar.* ex C. Clementis XII, *Nobis*, 1 maii 1731.

De alendis religiosis.

2. *De alimentis*, hoc unum occurrit observandum, non esse opus ut actu adsint 12 religiosi (nisi forte ad fruendum exemp-

---

[1] In C. *Non amplius*. De Institutionibus (III. 7) a n. 55.

[2] Is tamen subiungit: « Nisi forsan aliud stilo curiae romanae receptum sit. »

[3] Is etiam existimat propter usum Rom. Congreg. iam nunc in universum postulari beneplacitum apostolicum.

[4] Immo hoc repugnare autumabat Passerini, l. c. n. 13.

[5] Quod bene probat Bouix l. c. Cfr. Biederlack, qui necessitatem beneplaciti ex consuetudine depromit, vel Wernz qui, n. 616, disciplinam appellat universalem. Neuter tamen certam videtur proponere sententiam.

[6] Nolimus tamen, cum non sit universalis constitutio, astipulari R. P. Piat scribenti, II, p. 270, post hanc Const. rem iam dubio vacare.

tione, de qua in 5 p.), sed ut tot numero commode ex reditibus et eleemosynis ali queant. C. *Cum alias,* Gregorii XV.

IV. **De vi factae facultatis**

Obtenta facultate quidnam religiosis obtingat iuris.

111. Huc proprie spectare videtur venia religiosis data erigendi conventum, ut ius acquirant vivendi in aliquo loco secundum leges et finem sui Instituti.

Erectio Ecclesiae coniunctae,

112. Itaque, quia *Ecclesia* pars existimatur integrans monasterii, venia aperiendae Ecclesiae seu oratorii publici quod coniungatur monasterio, continetur ipsa licentia erigendi monasterium, nisi, iustam ob causam, deminute tantum indulta fuerit monasterii erectio. De Buck-Tinnebroeck, *Examen historicum,* c. 21, n. 12-16 ; Piat II, p. 277.

Separatae.

Quod vero ad Ecclesias, oratoria *separata,* seu, ut aiunt, erecta in loco non exempto, sollemnitates eaedem postulantur quibus opus est ad erigendum conventum. Urbanus VIII, *C. Romanus Pontifex,* 28 aug. 1624.

De hoc argumento cfr. Treugott, *Ist die Erlaubniss des Ordinarius nothwendig zum Bau der Ordenkirchen,* in ARCHIV, t. 26, p. 130 sqq.

V. **De Mutatione erectae domus**

Triplex mutatio domus.

Mutatio triplex est genere. Namque est *formalis,* mutatis fine, usibus ; vel *materialis,* per *ampliationem* aut *translationem.*

De formali, ex C. « Romanos Pontifices ; »

113. *De Mutatione formali,* sic disponit C. *Romanos Pontifices,* §. *Fieri solet :* « Religiosis sodalibus non licet ea quae instituta sunt (coenobia, collegia, etc.), in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem. » Posterior fuerit casus, si tirocinium vel collegium studiorum pro solis alumnis ordinis aperiatur; prior vero, si instituatur publica schola.

Ex iure communi.

Sanctio ista stricte tenet in locis obnoxiis isti Constitutioni. In aliis tunc saltem nova Episcopi requiretur licentia, si prior fuerit certo fine vel usu legitime circumscripta. Cfr. **107, III**.

De materiali per ampliationem.

114. Ad *amplificandam domum* iam erectam nullae praescribuntur sollemnitates. Prorsus enim haec causa differt a vera fundatione.

De domo instauranda

Perinde dicas de *restituenda domo diruta,* etc. Ius enim cur materiali eversione periret nullatenus perspicitur. Accedit auctoritas plurimorum, v. gr. Passerini, l. cit. n. 93, Schmalzgrueber, l. c. n. 42 ; Suarez, *De cens,* d. 23, s. 5, n. 35 ; Tamburini, *De iure abbatum,* t. 3, d. 5, 91, n. 9, Aichner, op. c. p. 469.

De translatione monasterii.

115. Ut *in eodem loco* (i. e, civitate, oppido) [1] situs monasterii mutetur, non sunt observandae sollemnitates legitimae erectionis, nisi forte speciale praeiudicium oriatur aliis interesse habentibus (Piat II, p. 279). Hoc sat communiter tradunt DD. v. gr. Schmalzgrueber, l. c. n. 41 ; Ferraris v. *Conventus,* art. 1, n. 11. 12. 46 ; Bouix l. c. et 364 sq. qui id pluribus resolutionibus S. C. confirmant [2].

Immo, ne respectus quidem tunc est habendus legis cannarum, nisi forte alicui Ordini, ut FF. Praedicatoribus et Minoribus, competat peculiare privilegium, vi cuius etiam huiusmodi translationi obstare possit. Cfr. Piat II, p. 285.

Ut vero in *alium locum* transferatur conventus, C. *Romanos Pontifices* expostulat ea quae pro fundatione sunt requisita.

N. B. Bona monasterii translati per se pertinent ad novum Monasterium. Ibi enim permanet subiectum a quo possidebantur. Pellizarius, *Manuale,* tr. 8, c. 7, n. 107.

§ 2. *De Monasterio Monialium*

Opus est assensu Episcopi.

116. Ad erigendum **monasterium monialium :**

1. Requiritur *assensus Episcopi loci,* ex lege Tridentina, c. 35, s. 25 *De Regul.* Par profecto est ab Episcopo considerari utrum necne nova fundatio detrimento futura sit iam erectis monasteriis ; non videtur tamen, cum sileant Constitutiones, teneri obligatione audiendi personas quarum interest, etc. [3], quamvis id plures affirment [4], saltem cum agitur de monasterio quod eleemosynis sit alendum. Schmalzgrueber, l. c. n. 38. 39.

De beneplacito apostolico.

2. Etsi, ut testatur Fagnani [5], soleant adire S. Sedem ob privilegia et facultates, v. gr. ut Abbatissa ex antiquo monasterio in novum educatur ; et plures praeterea affirment de stilo curiae esse ut sine auctoritate apostolica non inducatur clausura papalis qua muniendum est monasterium votorum sollemnium, non tamen constat requiri beneplaci-

---

[1] Bouix I. p. 258, 259.

[2] Plerumque tamen prioris domus is fiet usus qui involvat alienationem ad quam opus est beneplacito apostolico. Quin immo omnis sedium mutatio olim interdicta est Mendicantibus presse talibus ex c. Cum ex eo, unic. *De excessibus Praelatorum in 6* (v. 6), quod bene interpretatur Glossa, immerito autem alii ad omnium Regularium causam transtulerunt. Cfr. v. gr. Pellizar. tr. 8, c. 7, n. 104. Ceterum per privilegia est legi isti derogatum. Neque haec privilegia abrogari potuerunt Extrav. *Ambitiosae* nisi quatenus permittant ipsam bonorum alienationem. Attamen C. *Romanos Pontifices* § *Fieri solet,* videtur universaliorem vim ascribere illi capiti.

[3] Bouix I, p. 305 sq. ; Craisson, n. 2543.

[4] V. gr. Ferraris v. *Conventus,* art. 1, n. 31.

[5] In c. Grave, *De Off. Ordinar.* n. 53.

tum apostolicum. Istud requiri negat Bouix, nec videtur fuisse certum S. Congregationi, quippe quae, in recente causa Ruremondensi, dum ex defectu beneplaciti apostolici Consultor eruisset vota quarundam monialium non potuisse esse sollemnia, ipsa respondit ad 3um *Dilata*. Cfr. *A. S. S.* t. 27, p. 631 sq.

3. *De monialium numero*, vult c. Trid. s. 25, c. 3, *De Regul.* « Ut is tantum numerus constituatur ac in posterum conservetur qui vel ex reditibus propriis vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. » Itaque praescripsit Gregorius XIII c. *Deo sacris*, 30 dec. 1572, ut Episcopus, una cum superiore regulari, si aliquem haberent moniales, prudenter definiret quot in unumquodque monasterium recipi possent moniales. (Bizzarri, p. 229-230.) *Quot possint esse numero moniales.*

Si quae vero, secundum probatas monasterii leges et usus, admittantur supra numerum, hae solvere debent dotem duplo maiorem, quae 400 scutis nequit esse inferior, manentque in perpetuum supranumerariae, ita ut locum non sumant monialis, intra numerum, quae vita sit functa. Cfr. Decr. gen. S. C. Conc. 6 sept. 1604, apud Bizzarri, op. c. p. 269. *De supernumerariis.*

Attamen C. Americae latinae vult ut moniales saltem sint 12 numero in singulis monasteriis. *Acta* n. 319.

Pellizarius, incerta tamen nixus auctoritate, addit non posse sorores conversas numero superare tertiam partem universitatis. *De Monialibus*. c. 2, n. 10. *De conversis*

4. Denique lex *observandae distantiae* per se etiam in conventus monialium transfertur. Schmalzgrueber, l. c. n. 34. *De lege distantiae.*

§ 3. *De domo Congregationis*

117. 1. Opus est *assensu Episcopi* loci. Id iam antea constabat, tum ex lege Tridentina vetante ne *loca similia* monasteriis erigerentur sine venia Episcopi, tum ex necessitate talis assensus ad erigenda monasteria. Repugnat enim Congregationes potiore iure esse in hac re quam Ordines presse tales. Nunc autem id diserte sancitum est C. *Conditae a Christo* c. 2, n. 3. *Praestitutae leges.* *Assensus Episcopi.*

2. Quod ad Instituta quae ab ipsa probantur, solet S. Sedes ad suum revocare beneplacitum erectionem domus Noviciatus. Cfr. *Acta Conc. plen. Americae latinae*, n. 325, reiciens ad Bizzarri, p. 838 n. 9 et 839 n. 7. *Beneplacitum apostolicum pro Noviciatu.*

3. Ceterae leges per se non sunt presse traducendae in domos congregationum, nisi quod Episcopus ipsa rerum natura impelletur ut ad nonnullas saltem animum advertat. Cfr. Ferraris v. *Conventus*, art. 1, n. 36, afferens resp. Sac. Congr. ; Analecta Iuris Pontificii ser. 5, col. 188 sq. ; Craisson, *Des Communautés à vœux simples* n. 50-56 ; 58. *Non sunt aliae leges.*

CAPUT III

DE EXSTINCTIONE DOMUS RELIGIOSAE

De discessu ultroneo

118. 1. Non eum iam contemplamur casum quo religiosi mere aedes suas in aliam eiusdem loci partem transferant, ita ut formaliter permaneant : de quo cfr. modo dicta n. **115** ; sed de vero agitur discessu communitatis a civitate vel pago ubi commorabatur. Agedum :

Regularium

2. Quamvis in iure *communi* Regularium [1] nulla nobis occurrat peculiaris de hoc casu provisio, universales sanctiones de bonis ecclesiasticis vetant ne Ecclesia consecrata usui fiat profano vel res immobiles aut mobiles pretiosae alienentur inconsulta S. Sede. Quare adeunda fere erit S. Congregatio, quae, concedendo veniam, cavere solet ut Ecclesia addicta maneat publicae fidelium utilitati.

Congregationis religiosae,

3. Perinde dicas de *Congregatione iuris pontificii* (**91**).

Sodalitatis dioecesanae.

4. De *Sodalitate dioecesana* sancit C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. v, eam non posse in aliam migrare dioecesim, nisi consentiente utroque Episcopo.

De abolitione per publicam auctoritatem.

119. 1. In potestate est Hierarchiae ecclesiasticae, minime vero civilis imperii, tollere domum religiosam quam aperiri permisit. Legitimus usus istius iuris postulat iustam, rei congruam, causam. Haec per se patent.

Monasterii,

2. Ad tollendum *monasterium* presse tale, vel domum quamlibet quae assentiente S. Sede est erecta, solus S. Pontifex est competens. Rursus id est in comperto.

Domus dioecesanae,

3. Sodalitatis *dioecesanae* « singulares domos Episcopis, in sua cuique dioecesi tollere fas est. » C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. vi.

Domus iuris pontificii.

4. Sodalitatis *quae iuris est pontificii* tollere domum legitime erectam, non videtur ad Episcopum pertinere. Quod liquet, si Congregatio ista privilegio fruatur exemptionis. Sed etiamsi non fuerit exempta, idem suadet gravitas causae quae laedit ius quaesitum Instituti quod in S. Sedis tutelam est receptum, et indirecte eruitur ex C. *Conditae a Christo*. Ius enim quod concesserat in domos sodalitatis dioecesanae non iam memorat inter ea quae c. 2, n. iii dicit ab Episcopo fieri posse quod ad Instituta quae pontificii iuris sunt.

Abolitio facta ab Innocentio x.

120. In historia iuris illustre est decretum Innocentii x, quo, ad instaurandam regularem disciplinam, prima Const. *Instaurandae*, idib. octobr. 1652, e medio tulit multos exiguos conventus impares

---

[1] Propriam vim c. *Cum ex eo*, quo etiam prohibetur huiusmodi discessus, dedimus supra, n. **109**, 3.

alendo eo religiosorum numero qui tuendae regulari observantiae videretur satis. Precibus tamen commotus multorum Superiorum, passus subinde est eos conservari conventus qui vere utiles existimati essent. Verum C. *Ut in parvis*, 10 febr. 1654, plenae Ordinariorum iurisdictioni obnoxios fecit conventus in quibus sex minimum Religiosi non alerentur. Ad decreta ista plures deinde accessere declarationes specialis Congregationis Cardinalium.

Haec fuse exponuntur apud Fagnani, in C. Relatum, 7, *Ne clerici vel monachi* (III, 50) n. 41 sq. vel apud Ferraris, v, *Conventus*, art. 2 ; summa habetur apud Lucidi, II, c. 4, n. 46 sq.

121. Quaeres *quid de bonis exstinctae domus ?* *Cuiusnam sint bona.*

Imprimis considerandum est Indultum, si quod fuerit impetratum.

Tacente indulto, Religio, dominii capax, domus a se derelictae retinet bona : tum ea quae propriis Religionis reditibus seu eleemosynis sint comparata, tum alia quae sine stipulatione peculiari concesserit patronus.

Quod si una cum domo perierit ipsum Institutum, dispositio bonorum pertinebit ad S. Sedem.

CAPUT IV

DE IURE POSTLIMINII SEU RECIPERANDAE SEDIS AMISSAE

122. 1. Si regulares redire velint ad monasterium ante ab ipsis possessum, considerandum est, utrum necne conservaverint ius habitandi cum privilegiis. Priore casu, nulla indigent venia ; nisi forte monialium condicio specialis, nominatim restituenda clausura papalis, postulet S. Sedis interventum [1]. Altero, omnes sollemnitates rursus observandae sunt. *Principium.*

2. Iam vero prima perspicitur specie, *iniusta vi*, cui cedere cogantur Religiosi, nihil detrahi de ipsorum iuribus. Fieri tamen potest ut nimis diuturno intervallo, praesertim si Religiosi pulsi siluerint, abrumpatur vinculum morale inter subiectum et obiectum iuris, quod omnis iuris est fundamentum, vel, si malueris, ut tacito nutu perire videatur ipse *animus habendi*, sine quo non servatur possessio [2]. Ius tunc reciperandi pristinas sedes moraliter iudicatur praescriptione peremptum. *De regularibus vi iniusta pulsis.*

---

[1] *Anal. I. P.* s. 3, col. 97-100 ; Piat, t. 2, p. 280.

[2] Cfr. nostras *Quaestiones De Iustitia*, n. **214, 215, 255, 258.**

Quid de sedibus amissis ex perturbatione gallica.

Quare, omnino quidem repugnamus errori quo Verhoeven [1] et recens R. D. Notermans [2] ius religiosorum applicatum existimarunt ad aedes materiales olim ab iis habitatas, ita ut, his amissis, periret ius habitandi in loco [3]; simul tamen opinamur nimis absolute a Bouix [4] esse vindicatum religiosis ius repetendi loca quae ante gallicas turbas insederant, ita ut hodie saltem, post elapsum spatium saeculo maius, de iuris permanentia valde dubitemus. Cfr. de argumento isto optimam dissertationem MONITORE ECCLESIASTICO, t. 17 (1905), p. 180, sq.

De materiali ruina monasterii.

3. *Materialis eversio* domus aeque parum, ut patet, atque illata vis iuridicam mutat causam.

De discessu spontaneo vel iuste imperato.

4. Contra, ius amittitur si, vel *sponte sua* vel *legitimo* obtemperantes imperio, loco aliquo discesserint.

---

[1] *De regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis*, p. 86 sqq.

[2] *Dissertatio de regularium iure redeundi in loca e quibus vi et iniustitia expulsi fuerunt.*

[3] Cfr. **III** de vi factae facultatis.

[4] Op. cit. t. 1 p. 360-386. Ipse ceterum egregie versat argumentum.

PARS QUARTA

DE PERSONIS RELIGIOSIS

SECTIO I. **DE INGRESSU IN RELIGIONEM**

CAPUT I

DE VOCATIONE RELIGIOSA [1]

S. Thomas, 1, 2, q. 108, art. 4; 2, 2, q. 189, art. 10, *Opusculum* 17 (alias 18) *contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu*; **Passerini**, *De Hominum Statibus* etc. q. 189, art. 10, p. 569-574; **Suarez**, *De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 8; et c. 9, n. 6-10; **Lessius**, *Disputatio de statu vitae deligendo*; **Rotarius**, *Theol. mor. Regul.*, l. 1, c. 6; **S. Alphonsus**, *Theol. mor.*, l. 5 (4) n. 78, et opusculum inter ascetica opera, quod in gallica versione R. P. Dujardin reperitur t. 3, p. 403 sqq.; sub hoc nomine: *Du choix d'un état et de la vocation. Avis sur la vocation religieuse*; **Lehmkuhl**, *Theologia moralis*, I, 506-512; **Piat**, *Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 2, c. 1, art. 1; **Angelus a SS. Corde**, *Manuale* etc., t. 1, p. 36-48; **Malou**, *Règles pour le choix d'un état de vie.*; **Damanet**, *Manuel pour le choix d'un état de vie*; **Berthier**, *Des états de vie chrétienne et de la vocation*; *Nouvelle Revue théologique*, t. 8, *Cas de pastorale.*

De vocatione ad aliquem statum.

123. 1. Vocatio ad aliquem statum est vel *externa* vel *interna*. *Externa*, quae forum respicit externum, est legitima alicuius candidati assumptio ad statum seu ordinem in societate visibili. Haec postulat subiectum idoneum, competentem admittentis potestatem ac libertatem, observationem ritus essentialis. Verum de ista dicemus postmodum.

Est externa.

---

[1] Cfr. in altero tomo, Supplementum III.

Interna, seu divina activa.

Interna autem vocatio refertur ad Deum ut ad causam immediatam. Quare dicitur *divina*. Considerata *active* seu *in Deo vocante*, est ipsum divinum beneplacitum de certo statu ab aliquo homine libere eligendo, quod continet decretum praeparandi et invitandi hominem illum, eumque consequenter iuvandi in tali exsequendo consilio. — *Passive* vero, seu *in subiecto vocato*, demonstrat tum receptam aptitudinem ad illum statum amplectendum, tum notitiam consilii divini, quae comparari potest sive per externa documenta sive per internam illustrationem ac motionem. Patet non repugnare, immo plerumque fieri, ut bini coniungantur modi, et interna experientia confirmetur quod externis hauritur fontibus.

Passiva.

Presse dicta respicit statum excellentem.

Quamvis reapse, eo quod hunc teneas vitae cursum qui Deo est acceptus, dici possis ad eum vocatus, nihilo minus *vocatio*, ut electio in universum, fere non refertur nisi ad gradum quempiam superiorem, eminentem [1]. Positiva namque excellentia requirit sola positivum decretum et providentiam ; in statu autem communi potius relinqueris quam ad illum sis electus. Itaque ad statum *clericalem*, *sacerdotalem*, ut opponitur statui laicorum, erit profecto vocatio presse intellecta ; ad condicionem autem sacerdotis *saecularis*, qua talis, improprie tantum habetur : quippe qui sic mere neget bonitatem status *religiosi*.

Gratia vocationis.

2. *Gratia* denique *divinae vocationis* complectitur omnia adiuncta exteriora atque interna auxilia quibus Deus aliquem fortiter suaviterque ducit ad amplectendam mente, voluntate atque opere vocationem divinam active spectatam. Designat ergo quandam adiumentorum summam.

Atque hae prius tradendae erant notiones.

Introductio de divina mundi gubernatione et vocatione ad bona obera, in universum.

3. Quaestionem autem de vocatione religiosa fusius tractavimus in t. 2, suppl. 3, ubi etiam SS. Patrum et theologorum attulimus auctoritates. De eodem argumento breviter hic dicturi, haec de divina mundi gubernatione iuvabit imprimis memorasse.

Novit infinita sapientia omnipotentem ac providam suam actionem cum libero quo hominem munivit arbitrio aptissime conciliare, ita ut ipsa fines suos attingeret, homo tamen non frustraneam libertatem habere videretur. Quocirca, non modo, in rebus praeceptis vel prohibitis, sivit hominem physica uti optione actionis bonae vel malae, sed etiam inter plura opera honesta moralem ipsi dedit eligendi facultatem.

---

[1] His minime repugnant ea quae habet Apostolus, 1 *ad Cor.* 7. 20. « Unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. » Mere enim usus metonymia, S. Paulus ibi vocem *vocationis* traducit ad adiuncta *vocationis ad fidem*, nec cogitat ibi vel indirecte significare ad omnem vitae condicionem esse proprie dictam vocationem Dei. Id satis colligitur ex contexta oratione ubi de sola vocatione ad fidem fit mentio. Sin aliter, ex v. 18 deberes admittere vocationem ad praeputium.

Neque hae tantum sunt creaturarum partes. Statuit praeterea Deus suam causis secundis sive necessariis sive liberis plerumque permittere actionem, non eam solum quae ad bonum adiuvans divinae congruit intentioni, sed eam etiam quae impedimenta parit et difficultates.

Simul tamen sollicite cavit Deus ut nullus homo necessaria destitueretur gratia, novitque etiam electis suis ad bona opera peragenda gratias tribuere efficaces, quibus re vera exsecutione compleantur.

De operibus bonis in universum haec itaque dici possunt. Est generalis quaedam invitatio divina ad bene agendum. Scripturis sacris vel Traditione contenta, quae invitatio ipsi bonitati rei attemperatur, ita ut magis inviteris ad agendum melius quam ad agendum bene. Huic porro invitationi nemo obsecundat sine speciali et interna gratiae invitatione et auxilio. Quae ipsa gratia voluntatem nullatenus cogit. Ad opus porro bonum peragendum plurimum movemur adiunctis propriae personae : capacitate, indole, moribus, vel aliarum personarum: doctrina, suasione, exemplo, vel rerum quae occasionem. facilitatem praebent. Adiuncta ista, quamvis saepe factis humanis sint adscribenda, divinae tamen subsunt Providentiae qua intenduntur vel permittuntur, ita ut, quatenus ad bona et meliora opera ferunt, mediatam manifestent actionem divinam, mere autem permittantur quatenus bono simpliciter tali vel bono meliori adversentur.

Hoc itaque modo facile cernitur quomodo omnis ad opus bonum vocatio sit aliquo modo specialis et interna ; quomodo ad opus bonum proxime vel remote possimus esse apti et proin vocati ; quomodo ad plura opera bona simul vocari possimus, quamvis inaequali gradu pro inaequali eorum operum bonitate ; quomodo universalis possit esse vocatio, quam tamen relative pauci sequantur.

Age porro, quod de operibus bonis modo diximus, in ipsos honestos vitae status cadit. Electio enim honesti status bonum est opus, cui nec ratio nec Scriptura vel Traditio proprias affingit regulas.

Hinc de vocationis ad statum religiosum *varia ratione* et *exstensione*, de *facultate*, de *necessitate* statum istum capessendi, de religiosae vocationis *signis*, de *prudenti ratione consilia dandi*, haec satis facile tradi possunt.

124. *De vocationis religiosae varia ratione.*

Vocationis religiosae varia ratio : Vocatio ad sectanda consilia et ad statum religiosum.

1. Pro *obiecto* seu *termino*, sedulo distinguenda est vocatio seu divina invitatio ad sequenda aliquo modo consilia evangelica, etiam nulla suscepta obligatione vel Deo privatim oblata promissione, ita ut *coram* ipso in perfectionis via sis stabiliter constitutus, et invitatio ad *profitendam* eorundem disciplinam *in Ecclesia*, ita ut verseris *in statu perfectionis*.

Cum enim Ecclesia varias ad evangelica consilia addere potuerit et addiderit condiciones ut *status* habeatur religiosus, vocatio ad statum religiosum angustioribus finibus quam vocatio ad consilia circumscribitur. Quare non statim a via evangelicae perfectionis repellendus est quem parum iudicaveris idoneum ad aliquam ingrediendam congregationem religiosam.

Vocatio generalis et specialis.

2. *Pro modo quo declaratur* vel *vi qua suadetur,* vocatio est *generalis* vel *specialis.*

Hoc tamen est probe intellegendum. Sunt enim qui ad insinuationem seu promulgationem mere attendentes, *generalem* dicant vocationem quae fit *invitatione universali* seu directa ad omnes, quam omnes in Scripturis legere possunt. Consilia enim evangelica, ut ibi proponuntur, respiciunt melius quodpiam bonum, quod tale est, non propter particularem alicuius sed propter communem hominum condicionem. Cfr. S. Thomam, 1, 2, q. 108, art. 4.

Specialis dein vocatio, ut iidem volunt scriptores, fit per locutionem singularem, i. e. ad unum directam. Ita per verba ore prolata, singulos Dominus vocavit apostolos; nunc autem, interiore, ut plurimum, locutione, Spiritus sanctus animos ad sancta opera intime movet et impellit.

Verum, ex supra dictis, perspicitur nullam esse vocationem veram quin sit immediate specialis, i. e. ex interna gratia excitante et adiuvante.

Vera ratio vocationis specialis.

Malumus itaque distinctionem istam referre ad ipsam vim qua movearis ad statum perfectiorem ineundum. *Speciali* tunc dicemus vocatione ornatos qui in istis versantur adiunctis, ea copia illustrationum et motionum moveantur, ut de beneplacito divino dubitare nequeant et nisi fiant religiosi, suasioni divinae quasi aperte obniti videantur.

Qui sapienti consilio sed minore impulsu ad religiosam vitam ducuntur, *generalem* seu potius *communem* vel *ordinariam* habere dicendi sunt vocationem.

Vocatio in actu secundo et in actu primo.

3. Pro *gradu quo habetur*, distinguitur vocatio in *actu secundo* et in *actu primo*. In *actu secundo* vocantur quotquot recta intentione re vera statum religiosum amplectuntur vel conservant. Constans enim est SS. Patrum et theologorum doctrina, neminem sine gratia Dei viam illam consiliorum recta intentione persequi posse.

In actu primo vocantur, qui actu non sunt in religione, gratia tamen ad religionem utiliter capessendam disponuntur.

Proxima vel remota.

Quae vocatio in actu primo *proxima* vel *remota* esse potest. *Proxima* vocatione afficitur is cui, sive ex communi sive ex speciali vocatione, non omissa consideratione adiunctorum in quibus versatur, innotescit divinum beneplacitum eo spectare ut ipse re vera incedat per viam consiliorum, maxi-

me si de praesenti agatur exsecutione. Cui istud inciderit, simul necessario inest proxima aptitudo et physica ac moralis facultas exsequendi propositum. *Remota* est, quando haec divinae voluntatis significatio actu quidem non habetur, futura autem est si homo se ad eam per orationem, fidelem minori gratiae obtemperationem praeparet, vel adfuisset nisi obstacula voluntaria eam impedivissent. — Namque etsi divina invitatio potest esse omnino gratuita, immo cum demeritis coniuncta, non raro conectitur cum quibusdam meritis antecedentibus vel formali impetratione.

125. *De vocationis religiosae extensione seu universalitate.*

De vocationis religiosae universalitate.

1. Universali promulgatione consiliorum in Evangelio Deus vult omnes, quotquot pertinent ad Christum, aliquo versari modo sub eorum lege, eorumque, pro data opportunitate, frequentare actus : tribuendo eleemosynam, abstinendo quibusdam deliciis, honoribus, libenter obtemperando in non necessariis et sic sequendo in variis adiunctis consilia quae perpetuo observant religiosi. Eo enim quod haec studia indicantur omnibus ut secundum se meliora [1], ut via perfectionis [2], dum appetitus divitiarum, voluptatis, honorum, denuntiantur ut alieni a spiritu Evangelii [3], omnibus commendatur affectuum, et, prout copia habetur, actuum ad ista consilia accommodatio. Omnibus itaque suadetur, ut ex parte saltem utantur istis consiliis : quo fit ut eorum promulgatio plurimas omnibus afferat utilitates. Cfr. S. Thomam, 1, 2. q. 108, art. 4.

Qua ratione omnes sint sub lege consiliorum.

De vocatione ad usum consiliorum.

2. Eo tamen quod proponuntur quaedam a Deo ut *secundum se* meliora, non ilico consequitur ut eadem sint *omnibus* magis expedientia, vel ut Deo sit magis acceptum omnes ea opere atque vitae usu simpliciter amplecti. De qua re ita perbreviter videtur dicendum.

Omnes non sunt proxime vocati.

a) Non sunt omnes *proxime* vocati ad perfectum consiliorum usum. Plures enim tenentur vinculo, utputa matrimonii, quod abrumpere nefas fuerit. Ipseque S. Paulus, 1 *ad Tim.* 5, 14, nolens scilicet divinis obsistere consiliis, non dubitavit, perspectis adiunctis, scribere : « Volo ergo (viduas) iuniores nubere. »

Nec remote ad professionem consiliorum.

b) Neque omnes sunt *remote* vocati ad *externam et publicam professionem* consiliorum. Haec enim postulat ut coopteris in religionem probatam. Plures autem, ipsa indole animi vel corporis infirmitate, in perpetuum prohibentur aditu cuiuslibet congregationis religiosae ex iis quae sunt approbatae.

Vocatur

c) Quia autem evangelica consilia sunt de iis quae per se

---

[1] Cfr. 1 *ad Cor.* c. 7.
[2] « Si vis perfectus esse. »
[3] 1 *S. Ioannis*, 2.

per se a Deo qui recta intentione hanc init viam.

sunt meliora, voluntas vero Dei est sanctificatio nostra [1], quisquis sincera perfectionis intentione et nulli proinde derogans officio, viam ineat consiliorum, sibi conscius esse potest se rem aggredi Deo acceptam, immo, nisi aliter constet, magis acceptam, ad quam perficiendam divinum non defuturum sit auxilium, ita ut hac ratione sit divinitus ad eam vocatus [2]. Cfr. S. Thom. 1. 2. q. 108, art. 4 ; 2. 2. q. 189, art. 9 et 10.

Non constat omnes remote vocari ad sectanda consilia evangelica.

d) Unum itaque superest quaerendum, de universalitate vocationis *remotae* ad sectanda, saltem occulte, consilia evangelica. Quaestio ista huc redit, utrum necne sit in Deo voluntas vi cuius nemini adulto, oranti et se praeparanti, idque moraliter ab initio vitae rationalis, negetur gratia utendi consiliis evangelicis *ut re ipsi meliore* [3].

Quod nullo certo existimamus constare argumento. Namque et loci Scripturae Sacrae et generales Patrum adhortationes commode accipiuntur de his quae, cum meliora sint secundum se, plerumque seu per se possunt suaderi, non exclusa peculiari exceptione ; et quis dixerit quotquot in coniugio ad sanctitatem pervenerint, ut e. c. S. Ludovicus rex, ob aliquam suam neglegentiam proxima caruisse vocatione !

Facultas capessendi statum religiosum

126. *De facultate capessendi statum religiosum.*

Non raro optimi etiam scriptores quaerunt de divinae vocationis necessitate ad viam ingrediendam consiliorum evangelicorum. Quam dein necessitatem affirmare solent.

Mira ista videri potest interrogatio ab iis ipsis facta qui probant dicta huiusmodi : « Etiam si daemon tibi religionem suadeat, incunctanter obtemperes. » Et re quidem vera, quamvis quaestionis et responsionis iusta dari possit ratio, nobis interrogatio ista parum opportuna videtur. Sane, de quocumque statu vitae sermo fiat, contra Dei voluntatem quempiam eligere vetamur. Sed nulla est causa cur *de obligatione* vocationis magis hic sis sollicitus quam cum agitur de alia condicione vitae. Etenim :

Non requiritur specialis vocatio.

1. Quaerendum non est de vocatione *speciali*, quocumque modo hanc accipias. Sicut enim, cognito ex sacris litteris praecepto, statim, de interiore locutione seu speciali instinctu

---

[1] Cfr. 1 *ad Thessal*, 4, 3.

[2] Neque obicias vocationem ita universalem repugnare consilio divino de perpetuitate coniugii. Sic enim in forma solvitur huiusmodi instantia. Institutioni coniugii perpetuae repugnat vocatio ad vitam religiosam quae sit omnium *collective*, *C. distributive*, *subdistinguo*, si fuerit praeceptiva *C. ;* si mere suasoria, *subdist.* si simul ei coniungatur certa praevisio non nimis multos fore qui invitationi obsequantur, *nego ;* sublata hac praevisione, *concedo*. Ratio brevis est quia cum hac praevisione nulla est contrarietas utriusque voluntatis.

[3] Quod addimus, quia nulli sincere volenti negamus meram facultatem. Simul tamen sinceram hanc voluntatem iam ascribimus gratiae divinae.

nihil solliciti, novimus nos divina voluntate obligatos, ita, audito in Sacra Scriptura generali Domini consilio, non est ambigendum nos per se Deo gratam rem facturos, si isti consilio morem geramus. Cfr. S. Thomam 2. 2, q. 189, art. 10 et opuscul. *contra retrahentes* etc. c. 9 ubi necessitatem vocationis specialis diserte negat his verbis : « Non est laudabile.... post vocationem interiorem *vel* exteriorem *vel* verbo *vel* scripturis factam differre et quasi in dubiis consilium quaerere. » Cfr. etiam Passerini in eundem art. 10, n. 14. 18 ; Suarez *De Religione*, l. 5, c. 8 n. 5.

Recta ductus intentione, quilibet, non impeditus, honesteeligit viam consiliorum.

2. Quin immo *fas est* cuilibet qui non detinetur inexsuperabili impedimento absolute appetere et eligere sibi viam consiliorum ex animo sectandi perfectionem. Cuius haec est ratio, quod quae honesta sunt eliguntur per se sine peccato. Quanto magis ea quae in Scripturis proponuntur ut meliora ! Neque obicias onera istius status, cum idem Dominus qui viam ostendit tacite promittat se vires suffecturum. Et quamvis forte de quopiam id sit minus Deo acceptum, non ideo tamen est prohibitum : inest enim in re minus bona ratio boni, cuius electio honesta est et Deo grata, quamvis minore gradu quam electio rei melioris.

Ita, contra plures modernos, S. Thomas, ll. cc. ; Passerini in 2. 2, q. 189, art. 10, n. 23 ; Suarez, *De Relig.*, tr. 7, l. 5, c. 4, n. 1 ; Piat, t. 1, p. 35 etc. Neque aliter explicabis tum dicta SS. Patrum [1] quibus v. gr. commendant universaliter religiosam professionem, vel affirmant in omnium potestate esse hanc gratiam impetrare, vel non reiciunt hypothesim qua omnes colerent continentiam ; tum antiquum usum quo licebat parentibus pueros offerre religioni ipsosque eidem in perpetuum mancipare [2].

Impedimenta autem in iis qui rationis usu potiuntur, non sunt nisi contraria obligatio, quae conciliari nequit cum observantia consiliorum. Non obstat ergo status peccati. Neque enim, in initio conversionis, postulatur vitiorum emendatio, neque emendatio est alicui impervia. Cfr. S. Thomam 2. 2, q. 189, art. 1.

127. *De necessitate obtemperandi divinae vocationi.*

De vocationis divinae necessitate.

1. Imprimis satis non possumus monere atque hortari, ut si ad statum aliquem suavi Dei providentia dirigi ac ferri

---

[1] Cfr. v. gr. S. Ioann. Chrysost. *De Virginitate* (M. P. G. t. 48) ; S. Cyprianum. *De habitu virginum*, c. 23 (M. P. L. t. 4, c. 463) ; S. Ambrosium, *De virginibus* et *De Virginitate* (M. P. L. t. 16) ; S. Augustinum, *De Bono coniugali*, c. 10 (M. P. L. t. 40, c. 381) ; S. Hieronymum, *In Matth.* XIX. 11 (M. P. L. t. 26, c. 135) ; S. Bernardum, *De adventu Domini*, serm. 3, n. 3 (M. P. L. t. 183, c. 45) et in loco allato a Lessio, cit. opusc. n. 31.

[2] Nefas enim foret imponere ab infantia necessitatem status qui nequeat ab omnibus honeste eligi. De pueris oblatis, cfr. infra, c. 2 § 2 *De libertate ingrediendi Religionem.*

Nemo sapiens detrectabit specialem vocationem Dei.

prudenter videaris, hunc incunctanter arripias. Huiusmodi enim electio securam facit spem, qua secus carebis, facilioris et abundantioris salutis. Cuius negotii si quis vel leviter perpendat momentum, nemo nisi stultus delectum habebit vitae ad quam minus videtur idoneus, sicque praecipitem se dabit in molestias, aerumnas, atque aeternae ruinae pericula, quae gravissimis sanctorum virorum inculcantur verbis. Cfr. S. Alphonsum, *Theol. mor.* l. 5, n. 78.

Per se non peccat qui vocatus ad altiora, eligit statum communem.

Nihilo minus : « Haec est differentia inter consilium et praeceptum, quod praeceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius cui datur [1]. » Quare *per se* non peccat qui a Deo ad perfectiora invitatus eligit nihilo minus statum communem. Hoc convenit inter omnes, si vocatio sit dumtaxat *generalis ;* de *speciali* autem cur aliter dicamus non apparet. Quam diu enim Deus non iubet, optionem censetur permittere, nec captiosam tantum, qua congruae gratiae negatione sanciretur usus libertatis, sed veram, ita ut Deo non displiceas utrumlibet elegeris [2]. Minime quidem negamus ius esse Deo imperandi ingressum in religionem. Et si cui sit animo persuasum, fieri moraliter non posse ut in saeculo finem assequatur salutis, in caritatem erga semetipsum peccarit si, dum in hac permanet sententia, repudiet statum religiosum [3] ; verum existimamus vix evenire ut haec subiectiva persuasio iis innitatur rationibus quae eandem mente abici non sinant.

Facile tamen clarae vocationis detrectatio ex stirpe orietur peccaminosa, i. e. nimio quodam affectu ad res terrenas, qui venialem tamen per se non transcendet malitiam. Cfr. Lehmkuhl, 1, 510.

Vocationis religiosae signa.

128. *De vocationis religiosae signis.*

De qua quaeratur vocatione.

Quaestio ista ad vocationem quam diximus *in actu primo proximo* potissimum refertur. Namque de *remote vocatis* inutiliter quaeritur, ii autem qui actu secundo sunt religiosi, quaestionem istam ut bene ipsis solutam plerumque omittere debent. Qui enim bono animo religionem sunt ingressi, observando consilia Christi non possunt non placere Deo ; et praesumere debent se etiam esse vocatos ad eam vitae formam quae proprie Instituti legibus ipsis praescribitur.

---

[1] 1. 2, q. 108, art. 4.

[2] Ita Ambrosiaster, In 1 *ad Corinth.* 7. 7. « Unusquisque iuxta votum suum donum Dei habet, ut, si velit, ipsius nutu Dei possibilitatem consequatur. Ideo non debet quis constringi, ne, a licito prohibitus, illicita admittat ; sed ipse sibi eligat quid sequatur. » (M. P. L. t. 17, c. 217). Qua nixus auctoritate Cornelius a Lapide, in h. l., haec profert praeclara : « Elige statum quem vis et Deus dabit tibi gratiam competentem et propriam, ut in illo statu decenter et sancte vivas. »

[3] Lessius, Disp. *De statu vitae deligendo*, n. 94 valde urget hanc rationem, quasi frequens fuerit.

Prorsus rationabilis est haec praesumptio, qua nisi confisi fuerint, interna spoliabuntur pace et solitis inimici artibus facile decipientur.

Age porro, **Proximae vocationis signa** in haec bina recidunt : *carentiam obstaculi, seriam et rectam intentionem. Seriam,* i. e. cuius efficax et firmum appareat propositum ; *rectam,* quae feratur in bona ordinis spiritualis et finem vitae religiosae. Ex iis enim quae diximus de universalitate huius vocationis, colligitur eum vere esse vocatum qui vere vult perfectionis ingredi viam, nisi forte quid obstiterit.

Bina signa vocationis : Nullum impedimentum; seria et recta intentio.

Quod praeterea confirmatur sententia doctorum. Cfr. S. Thomam, qui tum opusc. cit. c. 9, tum 2, 2, q. 189, art. 10 ad 1, negat efficacis propositi religionem ingrediendi aliam esse posse originem quam divinam ; Suarez, tr. 7, l. 5, c. 8, n. 4 ; Lessium, op. cit. n. 28 ; Segneri, *Instit. parochi,* c. 3, § 2 ; S. Franciscum Salesium, epist. 742 ; S. Alphonsum [1] ; Lehmkuhl, 1, 506-508 ; Palmieri, *Opus theol.* tr. 9. *De statibus,* c. 1, n. 219.

De vocatione autem quam, n. **124**$_2$ fecimus *specialem,* de eius *frequentia* et *signis,* non ita facile est proferre iudicium. Praeter miraculosam revelationem, vocatio ista existimabitur adesse, si, facta diligenti spirituum probatione, tanta est copia illustrationum, tanta vi, etiam ante rationis deliberationem formalem, pellitur voluntas, vel tam perseveranter Deus aliquem invitare haud absistit, ut ambigi nequeat hunc ad solum ferri statum religiosum. Huc spectant, in Exercitiis S. Ignatii, duo priora tempora faciendae electionis.

Quamvis supernaturalem postulemus intentionem, non negamus fieri posse ut vera vocatio initium ducat ab humano quodam eventu, utputa temporali clade vel incommodo. Cfr. Suarez, *De Relig.* tr. 7, l. 5, c. 8, n. 7 ; Rotarium, l. c. n. 18. Immo, non statim neganda est vocatio eius qui fine duci videtur ex parte saltem humano ; sed attente explorandum si forte adsit simul vera perfectionis voluntas, ita ut spes sit affectum mox purgatum iri et evasurum plane sanctum.

Quid si humanae misceantur rationes.

Multo minus obstat, si inferiore affectu feratur quispiam in studia a vita religiosa aliena, cum contra eo firmiorem se demonstret vitae religiosae appetitus, quo minus potuerit hac carnis propensione debellari.

129. *De prudenti ratione dandi in hac re consilium.*

In tradendis consiliis non sola principia sunt cons deranda. sed etiam eorum usus in adiunctis concretis ; nec tam ad id quod fieri possit est animo attendendum quam ad id quod verisimiliter sit futurum.

Opportunitas prudentiae in consiliis dandis.

---

[1] *Avis aux novices,* allat. in opusc. *Avis sur la vocation religieuse,* in edit. Dujardin, *Œuvres ascétiques,* t. 3, p. 412 nota.

1. Age porro, cur moderatius quam hactenus tradita principia id ferre videantur, consilium des de statu religioso sequendo, hae causae sunt :

Prudens Instituti delectus.

a) Quaestioni de vocatione ad statum religiosum semper coniungitur quaestio de definito Instituto cui nomen sit dandum. Hoc autem, teste S. Thoma, maiorem postulat explorationem et deliberationem. Sine peculiari Spiritus sancti instinctu, Ordo labefactatae disciplinae nemini est eligendus, proprius autem Instituti finis debet candidati viribus et supernaturali propensioni esse attemperatus. Cfr. 2, 2, q. 189, art. 10.

Incommoda inconstantiae.

b) Non ipsi solum Instituto sed etiam iuveni vel puellae nocet mutatio consilii qua quis ex religioso rursus fit saecularis. Quamvis inter ipsam probationem, iustissimam ob causam, monasterio valedixeris, ingrata nota afficieris a saecularibus et aliquod existimationis detrimentum plerumque patieris. Hinc impedimenta in novo vitae genere ducendo, et facilis animi diffidentia et deiectio qua ad nobilia consilia fere impar evadas. Nec dissimulandum est ex hodierna iuvenum indole tum morali tum physica, plures oriri causas discedendi etiam post emissa vota.

Tempora praestantes volunt religiosos.

c) Cum tantis odiis et persecutionibus obnoxia sit Ecclesia, et in tot scopulos impingat plurium fides, oportet ut religiosi sint probatissimi, qui Christi consilia et doctrinam vere honestare possint. Non secus atque inter infideles pericula persecutionum magis probatos postulant catechumenos, ita praesentis aetatis minae magis selectos candidatos vitae religiosae postulare videntur.

2. Idcirco, in generali quidem contione ad meliora et perfectiora bona animi sunt disponendi et aptis argumentis excitandi ; sed, in *particulari consultatione* [1] haec plerumque observanda sunt :

Quibusnam suadendus sit ingressus praesens.

a) Iis praesens ne suadeatur ingressus in religionem nisi qui ingenio, moribus et corporis viribus videantur apti, et qui vel ipsa indole bona et docili, vel firmitate propositi divinae gratiae commendati, seria dent documenta perseverantiae.

Nec status est quasi obtrudendus.

b) Caveat Confessarius ne videatur ipsis idoneis statum hunc veluti obtrudere. Nam, praeterquam quod ad Directoris munus pertinet « cooperari motioni divinae eamque non praeire sed sequi, et ad hoc disponere animam eius qui facit Exercitia, removendo impedimenta, nempe errores, dolos, affectiones, atque inclinationes inordinatas », haec instantia nimia fiduciam minuit, et quandoque, ut est natura nostra avens sui esse iuris, in oppositum perducit consilium. Quod si etiam dicto audiens fuerit impellenti Patri spirituali, minus

[1] Plura cfr. in t. 2, p. 48 sq. ed. 2.

id erit in animo candidati stabile et firmum propositum, « quia maneret semper aperta daemoni haec porta suggerendi, quod hominis instinctu ad religionem inductus esset. » Quare ordinatim iuvandae sunt personae ad religionem aptae, ut ipsae eligant quod melius est. Cfr. *Directorium in Exercitia S. Ignatii,* c. 22 et sqq. a quo haec sumus mutuati.

Severi sint ii ad quos pertinet admittere candidatos.

c) Iis autem ad quos spectat admittere candidatos, cum bono Religionis ipsi prospicere debeant, et minus exploratum habeant interiorem alius animum, longe maior incumbit cura investigandi quo spiritu ducatur candidatus et quibusnam dotibus sit instructus, ut evadere possit utilis sui Ordinis sodalis. Porro quia non semper Deus vult ut re perficiatur opus cuius inicit voluntatem, fieri facile potest ut iure ac merito eum repellant, tamquam minus idoneum, quem norint spiritu Dei moveri ad quaerendum aditum. Cfr. Suarez, *De Relig.* tr. 7, l. 5, c. 8, n. 4.

130. *Corollarium de vocationis acquisitione, amissione et historia.*

Vocationis adeptio. amissio in actu prime.

1. Vocatio *obtinetur* cum ex remota fit proxima, *amittitur* vero si propria neglegentia corrumpitur *proxima* vocatio, ita ut summum supersit remota. Ex dictis supra, n. **125, 127,** bene multi sunt qui precibus et bonis operibus comparare sibi possunt proximam vocationem. Quare prudentis et navi ducis spiritualis est, non tantum praesentem deprendere vocationem et efficere ut Deo proxime invitanti dociles praebeantur aures, sed etiam ita instituere filium spiritualem, ut tam pretiosum donum obtineat vel recipiat. Ad id multum valet ipsius animum erigere ad generose sentiendum et operandum, hortari ut oret ad vias Dei cognoscendas et sequendas.

Amissio in actu secundo

2. Atque haec est prior ratio qua vocatio amittitur. Amittitur autem etiam quando, discessu religiosi, ex actu secundo reducitur ad primum proximum vel adeo remotum. Cuius discessus causa esse potest *culpanda :* peccata gravia, vel ex neglegentia inductus tepor quidam animi, qui nullam spem linquat probabilem sanctae alacritatis vel fervoris ; potest etiam esse *inculpata :* morbus corporis, vel phantasiae, et, raro tamen, error pristinae electionis.

Vocationis historia.

3. Quae autem dicitur *historia vocationis,* nihil aliud est quam series factorum et eventuum quibus divina vocatio evasit proxima, et ordo gratiarum quibus aliquis efficaciter ad hoc genus vitae est adductus.

Alios sine iusta causa prohibere aditu Religionis, est peccatum cu-

131. *Lemma de iis qui aliorum ingressui adversantur.*

Peccant qui alios, sine iusta causa, Religionis ingressu prohibent.

Et gravis *iniuriae* sunt rei, si *vi* utantur et *metu* vel *dolo.*

ius varius est reatus.

Quid si meris *precibus* aut *promissionibus* quae nullam pariant deceptionem [1] ?

Quamvis gratiam mere invitantem abnuere per se non sit peccatum, peccatum est alterum a gratia sequenda avertere. Deus enim, dum *tibi* integram linquit optionem, non ideo *alii* potestatem facit se admiscendi ad illud consilium ut partes tueatur contrarias. Non constat tamen gravem esse istum reatum. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 7 l. 5, c. 9, n. 9. Quare non possumus probare argumentationem qua S. Alphonsus, l. 4 (5) n. 78, minus excusat eum qui gratiam hanc non recipit, quam alium qui consilium dat vocationi contrarium.

Quid de iure parentum ?

132. Parentibus ius est postulandi *rationabilem* vocationis probationem. *Rationabilem,* inquam, i. e. quae nec nimis sit diuturna, nec vanas et periculosas saeculi obtrudat illecebras. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 198.

Praestat etiam, nisi periculum sit iniusti impedimenti, assensum parentum impetrare, quo cum iis participes tanti operis meritum.

Ob debitum autem artioris caritatis, gravioris per se culpae rei sunt parentes qui filios interdicunt sequenda vocatione quae sit certa ; immo iam S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 77, *mortaliter* peccare iudicat eos qui mere utuntur precibus aut promissionibus. Id tamen minus constat. Qui enim mere utitur precatione, iam non longe abest quin det manus ; nec raro aliqua quasi allucinatione excusantur parentes.

133. *Lemma de consilio quo idoneus a religione avertatur.*

De perverso consilio in hac re.

Inter *damnosa* consilia reponendum est illud quo aliquem, quem noris vocatum, a religione avertas. Qua in re obtinent regulae generales de peccato et obligatione restituendi. Gravior est obligatio iustitiae si rogatus sententiam dixeris, praesertim, si praeferas peritiam in hac re, v. gr. si fueris sacerdos, confessarius.

Et is saltem graviter peccare censendus est qui alicui, de cuius constat vocatione, sine ratione contrarium dat consilium quod praevidet fore efficax. Nec tantum, si accesserit detractio personae vel religionis, fama restituenda est, sed « deceptio ipsa tollenda est, et veritas aperienda, ut pars decepta in suam libertatem restituatur. » Quod si nihilo minus qui prius deceptus erat iam nolit ingredi religionem, non videtur alia restitutio facienda monasterio : cum huic nullum in talem personam erat ius acquisitum. Suar. l. c. n. 10 etc.

---

[1] Haec tamen facile committitur cum interest adulescentium. Cfr. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9 *De statibus*, c. 1, n. 201.

CAPUT II

DE IURIDICA FACULTATE ET LIBERTATE CAPESSENDI STATUM RELIGIOSUM DEQUE CONTRARIIS IMPEDIMENTIS ET OBLIGATIONE

S. Thomas, 2, 2, q. 180, art. 2-7 ; *Passerini, De hominum statibus*, in allatos art. S. Thomae, t. 3, p. 196-337 ; *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 4 ; l. 5, c. 1-9 ; et l. 6, c. 3 et 6-10 ; *Laymann, De statu religioso*, c. 6, *Schmalzgrueber*, in l. 3, t. 31 et t. 32 ; in l. 4, t. 6 n. 38-42 ; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, tr. 1, p. 1, c. 3, s. 2 ; *Pellizarius, Manuale regularium*, tr. 2, c. 4 ; tr. 4, c. 1. s. 2 ; *Rotarius, Theol. mor. Reg.* t. 1, l. 1, c. 7 ; l. 2, c. 2 ; *Bouix, De Iure regularium*, t. 1 p. 528 553 ; *Biederlack, De iure regularium*, c. 2, art. 1 : *Ballerini-Palmieri, Opus theol. morale* tr. 9, c. 1 a n. 190 ; tr. 10 s. 8 n. 807-814 ; *Nilles, De libertate clericorum religionem ingrediendi ; Piat, Praelectiones iuris regularis ;* t. 1, p. 50-80 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, t. 1, p. 49-98 ; *Wernz, Ius decretalium*, t. 3, n. 625-629.

§ 1. *De iuridica facultate*

134. 1. *Duplex* est *ingressus* status religiosi : alter quo initium fit probationis, alter per professionem religiosam. De priore hic agitur. *Duplex ingressus.*

2. Porro hoc est caput in ista re : *Ingressus est generis eorum quae sunt permissa* seu licita. Quare, « Esse religiosi generaliter possunt omnes Christiani qui iure non prohibentur [1]. » *Per se ingredi religionem licet, nisi constet impedimentum.*

Itaque *praesumitur facultas*, probandum est impedimentum ; nisi constet aliquid obstare, aditus cuivis patet.

135. Per se integrum est ipsis **clericis** ingredi in religionem. Immo iura id diserte statuunt. *De clericis.*

Cfr. c. Clerici, unic. C. XIX, q. 1 ; c. Alienum, 1, eodem, q. 2 ; et eiusdem quaest. c. Duae sunt, 2 (dubiae authentiae secundum Berardi) ; Benedictus XIV, litt. *Ex quo dilectus*, 14 Ian. 1747, qui late de hac re ; Resp. S. C. EE. et RR. 20 dec. 1859 T. 2, p. 255-266 ed. 2).

Quod de ipso ingressu in *Congregationem religiosam* dicendum videtur. Ratio eadem est : non est impediendum sanctioris vitae propositum ; et confirmatur S. C. EE. et RR. 21 iul. 1837 ad 2. (T. 2, n. **22**, p. 264. ed. 2). *Quid de ingressu in congr. religiosam ?*

Minime obstat si quos forte insumpserit seminarium sumptus in alendo clerico vel ipse iam fuerit sacerdotio auctus. Nisi enim conceptis verbis, in ipsa census (Bursae) constitu- *Quid si sumptus facti a Seminario ; vel ipse*

[1] Schmalzgrueber, in l. 3, t. 31, n. 23.

iam sit sacerdos ?

tione aliter fuerit cautum, res aestimanda est ex communi iure clericorum, quo permittitur ingressus [1]. Nec res mutatur si forte ex dispensatione S. Sedis ordinatus fuerit sine titulo [2].

Nec, per se, qui inter studia ad propositum devenit capessendae Religionis, id Episcopo vel Superioribus manifestare debet. Namque haec est communis ex iure condicio alumnorum seminarii, ut publicis impendiis instituantur ; et tamen ex eodem iure integrum est clericis Religionem ingredi. Sic Nilles.

Quid si pactum contrarium ?

Si tamen diserte, ex pacto vel iuramento legitime praestito, se adegerit ad serviendum dioecesi per aliquot annos, clare intellegendo casum vocationis religiosae, ingressum differre debebit clericus ; nisi tamen, ob periculum salutis vel vocationis, nimio excusetur incommodo. Cfr. dicenda de gravatis aere alieno, n. **149**.

Probabilius ne petenda quidem est venia Episcopi ; attamen, saltem ob testimoniales litteras quae nunc requiruntur, Episcopus erit de hoc consilio praemonendus.

Cfr. plura de his apud Nilles in laudato opusculo.

De clerico beneficiato vel parocho.

136. Quaeres, quid iuris si clericus fuerit **beneficiatus**, vel adeo **parochus** ?

Neque isti severiore utuntur iure ; sed, ut testatur Benedictus XIV, litt. *Ex quo dilectus*, 14 ian. 1747, monere debent Episcopum, qui possit beneficio providere. Itaque per aliquod tempus, non ita diuturnum, ipsis erit exspectandum.

Si grave ex discessu passura videatur ecclesia detrimentum, Benedictus XIV concedit ab Episcopo revocari posse clericum beneficiatum qui ipso invito discesserit ; simul monens tamen, Episcopo difficile fore ut in casibus particularibus suum ius persequatur : cum alter reponere possit suam salutem in saeculo periclitari. Cfr. S. Alph. l. 4 (5), n. 75. 76.

Sanctio facultatis ingrediendi.

137. Facultas ingrediendi religionem, quod attinet ad mulieres, munita est, ex Tridentino s. 52. *De Reg.* c. 18, sanctione *excommunicationis nemini reservatae*, qua ii certe [3] plectuntur, qui, sine iusta causa, impediunt (efficaciter), non solis precibus, sed vi, metu, dolo, puellam quominus sollemnem faciat professionem. Cfr. Piat, t. 1. p. 44-48.

---

[1] Confirmatur resp. S. Congr. Conc. 26 feb. 1695. Cfr. Monacelli, *Supplementum formularii*, t. 2 n. 108.

[2] Frustra conatur R. D. Daris fingere hic tacitam promissionem serviendi dioecesi. Praeterea observes eundem qui ordinatus sit ex dispensatione sine titulo, obtinere in vita religiosa titulum quo potuisset legitime ordinari ; et fieri plerumque ut ingrediatur Institutum quod ipsi dioecesi utilem operam navat. Videsis quae in hac re obicit R. D. Daris, *Quaestiones de statu religioso*, n. 42.

[3] Textus multis dat locum controversiis.

§ 2. *De libertate ingrediendi Religionem*

138. 1. Nemo hodie fit religiosus nisi sciens et libere volens, secundum illud : « Nullus tondeatur nisi in legitima aetate et spontanea voluntate, » c. 1 *De Regularibus* (III, 31). *Hodie nemo nisi volens fit religiosus.*

2. Hinc si religione vel voto impellantur parentes ad offerendos monasterio filios vel filias nondum puberes vel infantia egressos, qui Deo in perpetuum serviant, id quidem ipsis licet[1] tenebunturque sua oblatione ita ut filios nequeant revo- *Praesens ius de oblatis.*

---

[1] Obstat tamen, quominus recipiantur oblati impuberes, sicubi sit moribus firmatum, decretum S. C. super statu Regularium, 16 maii 1675. Ex speciali enim mandato Clementis x, decreto isto praecipitur in virtute oboedientiae, « Ut de cetero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel Servientibus, nec pro hospitibus seu postulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis vel induendis, seu quovis praetextu vel causa aut quaesito colore recipiant, seu admittant ad habitandum intra claustra, nisi vicesimum aetatis suae annum expleverit, omnesque sic receptos seu admissos (iis tantum exceptis, qui completa aetate annorum quindecim, pro Clericis, seu Choristis in habitu noviciorum annum probationis agunt) a Monasteriis seu Domibus regularibus omnino amoveant et eiciant infra terminum duorum mensium. »

Apud Ferraris. v *Habitus*, n. 32-35, pro verbis *ad habitandum* ponuntur *ad habitum*. Quam lectionem esse mendosam, contra atque autumat scriptor periodici *Monitore* x_9, p. 232, 233, constat tum ex inscriptione Decreti, a Ferraris omissa, et quae, apud Bizzarri, sic sonat : « De Tertiariis, et Hospitibus, atque aliis non recipiendis, nec retinendis *ad habitandum* etc. » ; tum ex altero defectu, quo Ferraris praeteriit verba : *ac quovis habitu indutis vel induendis ;* tum denique ex testimonio Nervegna, qui collato, ut p. 8 affirmat, textu apud Secretariam S. C. super disciplina regulari, confirmat lectionem Bizzari.

Utcumque tamen se res habet, astipulamur plane interpretationi eiusdem periodici qua prohibitio iis circumscribitur qui commorentur in monasterio tamquam oblati, donati, vel postulantes, in ordine ad aliquam cooptationem in Religionem, vél tamquam inservientes qui ipso habitu ostendant se aliquo modo addictos monasterio. Id ex fine decreti, abusibus quos compescit et omni scripto clare videmur colligere. Minime ergo probare possumus severitatem R. D. Nervegna, qui, p. 96, vetat ne, sine indulto S. Sedis, iunior in monasterio etiam semel pernoctet, cum in decreto non commemorentur hospites nisi ii qui postulantibus assimulantur. (Cfr. v. gr. de ista vi vocis *hospitum*, Institutum S. I. *Examen generale*, 1, § 13 et *Constitutionum* p. 1, c. 4 § 1.) Quod non tantum ex contexta oratione sed ipso perspicitur modo interpungendi. Dum enim post singulas voces *Tertiariis*, *vel Oblatis*, etc. ponitur comma (,), uno tenore proferuntur *nec pro Hospitibus seu Postulantibus*. Ita apud Bizzarri et ipsum Nervegna. Ex facultatibus autem quae quandoque a S. Sede postulentur nimis notum est infirmum erui argumentum, cum saepe prodant timoratam petentis conscientiam potius quam scientiam iuris. Quid, quod in luce atque oculis Ecclesiae, plura Instituta, eaque probatissima, quam plurimos tecto recipiant instituendos adulescentes, nec cogitant de aliqua petenda dispensatione a decreto Clementino vel observanda aetate (14 annorum, extraordinario duodecim) quam convictoribus praestituit R. D. Nervegna, p. 95.

care ; filii autem vel filiae, statim atque adepti sunt pubertatem, integram servant status optionem. Cfr. c. Significatum est, 11 ; c. Virum, 12 ; c. Simus, 14, *De Regularibus* (III, 32) ; Schmalzgrueber in h. t. n. 150, 151 ; et Bouix, *De Iure regularium*, t. 1, p. 540. 541.

Sanctio libertatis ingrediendi.

139. *Sanctio* istius liberae optionis continetur :

1. Iuribus quae irritam faciunt professionem religiosam gravi metu extortam ;

Nullitas professionis exortae.

2. Capite 18, s. 25 C. Trid. *De Regularibus et Monialibus*, quo decernitur excommunicatio, latae sententiae sed nemini reservata, contra eos qui coegerint, praeterquam in casibus in iure expressis, mulierem invitam vel ad professionem emittendam vel ad ingrediendam religionem, vel ad habitum suscipiendum. Qua poena plectuntur etiam faventes et consentientes.

Excommunicatio Tridentino.

Mulier de qua agitur est femina quae sit iam nubilis ; monasterium stricte est accipiendum de domo ubi vota fiant sollemnia ; casus denique in iure expressi habentur CC. Cum sis, 4. *Significavit*, 18 ; Gaudemus, 10, de *Conversione coniugatorum* (III, 32). Bina priora capita uxorem respiciunt quae viro indulsit professionem religiosam ; tertium, adulteram cui vir denegat veniam.

De antiqua oblatorum disciplina.

140. Mos olim invaluit in utraque Ecclesiae parte ut parentes vel a teneris annis vel nondum natos filios vel filias Deo devoverent [1].

Hi pueri ad monasticam disciplinam summa instituebantur cura, nec raro morum integritate et sanctitate fuere illustres. Quid autem, si sui compotes facti eiusquae aetatis qua, quod ad vitae condicionem, sui quisque est iuris, ad saecularem vitam animo inclinabant ?

In Oriente, S. Basilius, *Reg. fus. tract.* 15, (M. P. G. t. 31 c. 355) statuit ut liberam servarent optionem.

In Occidente autem, patet ex c. 59 reg. S. Benedicti, eos fuisse astrictos obligationi, quasi propria voluntate hoc vitae genus duxissent. A Toletano vero Conc. IV (633), c. 49, promulgatus est canon « Monachum aut paterna devotio aut propria professio facit : quicquid horum fuerit alligatum tenebit [2]. » Disciplina ista, cuius alia documenta habemus in responso Gregorii II ad S. Bonifatium, relatum C. Wormatiensi (568) can. 55, et in C. Aquis-

---

[1] Testes de *Ecclesia orientali* sunt S. Basilius Magnus *Regul. Brev.* 202 (M. P. G. t. 31, c. 1287) ; S. Gregorius Nyssenus, *De virginitate*, 24 (M. P. G. t. 47, c. 411) ; S. Ioann. Chrysost. *Adversus oppugnatores vitae monasticae*, 3 (M. P. G. t. 47, c. 366, 367) ; de *Ecclesia latina*, S. Hieronymus, ep. 107 ad Laetam, (M. P. L. t. 22, c. 867 sq.) ; ep. 128, ad Gaudentium (M. P. L. t. 22, c. 1095, sqq.) Cfr. Wilpert *Die gottgew. Jungfr.* p. 27-30.

In Oriente tamen statuit C. Trullanum (692), c. 40, ne vitam monasticam inirent nisi decem saltem annos nati.

[2] Labbe-Mansi, t. 10, p. 631.

granensi d. 36 [1], quamque opusc. 16 S. Petri Damiani, c. 5 [2], et epist. 1 et 324 S. Bernardi probant sua etiam aetate usu venisse, assertorem et propugnatorem nacta est Rabanum Maurum, l. *De oblatione puerorum.* (M. P. L. t. 107, p. 419 sq.

Ad saec. autem XII exiens permansit integra, donec a Caelestino III (1191-1198) c. Cum simus, *De regularibus* (III. 31) et Innocentio III (1198-1216) temperata, ultima in saec. XIII reliquit vestigia [3].

Frustra igitur tam illustria facta nonnulli, v. gr. R. P. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 192, cum Glossa in C. XX, q. 1 et Suarez, tr. 7, l. 6, c. 3, n. 13, conati sunt negare vel violenta enervare declaratione. Defensio autem usus, qui tam nostris repugnat moribus atque existimationi, quaerenda videtur ex maiore vi potestatis paternae.

Apud non paucas enim gentes parentibus ius erat statuendi de sorte filiorum futura. Nonne etiam Iudaei tantam patri concesserunt potestatem, nonne eiusdem vestigia habentur in 1 ep. S. Pauli ad Corinth. VII ? Quid tunc mirum, si, qui libera de condicione filiorum gerebant arbitria, eosdem potuerunt suavi subdere imperio Christi ? Haec sane a nostris moribus satis sunt aliena, nec diffitendum est magis votis naturae esse consentaneum, ut suum quisque deligat statum vitae. Immo, hodie, evoluto magis cultu civili, haec honeste admitti non possent atque in praesenti civitate ipsam offenderent legem naturae. Ne tamen ex praesentibus adiunctis consideremus pristinos mores ; neve leviter improbemus [4], tamquam iuri naturae contrariam, amplam illam in filios potestatem quae tot populorum legibus est sancita. Et re quidem vera, cogentem rationem qua id efficeretur non agnovere viri doctrina aeque ac sanctitate conspicui ; recens etiam non agnovit Benedictus XIV, dum § 7. litt. *Probe*, 15 dec. 1751, concedit, excepto iure vitae, posse lege positiva ascribi parentibus omnimodam dispositionem status filiorum et vitae generis. Accedit ratio, quod tanta potestate non laeduntur primaria iura personae, quae huc spectant ut possit aptis mediis se dirigere ad finem ultimum. Nonne simili argumento ostenditur genus aliquod servitutis stricte legi naturae non adversari ? Ab omni autem crimine immunis est Ecclesia, quae tantam

---

1 Cfr. c. 2. 3. 4. 6, C. XX, p. 1.

2 Migne, t. 145, c. 572, 573.

3 De hac re, cfr. Benedicti XIV litteras *Postremo mense*, 28 febr. 1747 et *Probe* § 3, 15 dec. 1751 ; *De Synodo*, l. 6, c. 3 ; Martene ad c. 59 reg. S. Benedicti ; Binterim. *Denkwürdigkeiten*, t. 3, p. 2, 9, § 9 ; Th. Waldensis, *Doctrinale fidei*, t. 3, c. 77 ; I. Devoti, *Instit. canon.* l. 1, c. 9, § 13 ; Fleury-Zacharia, *Disciplina populi Dei*, t. 3, p. 239, diss. 48 (Petri Magagnotti) : Seidl, *Gottverlobung der Kinder*. Ritum oblationis describit v. gr. Martene, tum ad dictum c. 59 regulae S. Benedicti, tum *De antiquis Monachorum ritibus*, l. 5, c. 5.

4 Minime probare possumus absolutam reprehensionem contentam § 42. 43 opusculi D. Seidl.

parentum potestatem non induxit et mere sivit eius fieri usum in honorem Dei.

§ 3. *De Impedimentis ingressus in religionem*

I. De Ingressu in Ordinem regularem

Varia impedimentorum genera.

141. Impedimenta : 1. *Pro vi sua*, sunt *substantialia,* quae iuridicum tollunt valorem ingressus et professionis cui obstant, vel *mere prohibentia*, quae licitum impediunt ingressum :

2. Pro *origine sua*. sunt iuris *divini* vel *iuris ecclesiastici ;*

3. Pro *universalitate sua*. sunt *communia* omnium Religionum, vel alicuius *propria*. Hic consideramus tantum communia impedimenta.

4. Pro *proxima* unde oriuntur *stirpe*, sunt : a) Naturalis inhabilitas, b) Defectus libertatis, c) Contrariae obligationes, d) Honestas et decor Religionis.

A. De iis quos natura fecit inhabiles

Prohibentur :

Infantes, amentes ;

142. Infantes, atque, extra lucida intervalla, **amentes** nequeunt sua voluntate valide ingredi religionem. C. Sicut tenor, 15, *De Regularibus* (III. 31). Liquet non expedire ut etiam qui intermissionem habent amentes tunc cooptentur in Religionem.

B. De iis qui sui iuris non sunt

Impuberes ;

143. 1. **Impuberes** prohibentur ingressu invitis parentibus ex quibus pendent quod ad vitae rationem. Qui sine parentum assensu fuerint ingressi, de monasterio devocari possunt *intra annum*, quo elapso censentur parentes ingressum tacite habuisse ratum. C. Si quis, 2. *De Regularibus* (III. 31).

Servi ;

2. **Servi** proprie tales indigent assensu eri, ob huius ius acquisitum.

C. De iis qui contrariis detinentur obligationibus

Episcopus ;

144. 1. *Episcopus*, qui vinculo spiritualis conubii astringitur Ecclesiae suae, nec *licite,* quod constat, nec *valide*, ut cum plerisque opinamur, ingredi potest Religionem, nisi ex auctoritate S. Pontificis, a quo solvi potest promissa cura.

Porro ratio data probat :

Teneri impedimento Episcopum *confirmatum* etsi nondum consecratum, cum post confirmationem munere episcopali sit auctus.

Non teneri Episcopum *mere electum*, vel qui *iam* legitime cathedra *se abdicarit*, vel mere *titularem*. De hoc tamen quidam severius respondent. Ita Suarez, tr. 7, l. 6, c. 8, n. 5.

145. Coniuges, *post consummatum matrimonium*, arcentur a Religione, *nisi alter suo iure cesserit vel ceciderit.* *Coniuges.*

a) *Donec matrimonium consummetur,* patet alterutri ingressus in religionem, etiam altero invito, atque ex iure positivo conceditur spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu. Per istud itaque tempus, cuius initium definiet iudex ecclesiasticus[1], fas erit ob hanc causam negare debitum. Quod si, ante binos istos menses, vir, adhibita vi, usus sit matrimonio, libera manet coniugi optio. Haec duorum mensium facultas, cum positivi sit iuris, non prodest nisi iis qui velint ingredi Religionem presse talem. — Cfr. c. Verum, 2 ; Ex publico, 7, *De conversione coniugatorum* (III, 32). *Optio bimesiris.*

b) *Iure cadit alter coniugum,* si adulterio vel aequiperato scelere apostasiae, haeresis, ius alteri tribuerit perpetuae separationis. Separatio oportet ut iudicio ecclesiastico sit indicta, nisi crimen fuerit notorium. Cfr. c. Constitutus, 15 ; Veniens, 16, *De conversione coniugatorum* (III, 32.) *Iuris amissio.*

c) *Alterius partis assensu,* qui metus vitio sit immunis, impedimentum tollitur. Pars tamen (vir vel uxor) quae annuerit, debet ipsa, si iuvenis fuerit vel quomodocumque suspecta de incontinentia, Religionem ingredi ; si vero integrae famae fuerit et eius aetatis qua nulla iam est incontinentiae suspicio, satis erit si in saeculo votum nuncupet continentiae tunc cum alter professionem sollemnem est facturus[2]. — Cfr. c. Praeterea, 1 ; Cum sis, 4 ; Ad apostolicam. 13 ; Significavit, 18, *De conversione coniugatorum* (III, 32). — Rursus positivae istae sanctiones circumscribuntur Religione stricte tali. *Alterius assensus.*

Votum istud in saeculo nuncupatum neque est sollemne, neque videtur dirimere matrimonium, quod, neglecta voti religione, contraxerit alter, mortua parte quae religionem est professa. Cfr. Sanchez, *De Matrimonio*, l. 7, d. 32, n. 5-8 ; Schmalzgrueber, in l. 3, t. 32, n. 66-68, contra nonnullos alios. *Votum in saeculo.*

d) Assensus coniugis, quatenus requiritur, ad *validam* postulatur professionem. Qui vero ex hoc capite irritam fecerit professionem, existimatur, in foro saltem externo, simplici astrictus voto castitatis. Videlicet, praesumitur vovisse quantum in ipsius esset potestate. C. Quidam, 3, eodem (III, 32). *Assensus est conditio valoris.*

---

[1] Ita probabilior plurimorum sententia. Cfr. Piat, t. 1, p. 52.

[2] Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* tr. x, s. 8, adhaerens Schmalzgrueber in l. 3, t. 32, n. 32. 33 et arguens ex c. Si vir, C. 27, q. 2, existimat opus esse ut praeterea accedat assensus Episcopi. Videlicet hoc requiritur quatenus sine auctoritate Ecclesiae coniuges alter ab altero separari non possunt. Ita glossa in hunc canonem.

Sponsalia de futuro, seu mutua matrimonii promissio ingressum in religionem non impediunt, cum vocatio ad statum perfectiorem iusta sit causa recedendi a tali pactione. Idem valet, cum eadem sit ratio, de ingressu in congregationem religiosam.

Filii in necessitate parentum.

146. Filii ingredi nequeunt Institutum religiosum, si ob ingressum prohibeantur *gravi* consulere parentum necessitati sive praesenti sive futurae.

Vel proximorum.

Quod videtur in *extremam* transferendum necessitatem fratrum et sororum. Sunt tamen qui negent specialem obligationem attendendi ad fratrum necessitates [1].

Iure tamen positivo non infirmatur ingressus seu professio quae ex hoc capite sit illicita.

Ratio impedimenti est praeceptum honorandi patrem et matrem, quod, cum graviter urget, posthaberi nequit ad exsequenda opera quae mere sunt consilii.

Quid gravis necessitas?

Gravi porro necessitate, secundum Suarez, qui diligenter in illud inquirit [2], premitur parens qui, nisi filius opem ferat, cogetur incommoda pati vel dedecus quae, pro condicione sua, existimantur vere notabilia et talia quibus magno afficiatur luctu.

Quid si minor.

Et hoc quidem de necessitate quae ingressum illicitum faciat, etiam si filius voto se astrinxerit ingrediendae religionis. Praeter illam vero est minor necessitas, quae, etsi proprie non obstet, hoc tamen efficit ut, secundum prudentem existimationem, consultius sit propositum religionis differre aut non exsequi, ita ut etiam sit iusta causa cur dispensari possit votum si quod fuerit factum. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 5 ; n. 18. 19.

Vel ordinis spiritualis?

Atque huc pertinere putamus dubium, utrum necne necessitas non corporalis sed spiritualis impediat ingressum filiorum. Haec aderit, si ingressus videatur occasio ruinae spiritualis, vel si parens omni liberorum conversatione orbatus tristes admodum videatur acturus dies. Quod ut attingamus dubium :

a) *Nulla* ex ea causa nascitur stricta *obligatio* deserendi religionis propositum. *Per se* enim necessitas ista ex libera pendet voluntate parentum. In horum est potestate ut, mutato animo et freti supernaturali subsidio, aequius ferant sortem quae ipsis adiunctis communis est multorum nec ita dura existimatur. Quisnam, praeterea, hanc ob causam filium honesto arceret coniugio ? Palmieri, *Opus theologicum*, tr. 9, c, 1, n. 19.

b) Prudens *suasor* ad eam hortabitur viam quae, perpensis detrimentis et commodis, videtur praeferenda, ita tamen ut semper magis animo inclinet in ea quae a Christo proposita sunt ut meliora. Ratio cur non ilico omnibus suadeat ingressum in religionem, in eo est, quod hinc quidem etiam extra Instituta religiosa via consiliorum non tam est interclusa quam impeditior, et saepe ad omnia

[1] Ita Biederlack, n. 18. — [2] Cfr. ipsum, *De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 5, n. 10-32.

concilianda satis est aliquantum cunctari et prolatare diem; illinc vero, ipse qui impellitur ad religionem, pro dotibus suis et Instituti delectu, maiorem vel minorem dat spem utilitatis tum propriae tum communis.

147. Quaeres, an *filius possit* aliquando vel *debeat* exire e claustro ad subveniendum parentibus ?

An filius possit vel debeat e claustro exire ad consulendum parentibus ?

1. *Ante facta vota,* egredi debet, nisi alio modo providere possit extremae vel gravi parentum necessitati. Nondum enim mutavit statum, nec aliquo vinculo prohibetur.

2. *Post vota,* debet prius rogare Praelatum ut per modos licitos nec suae professioni repugnantes opitulari possit parentibus. Atque hanc facultatem detrectare non potest Praelatus.

Quod si fieri nequeat nisi egrediendo e claustro et habitum dimittendo, si necessitas sit *extrema* et *indubia,* tenetur exire. Observes agi de egressu sine *solutione votorum.*

In *gravi* necessitate, indiget, ad exeundum et manendum in saeculo, legitima Superioris facultate. Haec est sententia probabilior. Et si per dimissionem solvi possunt vota, censetur adesse causa eam concedendi.

148. Parentes, cum per se filios alere atque instituere debeant, ingredi Religionem vetantur nisi apte providerint filiis instituendis et secundum statum suum alendis.

Prohibentur Parentes;

149. Aere alieno gravati, quorum creditor sit certa ac definita persona, causa autem debiti onerosa non autem liberalis promissio, dehortandi sunt ab ingressu quo impediatur debiti solutio. Cfr. Sanchez, *in Decalog.* l. 4, c. 19, n. 10.

Aeri alieno gravati.

Verum enimvero, distinguendae hic sunt iuris naturalis et iuris positivi sanctiones.

1. Stando *iure naturae*, S. Thomas [1] arbitratur, ei qui solvendo non est licere, facta bonorum cessione. ingredi in religionem, cum patrimonium non autem persona debitoris obligetur creditori.

Ex iure naturae.

Contra, Doctores quidam Parisienses et Gregorius de Valentia [2], arguentes ex necessitate explendi officium iustitiae, vetant ne religionem ingrediaris, si hac ratione prohibearis satisfacere creditoribus.

Aequior et verior sententia, quam tuetur S. Alphonsus [3], nititur hoc principio: debita esse solvenda nisi nimio excuseris incommodo. Quare, si manendo in saeculo videatur *brevi* futurum ut debiti magnam saltem solvas partem, neque immineat probabile periculum peccatorum vel amittendae vocationis, interea erit supersedendum proposito religionis. Quod si alterutrum intercesserit, integrum erit tibi cedere bonis et capessere statum religiosum.

Breve porro tempus, quod in morali versatur existimatione, a Schmalzgrueber definitur duobus vel tribus annis. Cfr. ipsum in l. 3, t. 31, n. 37.

---

[1] 2, 2, q. 189, art. 6 ad 3. — [2] *Comment. theol.* t. 3, d. 5, q. 6, p. 7. — [3] *Theologia mor.* l. 4 (5) n. 71.

Ex iure positivo.

2. *Ex iure positivo*, gravibus poenis plectuntur ii qui in religionem admiserint iuvenes aut viros adultos qui sint « ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravati ». Cfr. C. Sixti v, *Cum de omnibus* § 4 et 5 (1587), temperatam C. *In Suprema* (1602), Clementis viii. Sanctiones istae positivae, quae respiciunt tantum virorum ingressum et Religiones presse tales, ita benigne a Doctoribus intelleguntur, ut aere alieno gravati sint ii tantum qui gravi culpa sua ad has redacti sint angustias. Immo hi etiam, ut plures volunt, non iam sunt repellendi, si omnis spes tollatur solutionis in saeculo. Ita Tamburini, *De iure abbatum*, iii. d. 69, 3, n. 11, cui repugnat Bouix i, p. 534-537.

N. B. Ut omnia prudenter fiant, erit etiam in hac re ratio habenda eorum quae leges civiles statuunt de debitoribus.

Prohibetur deceptor.

150. Qui vera vel ficta matrimonii promissione **feminam deceperit**, quatenus hanc debeat in uxorem accipere, fieri nequit religiosus. De qua re, cfr. v. gr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* tr. 8, p. 2, n. 304 sqq.

D. De iis qui arcentur ob honestatem et decorem Religionis

Illegitimi, non absolute

151. Illegitimi, in illam Religionem in qua pater sit professus, vivente patre, admitti non possunt. C. Gregorii xiv, *Circumspecta*, 15 mart. 1591.

Infames et criminosi.

152. Perspicitur arcendos esse **infames et criminosos**, i. e. eos quibus ob gravia crimina luenda est vel imminet magna poena. Hac purgata, patet ingressus, nisi obstet permanens infamia.

De admittendis viris qui homicidii, furti vel similis delicti sint damnati, aut de huiusmodi crimine apud saecularem iudicem ea ratione accusati quae nunc exsolevit, ita ut accusatio actis publicis constaret, est prohibitio iuris positivi ex Sixti v. CC. *Cum de omnibus*, et *Ad Romanum spectat.* Inductam autem a Sixto v sanctionem nullitatis sustulit Clemens viii, C. *In Suprema.*

Obligati ad ratiocinia.

153. Ad ratiocinia obligati, i. e. ii qui privata vel publica causa *litigiosam* reddere debent rationem temporalis administrationis, utputa tutelae, excluduntur quatenus his impendeant notabiles molestiae. Cfr. cit. CC. Sixti v et Clementis viii.

Quid iuris si celatum sit impedimentum.

154. Quaeres *utrum necne* **valide admittatur** *is qui occultavit impedimentum ?*

R. Si ex lege generali vel probatis Constitutionibus impedimentum sit *substantiale*, constat cooptationem istam esse irritam.

Atque observes impedimenta esse substantialia vel *absolute* vel *relative :* absolute, quae simpliciter excludunt ;

relative, quae excludunt, nisi a competente Superiore dispensetur. Ita, in Societate Iesu, Praepositus Provincialis, non autem Generalis, caret potestate admittendi candidatos qui nondum expleverint 15 aetatis annos vel qui superaverint 50.

Si vero candidatus impedimento mere prohibente detineatur, culpanda quidem graviter est dissimulatio, estque legitima causa dimittendi si forte innotuerit, sed, ob incommoda quae orirentur ex condicionata voluntate, existimatur Ordo satis assentiri ut valeant huiusmodi admissio et secuta professio.

Haec sententia ratione aeque ac responsis S. Congregationis commendatur, contra alia placita, v. gr. Pellizarii t. 1, tr. 3, c. 2, n. 31-32, quae rem hanc faciunt impeditam. Cfr. Piat, t. 1, p. 79, q. 4.

II. De Ingressu in Instituta votorum simplicium

154bis. Hactenus recensita impedimenta eatenus cadunt in Instituta votorum simplicium, quatenus lege fundantur naturae. Quare ea quae propria videbantur esse Ordinum regularium indicare non omisimus.

Normae vero approbandis Institutis a S. C. Episcoporum et Regularium recens praescriptae haec indicant communia impedimenta [1] quae sola S. Sedis auctoritate solvi possunt :

Defectus *natalium*, rite facta legitimatione non sanatus.
Aetas maior triginta annis vel minor quindecim.
Vinculum *votorum* in alio Instituto, vel *matrimonii*.
Aes alienum cui solvendo non sint candidati ;
Obligatio ad ratiocinia litigiosa ;
Viduitas, quod ad Instituta mulierum.

§ 4. *De obligatione ingrediendi religionem*

Obligatio ista ex duplici stirpe nasci potest : ex *lege ecclesiastica* vel ex *voto*.

I. De obligatione ex lege

155. 1. Ingredi absolute debet religionem *uxor* illius qui, annuente uxore, sacros suscepit ordines, si vir *ad dignitatem episcopalem* promoveatur ; debetque ipsa prius profiteri continentiam et religiosum induere habitum quam

Varii casus.

Uxor viri episcopi.

[1] Impedimenta ista *per se* non videntur esse substantialia. Cfr. t. 2, p. 132, n. **43**, (ed. 2).

maritus munus istud suscipiat. C. Sane, 6, *De conversione coniugatorum* (III, 32).

Uxor ascendentis ad sacros ordines.

2. Ingredi debet religionem *uxor* quae viro indulget ascensum *ad sacros ordines*, nisi provecta aetate simul et integra fama immunis sit a periculo et suspicione incontinentiae. Huic enim satis est in saeculo votum nuncupare continentiae. Praeterea, secundum *communiorem* sententiam [1], quae difficile ex iure eruitur, inhabilis est, etiam mortuo viro, ad contrahendas nuptias.

Alter coniugum, si alteri permittat ingressum in religionem.

3. Eadem omnino obligatione tenetur *alter coniugum* qui alteri permiserit *ingressum in religionem*. Continentia tamen quam in saeculo promiserit Deo, non est impedimentum dirimens, nisi alter sacro ordine augeatur.

De his cfr. Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* tr. 10, s. 8, n. 812-814.

II. De Obligatione ex voto

Imprimis spectanda intentio.

156. Consideranda imprimis est *intentio* voventis, de qua si constet, vis voti ad hanc rationem exacti ambigi nequit. *Per se* autem, seu nisi secus sibi statuerit qui votum fecit, pro varia eius ratione, variat, eo quem statim dicemus modo, voti illius obligatio. Distinguenda enim sunt voti *obiectum*, utrum sit de mero ingressu an etiam de perseverantia, et *terminus*, utrum respiciat monasterium, an ordinem, an religionem in universum.

Votum ingrediendi.

157. 1. Qui solum vovit *ingressum*, non tantum noviciatus intrare debet limen, sed habere etiam propositum serio experiendi vitam religiosam [2]. Ob rationabilem causam, fas ipsi est repetere saeculum ; et, si excusatio dein evanuerit, redire non debet, cum solum promiserit ingressum. Rationabiles autem causas indicat Sanchez *in Decal.* l. 4 c. 16, quem probat Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 220.

Votum illud tamen huic obnoxium est condicioni : nisi sincere postulans repulsam tulerim. Quaenam autem satis sit, cfr. statim n. **159, 160d, 161c.**

Votum ingrediende et permanendi.

158. 2. Qui vovit non tantum *ingressum*, sed etiam *perseverantiam*, perpetuo manere debet quam diu bonum ipsi sit profiteri, nec incidat aliqua non praevisa gravis difficultas, cuius ignorantia causam dederit voto. — Is etiam, si ob causam *temporalem* egressus fuerit, debet, hac sublata, monasterium repetere. Sanchez l. c. ; Laymann, *De statu relig.* tr. 5, c. 6 n. 13.

---

[1] Cfr. Sanchez, *De matrim.* l. 7 d. 40, n. 2 ; Schmalzgrueber in l. 4 t. 6, n. 40-42 ; Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* tr., 10, s. 8, n. 814 ; Feije, *De Impedimentis et dispens. matrim.*, n. 513 ; dum S. Alphonso contraria sententia visa est satis probabilis, l. 6 n. 812.

[2] 2, 2, q. 189 art. 4, ad 3.

159. 3. Qui voto suo *certum* respexerit *monasterium* unde absolute repulsus fuerit, vel ea tantum lege admissus quae onus addat praeter eius intentionem, omni voto fit immunis. Si tamen post, Superior, mutato consilio, paratus sit eum recipere, tenetur, ut magis est verisimile, suo ingrediendi voto, nisi notabilis intervenerit adiunctorum variatio. Cfr. Laymann, *De statu relig.* tr. 5, c. 6, n. 4. *Votum circumscriptum monasterio.*

160. 4. Qui voto tenetur *certum* ingredi *Ordinem :* *Votum ingrediendi certum Ordinem.*

a) Potest ingredi Ordinem *in se* et *sibi perfectiorem.* Permittitur enim commutatio operis Deo promissi in opus melius.

Quisnam autem sit Ordo perfectior, id aestimari poterit sive ex usu iuridico, quo praefertur Religio magis austera, sive ex principiis supra traditis, quibus, v. gr. modo sis idoneus, anteponere possis Religionem quae spiritualibus curis addicitur alii quae versatur in temporalibus.

b) Ob similem causam convertere potest votum *mere ingrediendi* Religionem strictiorem, in votum ingrediendi minus strictam ac simul in ea permanendi.

c) Peccat per se, ingrediendo Ordinem *minus strictum :* nisi accesserit dispensatio Papae aut Episcopi, vel nisi Ordo habuerit privilegium recipiendi tales, ita ut tacite dispensentur a voto Religionis strictioris.

Tenet tamen *professio* in Ordine minus stricto, et professum priore levat voto, saltem ex iure positivo. C. Qui post, 5, *De Regul.* in 6°. Cfr. S. Th. l. c. art. 8 ad 3 ; Palmieri, l. c. n. 231.

d) Si a Superioribus istius Ordinis, tamquam minime ad Ordinem aptus reicitur, ipsis credere *per se* potest et se tamquam immunem existimare. Si vero iusta sit erroris suspicio et, cum spe probabili, alii praelati eiusdem Ordinis adiri facile possint, semel et iterum, non tamen saepius, rem tentare debebit. *Facile,* inquam : quare quaerere non cogitur extra fines propriae gentis, vel etiam provinciae, si alia moribus nimis discrepet. Voto enim ita obstringitur, ut praestet illam diligentiam quae a prudentibus adhiberi solita est.

161. Qui voverit *Religionem in universum :* *Votum religionis in universum.*

a) Licite ingreditur congregationem ubi tria vota perpetua, etsi simplicia, emittuntur. Palmieri, l. c. n. 229.

b) Eligere non potest Ordinem in quo ita collapsa sit disciplina ut ne ipsa quidem vota essentialia ut par est observentur. Non videretur enim statum religiosum re suscipere, et se obiceret periculo perversionis. Non obstat, si tantum imperfecta sit disciplina. Cfr. Palmieri, n. 231.

c) Neque is tamen per se putandus est extraordinariam promisisse diligentiam. Quare cui petenti negatur aditus

aliquorum Ordinum, ad quos sese existimabat satis idoneum, ei non est imponendum onus quaerendi alios. Cfr. Palmieri, l. c. n. 228.

Qua ratione votum istud sit reservatum S. Sedi?

162. 1. Summo Pontifici reservatur votum ingrediendi Religionem presse talem, sive aliquam in universum, sive unam iam definitam. Nec requiritur ut promissa simul fuerit perseverantia.

2. Reservatio tamen in *substantiam* cadit, non in adiuncta voti, votumque afficit *absolute* factum, non quod condicione presse tali seu de futuro sit temperatum vel mere poenale.

Quare in voto religionis *strictioris*, qua talis, Episcopus valet dispensare, ita ut satis iam sit ingredi minus strictam.

Atque observes, dispensationem istam, quae prius concedatur quam in aliquem Ordinem sis admissus, nemini existimari damnosam, cum nullius laedat ius acquisitum.

CAPUT III

DE ADMISSIONE IN RELIGIONEM

PRINCIPIUM. De variis personis quae quodam modo pertinent ad religionem

Variae classes personarum quae commorari possunt in claustris:

163. Quo plures iuris sanctiones melius intellegantur, operae pretium est accurate ante oculos statuere quae varia condicione personae intra claustra religiosa reperiri possint. Itaque sunt potissimum:

Religiosi presse tales,

1. *Religiosi,* qui, emissis votis substantialibus, Instituti sunt proprie dicti sodales. Hi iam solent esse dispari gradu. Namque:

a) Qualitate votorum sunt *sollemniter* vel *simpliciter* professi;

b) Deputatis artibus et ministeriis, sunt *clerici*, *addicti choro*, vel *laici*, qui in domesticis vel temporalibus versantur negotiis. Saeculo XI, in Ordine S. Benedicti, coepti sunt ita distingui *Monachi litterati* a *Fratribus illitteratis, barbatis* [1];

Novicii,

2. *Novicii,* qui in proprie dicta probatione ad alterutrum gradum clericorum vel laicorum instituuntur, et in re favorabili veniunt nomine religiosorum;

Postulantes,

3. *Postulantes,* qui hospitum more versantur in claustris, aspirant tamen ad cooptationem in Noviciatum presse talem: eruntque magis proprie Postulantes, si, paucorum dierum

---

[1] Cfr. *Kirchenlexicon*, v. *Benedictinerorden*, p. 341. Ipsos fratres vere esse religiosos et sollemnibus per se astrictos votis non semel declaravit S. Congr. Cfr. Bizzarri, *Collectanea*, 318. 407, sq., 443. 444.

vel mensium intervallo ab hoc ingressu separati, iam cuiusdam religiosae probationis fecerint initium ;

Pueri oblati,

4. *Pueri oblati* a Parentibus, qui olim in perpetuum erant divino devoti famulatui. Cfr. supra, n. **140** ;

Oblati Tertiarii,

5. Genus quoddam *Tertiariorum,* qui dicuntur etiam *Commissi, Conversi, Donati, Oblati.* Horum communes notae sunt, quod quidem non accensentur, qua novicii, personis regularibus, adiunguntur tamquam auxiliarii, plerumque laici, Instituto religioso cui gratis se dicant in servitutem et cuius sumptibus aluntur. Alii nullis tenentur votis[1] ; alii solam promittunt oboedientiam vel castitatem ; alii vota faciunt simplicia, ita tamen ut benigniore utantur regimine faciliusque possint sine regulae dispendio etiam extra claustra Instituto operam dare. Atque hoc consilio videntur primum inventi esse a S. Ioanne Gualberto in Congr. Vallumbrosana. Solent proprium induere habitum [2].

Numquam sunt regulares, sed, si continuo degant in Monasterio sub oboedientia Praelati, erunt ecclesiasticae personae et in consortio exemptionis Regularium [3].

Hodie sunt Religiones in quibus non cooptantur in fratres laicos nisi qui per aliquod tempus Religiosis inservierint tamquam Tertiarii. Ita in Ordine FF. Praedicatorum debent per tres annos in hac versati esse condicione [4].

De his cfr. Suarez, *De Religione,* tr. 7, l. 6, c. 2, n. 29-33 ; Pellizarius, *Manuale,* 1, 3, 35-42 ; IV, 2, 182 ; VI, 2, 106 ; Benedictus XIV. *De Synodo,* l. 6, c. 3, n. 3-5 ; *Kirchenlexicon,* v. *Conversi, Laïenbrüder.*

Famuli mercennarii,

6. *Famuli mercennarii,* pretio conducti. Hi etiam, si ex continua commoratione in claustris evadant *familiares,* quadantenus, potissimum quod ad usum sacramentorum, participant Regularium privilegia.

Alumni convictores.

7. *Alumni convictores,* qui, ut videbimus infra, per tempus quo versantur in regulari domo, haberi *probabiliter* possunt pro familiaribus.

---

[1] Ita v. gr. in C. *Superna,* Clementis VIII, qua confirmantur Clerici regulares Infirmis ministrantes, describuntur : « Devoti ac pii homines sine ulla votorum promissione..., nec professione (qui) voluntarie se totos praedictis in Domibus nostris ministeriis impendant. »

[2] In Ordine S. Benedicti, hoc Oblatorum nomine designantur ii qui Tertiarii sunt saeculares aliorum Ordinum. (S. C. Indulg. 15 ian. 1895.) Porro Cassinensis Congregationis Oblati habent statuta approbata a S. C. EE. et RR. 17 ian. 1871 ; pluribusque fruuntur indulgentiis et gratiis ex Decr. S. C. Indulg. 4 iun. 1888 et 27 april 1895. (*Monitore,* IX, 1, p. 55 et 199.) Privilegia ista Leo XIII fecit communia Oblatorum totius Ordinis, Brevi 17 iun. 1898. De Oblatis Ord. S. Benedicti, cfr. disquisitionem historicam, in periodico *Revue bénédictine,* 1886.

[3] Benedictus XIV, *De Synodo,* l. 6, c. 3, n. 3.

[4] Disciplina ista proponitur in decr. S. C. 23 aug. 1898. *A. S. S.* t. 31, p. 537.

Si vero sumptibus Monasterii alantur, in *schola* quam vocant *apostolica,* ita ut ad unum informentur Institutum cuius est schola [1], videntur referendi in hospitibus seu postulantibus late dictis, et, si proprium induerent habitum, non effugerent vim decreti 16 maii 1675 de quo supra, n. **138,** nota 2.

Conversae apud Moniales.

N. B. 1. Etiam apud Moniales distinguuntur non raro quae choro addicuntur et sorores conversae, saltem quae vere sunt professae et clausura obligatae. Aliae, quae in Tertiariis sunt referendae et immunes a lege clausurae minus videntur esse S. Sedi acceptae. Cfr. v. gr. S. C. EE. et RR. in Gratianopolitana, iul. 1703, Bizzarri p. 318.

Latior usus nominum.

2. Non raro nomina : *Conversorum, Commissorum, Donatorum, Oblatorum,* promiscue usurpantur ad designandos fratres laicos vere Ordinis professos. Ita v. gr. in Decreto Ben. XIV, 21 mart. 1747 (Bizzarri, p. 407-409) ; et resp. S. Congr. 12 iul. 1793 (Bizz. p. 443-444).

ARTICULUS I. De legitima aetate

Passerini, *De Hominum statibus,* t. 3, p. 93; ***Suarez,*** *De Religione,* tr. 7, l. 5, c. 3; l. 6. c. 3; ***Pirhing,*** in l. 3, t. 31, n. 26. 27; ***Schmalzgrueber,*** in l. 3, t. 31, n. 44. 45; ***Reiffenstuel,*** in l. 3, t. 31, n. 68; ***Pellizarius,*** *Manuale,* etc. tr. 3, c. 1. n. 40; *Tractatus de Monialibus,* c. 2, n. 17. 18; ***Rotarius,*** *Theol. mor. regul.* t. 1, l. 2, c. 4. n. 4-8; ***Bouix,*** *De iure Regularium,* t. 1, p. 553. 554; ***Mélot,*** *De Ordinibus et Congreg.* n. 70; ***Biederlack,*** *De Iure Regularium,* n. *21*; ***Piat,*** *Praelectiones iur. reg.* t. 1, p. 76. 77; ***Angelus a SS. Corde,*** *Manuale,* etc. t. 1, p. 70-72; ***Bizzarri,*** *Collectanea*; ***Wernz,*** *Ius Decretalium,* t. 3, n. 629, IV; ***Bastien,*** *Directoire canonique,* n. 95, 96.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 279-281, ed. 2.

Aetas novitiorum ex iure naturae et Decretalium.

164. 1. Ex *iure naturae* et *Decretalium,* ea requiritur aetas cooptandi in novicium qua utiliter fieri possit noviciatus probatio.

Huic iuri minime repugnat, contra atque opinati sunt nonnulli, decretum Tridentinum c. 15 et 16, s. 25 *De Regularibus,* quo professioni praefinitur aetas non minor 16 annorum, et vetatur ne, sine iusta causa, peracto noviciatu, procrastinentur vota. Iusta enim causa erit defectus aetatis in eo qui ante peregerit noviciatum. Ita Pirhing, in l. 3, t. 31, n. 26; Schmalzgrueber, eod. n. 44. 45; Reiffenstuel eod. n. 68, contra Piat, t. 1, p. 76. 77.

Ex decreto 1659 pro monialibus.

2. Ex decreto *Sacrae Congr. Episcoporum et Regularium,* 23 maii 1659, *mulieres* non possunt cooptari in novicias reli-

[1] Eae quae reguntur a Societate Iesu liberam permittunt Instituti optionem.

gionis stricte talis nisi 15 annos expleverint. (Apud Ferraris, v. *Monialis,* art. 1, n. 72.)

Ex decreto 1675, quod ad clericos,

3. Ex decreto *S. Congregationis super statu Regularium,* 16 maii 1675, nemo a Regularibus presse talibus recipiendus est ut *clericus* antequam compleverit 15 annos [1].

Apparet tamen ipsius decreti tenore aetatem istam indicari ut professio fieri possit post 16um annum. Quare si qui Ordines, ut Societas Iesu, biennium praescribant probationis, nostra sententia non prohibentur hoc iure admittere adulescentes qui 14 annos sint nati. Praeterea, postquam obsolevit usus offerendi filios impuberes, exigua videtur habita esse huius decreti ratio. A plerisque scriptoribus [2] ignoratur, ipsaque S. Congregatio, litteris encyclicis 19 mart. 1872 [3], potius reiecit ad C. Clementis VIII *In Suprema* quam ad decretum istud quo sanctiones Clementis VIII et Alexandri VII instaurabantur. Denique omittitur idem decretum in Appendice qui apud Bizzarri, p. 895, ideo est conscriptus ut expedite cognosci valerent requisitae qualitates ; dum contra memoratur lex Clementis VIII praecipiens ut admittendi ea sint aetate quam praefiniunt Ordinis constitutiones. Recens tamen Nervegna, in suo opere *De iure pratico Regularium*, p. 91-97, valde urget decretum 1675 et memorat regulas servari solitas a S. Congregatione in dispensando in aetate ibi requisita.

Quod ad laicos.

4. *Conversi* seu *laici* nequeunt recipi nisi 20um suae aetatis annum attigerint. Ita ex C. Clementis VIII *In suprema*. Hoc tamen usu bene observari nobis non constat [4], quamvis tacite confirmatum fuerit S. Congr. super statu Regularium encyclicis quibus iubentur laici et conversi vota emittere « postquam ad eam pervenerint aetatem quae in C. Clementis VIII incipiente *In suprema* praefinita est. »

Inspiciendae Constitutiones.

5. Potissimum suas quisque consideret constitutiones. Hoc commune est Ordinibus et Congregationibus religiosis, quae tamen superioribus legibus tamquam directivis utuntur. Ex Normis S. C. Ep. et Reg. art. 61, minores quindecim annorum aetate admitti nequeunt sine S. Sedis facultate.

De aetate Oblatorum, Postulantium, etc.

165. Quaeres qua aetate recipi possint *Oblati* seu *Donati, Postulantes,* etc,

R. Ex Decreto 16 maii 1675 (quatenus est usu receptum), isti omnes debent excessisse vicesimum aetatis annum. Excipiendos tamen arbitramur eos Postulantes qui in eo sunt ut cooptentur in numerum noviciorum qui addicuntur choro.

---

[1] Apud Bizzarri, p. 305, Cfr. supra, n. **138,** nota 2. Praesentem disciplinam magis obstare existimat Wernz, n. 629, IV.

[2] Cfr. v. gr. Bouix *De Iure Regul.* 1, p. 553 ; Santi, *Praelect. iuris canonici,* l. 3, t. 31, n. 6 ; De Angelis, *Praelect. iur. can.* l. 3, t. 31, p. 99.

[3] *De votorum simplicium professione.* Apud Bizzarri, p. 904.

[4] Pellizarius, *Manuale,* tr. 3, c. 1, n. 40 ; Bouix, *De Iur. Reg.* t. 1, p. 554 ; Craisson, *Manuale iuris canonici,* 2638.

Facta enim licentia recipiendi novicios-clericos qui 15 sint annos nati, continetur facultas admittendi dictos Postulantes eiusdem aetatis.

ARTICULUS II. De qualitatum cognitione ante constituenda

Suarez, De Religione, tr. 7, l. 5, c. 10, n. 11-17; ***Passerini, De Hominum Statibus***, t. 3, p. 172-180; ***Reiffenstuel***, in l. 3, t. 31; ***Pellizarius, Manuale Regularium***, tr. 2, c. 3; ***Tamburini, De iure Abbatum***, t. 3, d. 6, q. 4; ***Mélot, De Ordinibus et Congregationibus***, c. 6, n. 70-74; ***Bouix, De Iure Regularium***, t. 1, p. 552. 553; 567-575; ***Santi-Leitner, Praelectiones iuris canonici***, l. 3, t. 31, n. 6; ***Biederlack, De Iure Regularium***, n. 25; ***Piat, Praelectiones iuris reg.*** I, p. 82 sqq.; ***Angelus a SS. Corde, Manuale***, etc., p. 73-78; ***Wernz, Ius Decretalium***, n. 632; ***Bastien, Directoire canonique***, n. 97-104.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 282-288, ed. 2.

§ 1. *In Institutis virorum*

Leges latae.

166. Iura volunt ut Superiores regulares diligenter inquirant de qualitatibus eorum quos velint in novicios cooptare. In qua re duo potissimum versantur sanctionum genera.

Ius Sixti v et Clementis VIII.

1. Alterum continetur C. Sixti V, *Cum de omnibus*, 1587, et (pro Italia et insulis) C. Clementis VIII, *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, quae iterum promulgata est ab Urbano VIII. His praecipitur Superioribus regularibus *virorum*, ut neminem ad habitum admittant nisi post diligentem et accuratam cognitionem de qualitatibus candidati. Eas intellegas qualitates quae requiruntur a sacris canonibus et SS. Pontificum constitutionibus, ac spiritum mentemque quibus ad Religionem impellitur.

Quod ad cognitionis modum, haec permitti potest iudicibus ecclesiasticis vel saecularibus, aut religioso quem Superior designaverit; communicanda vero est cum capitulo generali aut provinciali vel Superioribus duorum aut trium conventuum, vel tribus ex antiquioribus unius monasterii religiosis.

Graves committunt poenas tum ii qui, *ob neglectam inquisitionem*, admiserint canditatos ingressu a Sixto V prohibitos, tum ceteri qui in eorum admissionis fuerint consortio.

Pluribus tamen Ordinibus rigor istarum Constitutionum est per varia Indulta temperatus.

Novae sanctiones Pii IX

2. Quo autem in hac cognitione magis iuvarentur Superiores, Pius IX, Decreto *Romani Pontifices* [1] die 25 ian. 1848 edito per Congr. Super Statu Regularium, praeceptum oboedientiae, variis poenis [2] sancitum, fecit Superioribus Ordinum

[1] Cfr. t. 2, n. **31, 32,** p. 283 ss. (ed. 2).
[2] Hae postulant sententiam declaratoriam.

et Congregationum virorum et iis ad quos spectat, neminem admittendi ad habitum sine litteris testimonialibus Ordinariorum tum originis tum loci in quo postulans, 15 annos natus, ultra annum moratus fuerit.

Decreto isti iungendae sunt declarationes 1 maii 1851, 5 nov. 1852, 29 maii 1853, 25 feb. 1863.

Quolibet anno, 1° die ian., illud decretum est legendum in publica mensa, sub poena privationis officii, vocisque activae et passivae a Superioribus ipso facto incurrendae.

Vis prioris iuris.

167. 1. Constitutiones Sixti V et Clementis VIII non sunt abolitae decreto Pii IX, cum, contra, nova disciplina proponatur ut medium facilius assequendi finem iuris superioris. Quare, quod naturalis prudentia omnibus suadet, id *Superioribus regularium presse talium* imponit ius positivum, ut, quatenus opus sit, suppleant privatis artibus scientiam quam litteris testimonialibus sibi non potuerint comparare. Regularium, inquam, presse talium : namque hae Constitutiones regunt tantum proprie dictos Ordines virorum.

2. Porro concessit Clemens VIII, ut is qui iuramento confirmaret nihil obesse quominus admitteretur, posset interea induere habitum religiosum, modo deinceps ante professionem indagatio perficeretur. Ita Reiffenstuel, l. c. n. 85.

Immo ipse *Sixtus* V, C. *Ad Romanum* habiles iudicandos esse statuit eos qui e dissitis regionibus venissent, si, *diligentia adhibita*, nihil appareret quod eos ingressu prohiberet, quamvis non liquido constaret de iis omnibus quae in ipsius constitutione requiruntur.

De litteris testimonialibus.

168. 1. *His litteris,* Ordinarii *testantur,* « ita ut eorum conscientia super veritate expositorum sit onerata, » de articulis sequentibus ea quae in conscientia se affirmare posse in Domino iudicaverint post diligentem inquisitionem, etiam per secretas interrogationes.

Itaque articuli sunt : natalia, aetas, mores, vita, fama, condicio, educatio, scientia, an sit inquisitus (postulans), aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Haec posteriora intellegas, quatenus obsint admissioni.

Litterae autem testimoniales possunt esse *privatae* et *secretae*.

Petendae autem sunt tales litterae, tum ab Ordinario originis, tum ab Ordinariis locorum in quibus postulans, post expletam aetatem 15 *annorum, ultra annum* [1] commoratus fuerit.

---

[1] Annum iam intellegimus *moraliter continuum*, postquam S. Congr. Concilii, 25 iun. 1904, declaravit testimoniales ante ordinationes non esse sub poena suspensionis exquirendas nisi agatur de trimestri vel semestri moraliter continuis. Cfr. *Periodica*, t. 1, p. 117, 118. In priore edit. severius

3. Litterae postulandae sunt antequam candidatus induat habitum [1].

4. Ordinarii litteras istas detrectare non possunt.

5. Iure isto reguntur quilibet *Ordo, Congregatio, Societas, Institutum, Monasterium, Domus,* sive in iis emittantur vota *sollemnia,* sive *simplicia,* nisi per privilegium *postea* concessum et quod declaratur incommunicabile, fuerit *expresse* et *nominatim* decreto derogatum. Immo decretum istud servandum est ab Instituto latini ritus admittente Orientalem, ex C. *Orientalium,* 30 nov. 1894.

Decretum ergo obligat omnia Instituta, Ordines vel Congregationes religiosas, saltem quae a S. Sede sint approbata, *virorum* tamen, non mulierum. (Decl. 25 feb. 1863.)

6. Omissis his litteris impeditur ipsa Professio ; *valent* tamen admissio et professio secus factae.

Verum Superiores et alii religiosi ad quos spectat admittere, si hoc ius neglegant, violant praeceptum in virtute S. Oboedientiae, quod gravem ponit reatum, et praeterea incurrunt eo ipso [2] in poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae et perpetuae inhabilitaiis ad alia in posterum obtinenda : a qua non poterunt nisi ab Apostolica Sede dispensari.

Quid si litterae detrectentur.

169. Quaeres : quid *si Ordinarius dare nolit* litteras testimoniales, vel *generale* dumtaxat det testimonium ? Haec habentur ex declar. 1851 :

1. Si detrectet litteras quia adversatur ingressui, adeunda est S. Congregatio super Statu Regularium.

2. Si declaret se prohibitum a potestate civili quominus det litteras, admitti potest candidatus, modo accurata cognitione suppleantur litterae.

3. Si affirmet se plane ignorare postulantem vel sibi non esse copiam inquirendi de eius qualitatibus, is admitti potest sine litteris, modo sedula constituatur cognitio, serventur cetera si quae

---

respondebamus cum MONITORE, VIII, 2, p. 46. Praeterea, ex litteris S. C. Super disciplina regulari, 27 nov. 1892. quae respiciunt legem militarem Italiae, Religiosi qui militare coguntur, debent, ut possint admitti ad professionem sollemnem, afferre litteras testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesi tres commorati sint menses.

[1] Respondit etiam S. Congregatio, petendas esse litteras testimoniales de Donatis seu Oblatis antequam proprium Oblatorum induant habitum. Quod de iis intellegendum arbitramur qui aspirant ad gradum Fratrum Conversorum. Decl. 1851 apud Bizzarri, p. 892 ad 7.

Similiter ubi candidatus prius per annum commoretur in claustris sine veste religiosa, atque etiam post eius vestis susceptionem diu differatur noviciatus, litterae habendae sunt antequam induatur religiosa veste. S. C. 24 feb. 1860. Bizzarri, p. 902.

[2] Post sententiam declaratoriam.

forte de iure servanda sint, et, antequam habitum induat, per tres menses diligenter in conventu probetur.

Vel generale tantum contineant testimonium.

4. Si Ordinarius in universum quidem sed non in specie de singulis referat qualitatibus, postulans admitti potest, sed supplendum est quicquid desideretur ad plenam cognitionem.

Quid si postulans fuerit in sacris.

170. Si *postulans in sacris* fuerit, sufficiunt testimoniales Episcopi qui ordines sacros legitime ei contulerit, una eum testimonialibus Ordinarii Dioecesium in quibus *dein* ultra annum fuerit commoratus.

Si professus alterius Instituti.

171. Si postulans fuerit *professus alterius Ordinis vel congregationis*, et actu degens in priore Instituto [1], postulandae sunt litterae a Superiore Generali vel Provinciali istius Instituti. Si Ordo non habuerit Provincialem, peti poterunt a Superiore locali domus in qua ultimo moratus fuerit. Qui superiores diligenter inquirere debent in requisita.

Si Novicius vel saecularizatus.

Si vero *novicius* fuerit alterius Ordinis vel *professus saecularizatus*, litterae petendae sunt ab Ordinariis loci, non secus ac pro laicis. Resp. 5 nov. 1852.

De Institutis dioecesanis.

172. Quaeres *de Institutis dioecesanis*, utrum necne teneantur hac lege Pii IX ?

Cui quaesito arbitramur respondendum ea sanctionibus istis *positivis* stricte non obligari. Episcopali enim utuntur iure ; nec, praesertim quinquaginta abhinc annis, de iis ferebantur romana decreta. Confirmamur recenti C. *Conditae a Christo* in cuius praefatione dioecesanae consociationes dicuntur « una inductae... et vigere Antistitum sacrorum auctoritate ». Supervacaneum est commemorare naturalem prudentiae legem quae vetat ne diligens omittatur inquisitio.

§ 2. *In Institutis Monialium*

Exploranda voluntas ab Episcopo.

173. 1. Ex c. 17 C. Tridentini s. 25 *De Regul.*, quod respicit omnes puellas quae, maiores duodecim annis, habitum regularem suscipere voluerint, requiritur ut, ante susceptionem habitus et deinde ante professionem, earum voluntas ab Episcopo, vel, eo absente aut impedito, ab eius Vicario aut aliquo eorum sumptibus ab iis deputato, exploretur voluntas puellae « an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat ». Quare Episcopus certior est faciendus de professione infra mensem secutura, et puellae voluntas est infra quindecim dies indaganda. Utriusque

---

1 Si paucos tantum dies etiam solutus votis in saeculo commoratus fuerit, videtur locus esse axiomati : « parum pro nihilo reputatur » ita ut a Superiore religioso testimoniales peti possint.

examinis, non item alterius tantum omissio iudicatur gravis [1]. Neutra tamen infirmat professionem.

Etiam in Congregationibus dioecesanis.

2. C. *Conditae a Christo*, c. 1 n. 7, c. 2 n. 1, vult Leo XIII, ut iam usu venerat, idem servari in Congregationibus religiosis, etiam si mere sint dioecesanae.

Fides baptismi, etc.

3. Consuevit praeterea caveri ut postulantes afferant fidem baptismi, confirmationis et morum. (Battandier, *Guide canonique*, etc. n. 59. *Acta conc. Amer lat.* n. 328). *Normae* S. C. Ep. et Regul. praeterea postulant testimonium status liberi, nisi de eo aliter certo constet.

ARTICULUS III. De ipsa Admissione

Suarez, De Religione, tr. 7, l. 5, c. 9 et 10 ; et tr. 9, l. 1, c. 11 ; ***Passerini***, *De Hominum Statibus*, t. 3, p. 167-172 ; ***Schmalzgrueber***, l. 5, t. 3, n. 193-202 ; ***Pellizarius***, *Manuale Regularium*, tr. 2, c. 2 ; *De Monialibus*, c. 2, s. 1 ; c. 3, n. 35 et s. 2 ; ***Tamburini***, *De iure Abbatum*, t. 3, d. 6 ; ***Rotarius***, *Theologia moralis Regularium*, l. 2, c. 4, p. 1, n. 9-14 ; ***Bouix***, *De iure Regularium*, t. 1, p. 4, c. 3 ; ***Piat***, *Praelectiones iuris regul.* t. 7, p. 48. 49, 86-93, ***Angelus a SS. Corde***, *Manuale*, etc. t. 1, art. 4-6 ; ***Bizzarri***, *Collectanea* etc. ***Lucidi***, *De visitatione s. liminum ;* ***Wernz***, *Ius Decretalium*, n. 631.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 288-299 (ed. 2).

§ 1. *De potestate admittendi*

Ius commune virorum,

174. In Ordinibus et Congregationibus religiosis virorum. 1. Admittere ad Noviciatum, pertinet ad S. Pontificem et ad Ordinem vel Congregationem.

2. Ex iure communi regularium virorum, exercetur facultas Ordinis per actum capitularem, seu saltem a coetu quorundam religiosorum cum Superiore. Cfr. CC. *Sixti* V, *Cum de omnibus* § 5 *Ad Romanum* § 7-11 [2] ; *Clement.* VIII, *In suprema*. Sed potissimum respiciendum ad constitutiones proprias Romae approbatas, per quas saepe huic iuri derogatum est.

In Institutis quae pontificii sunt iuris, admissio postulantium vel noviciorum pertinet ad praesidem Instituti vel Provinciae. Huius tamen admissiones Generali Superiori sunt confirmandae. Ita *Normae* [3]. Ceterum conferantur probatae constitutiones.

Sive Instituta sint exempta sive non, sive habeant vota sollemnia, sive simplicia : de *iure communi*, licentia Episcopi non est requisita.

---

[1] Immo in pluribus religionibus mos invaluit semel tantum explorandi puellae voluntatem. Cfr. Piat, t. 1, p. 86.

[2] Cfr. t. 2, p. 269 et 272. 273 (ed. 2).

[3] Art. 63 et 303. Is interventum insinuat Consilii de quo silet art. 271. Participatio Consilii est itaque ex Constitutionibus eruenda.

175. *Pro Italia* et insulis adiacentibus, servandae sunt dispositiones decreti *Regulari disciplinae* 25. ian. 1848. *Ius peculiare Italiae.*

Ex hoc decreto [1], quo tenentur Ordines et Congregationes votorum simplicium, constituendi sunt a capitulo provinciali septem examinatores provinciales, generales vero tres saltem numero, a capitulo generali ; ita ut singuli candidati duplici subiaceant scrutinio. In alterutro reiectus, iam nequit *admitti* a Superiore ; approbatus vero in utroque, reici potest iustas ob causas a Superiore posterioris scrutinii, qui est Generalis, vel in certo casu Procurator Generalis Ordinis.

Quolibet semestri intervallo, summaria relatio fieri debet ad S. C. Super statu regularium de noviciis receptis et de ceteris quae hoc decreto iniunguntur.

Secus facta receptio valida est, ut et subsequens professio, sed illicita (Decl. 16 ian. 1852. Bizz. p. 894).

176. Receptio **monialium** fit plerumque *capitulariter*. *Quod ad moniales.*

« In quibusdam regionibus praeterea *episcopi licentia* impetrari solet, idque ex consuetudine magis quam ex iure scripto.» Ita Aichner § 137, 2, qui sic optime solvit dubium quod inter scriptores controvertitur.

Plures enim exigunt consensum Episcopi. Ita Pignatelli, t. IV. *Consult.* 171, n. 4, referens responsum S. C. Ep. et Reg ; Piat, I, p. 89. Quod negat Fagnani in C. Porrectum, *De Regular.* n. 30. Suarez putat, attento communi usu, requiri licentiam praelati apud quem est iurisdictio. Huic astipulantur Pellizarius, *De Monial.* c. 2. q. 2 ; Craisson, 2642.

Quod ad *Congregationes religiosas,* recens C. *Conditae a Christo.* c. 2, n. 1, diserte hoc unum tribuit Episcopo, ut exploret ex officio voluntatem puellarum ante suscipiendum habitum et ante professionem faciendam. *Et sorores congregationis religiosae.*

Sive autem fuerint moniales proprie tales sive sorores Congregationis religiosae, ab Episcopo cogi per se nequeunt ut invitae noviciam recipiant.

177. Quod ad **Instituta dioecesana,** C. *Conditae a Christo* c. 1, n. 7, haec habet : « Eiusdem erit (Episcopi) illas puellas petentes habitum et de more explorare et, nihil si obstet, admittere. » Scilicet, quod ad hoc genus Institutorum, simile ius est Episcopi quod S. Pontifici ascripsimus in Ordines et Congregationes ab ipso probata. *Quid in Institutis dioecesanis.*

Si tamen Episcopus approbarit statuta quibus, excepto iure explorandi voluntatem, integram permiserit Superioribus optionem admittendi candidatos, iam, nostra sententia, Instituto fuerit *ius quaesitum,* quod ab Episcopo infringi nequit. Confirmamur ipsa C. *Conditae a Christo,* c. 1, n. 8 fine, ubi de expellendis alumnis.

[1] Cfr. t. 2, p. 290, ed. 2.

§ 2. *De obligatione admittendi dignos, repellendi minus idoneos*

Causa et ratio obligationis.

178. 1. *Praelatus debet ex officio consulere bono Instituti.* Quare certo peccat is qui sciens volens *recipit indignum*, ob detrimentum quod inde accipit Religio. Atque idem dicendum videtur, ob bonum quo Ordinem privat, de *reiciente aliquem* qui *convenienter et utiliter* admitti poterat in Religionem.

Erga religionem,

Peccatum illud adversatur ipsi *iustitiae*, vel certe *religioni*, in quam, ut altiorem virtutem, non raro, cum agitur de causa Religiosorum, convertitur obligatio quae per se foret iustitiae.

Perinde ac de Praelato, *de aliis* dicendum est quibus *ex officio* provincia ista est commissa.

Si vero de *universo* quaeras *capitulo*, ita ut generali quasi suffragio res definiatur, suffragium istud competit ex privilegio potius quam ex munere. Quare tunc tantum committetur iniuria, si indigni admissio prospiciatur damnosa communitati, cuius ius ne detrimentum accipiat hoc modo invaditur.

Erga candidatum.

2. Adversus ipsum *candidatum* qui sine iusta causa repellitur, videtur tantum committi contra *caritatem*, etsi quidam ius aliquod ei tribuunt, tamquam Christiano, ingrediendi Religionem, cum facultas capessendi hunc statum in bonis communibus rei publicae christianae videatur esse referenda. In foro certe externo non habebit actionem, praesertim cum difficulter probare posset sine causa negatum esse ingressum. Attamen querela extra-iudiciali movenda apud Congr. Ep. et Reg. non prohibetur: quae punire potest superiorem, etc., eo magis quod penes S. Pontificem sit primario ius in Ordinem admittendi. Cfr. Piat, t. 1, p. 48. 49.

Suppleri potest neglegentia Superiorum.

3. Immo *neglegentia* Superiorum in hac re *suppleri poterit.* Unde Fagnani [1] et Bouix [2] concedunt Praelato qui iurisdictionem habeat in monasterium Monialium, ut harum neglegentiam suppleat, si reditus abundent et conventui prosit admissionem fieri.

Quid iuris in dubio?

179. Quaeres *quid in dubio?* Si dubium est utrum necne profutura sit admissio, nulla est obligatio. Unde qui recto fine ducitur, animum scrupulis vacuum gerere potest.

§ 3. *De Gratuitate admissionis*

Principia per se.

180. I. *Per se.* 1. Ipse ingressus, *formaliter* acceptus, est semper et necessario *gratuitus*. Sin minus, cum sit aliquid spirituale, committeretur simonia iuris divini. S. Th. 2, 2. q. 100, art. 3, ad 4.

---

[1] In c. Porrectum, *De Regul.* (III. 31) n. 28. — [2] I, p. 563.

2. Si pecunia exigitur ad compensanda impendia, non erit simonia iuris *divini*. Sapienter tamen id prohibere potest Ecclesia et inducere simoniam iuris ecclesiastici. Et re vera, ad propulsandum omne avaritiae periculum vel crimen, plures lati sunt canones.

II. *Ex praesenti Ecclesiae disciplina* :

Praesens ius positivum quod ad Ordines.

A. *Quod ad Ordines presse tales :* 1. C. Tridentinum, c. 16 s. 25 *De Reg.*, permittit ut exigantur sumptus faciendi dum peragitur *noviciatus*.

2. Si monasterium *pauper* sit, exigi potest a postulante quantum ad ipsius victum existimetur opus esse. Benedictus XIV, *De Synod.* l. XI, c. 6, n. 1. 2.

3. Si vero *opulentum :* a) *A viris* nihil exigi potest. Est communis sententia. Ben. XIV. l. c.; Schmalzgrueber in l. 5, t. 3, n. 201.

b) *A monialibus* dos expostulari potest. Ben. XIV hanc dat rationem, quod ipsa experientia comprobatum sit his semper egestatem valde timendam esse. Immo est quaedam obligatio dotem expostulandi. Cfr. infra **181, 182.**

4. *A simoniae* labe vacua est pactio de solvenda quadam pecuniae summa, ut religiosus, tunc cum ex Tridentino concilio hoc ipsi licet, cedat omni iure hereditatis. Nam si monasterium ex iis est quae pro suis professis adeunt hereditates, non est nisi iusta pretii stipulatio ut hoc se abdicet iure. Quod si hac ratione res constitui nequeat, integrum saltem erit ipsi candidato hac lege sibi comparare summam, quam dein gratis et sua sponte, ante professionem, relinquere poterit monasterio, Cfr. Schmalzgrueber, l. c. n. 198 ; Pellizarius, tr. 2, c. 9. n. 22 ; Piat, t. 1, p. 91.

5. Ut patet, non prohibentur gratuitae donationes, excepta limitatione Tridentina c. 16. Cfr. infra, n. **201.**

Quod ad Instituta votorum simplicium.

B. *Quod ad Instituta votorum simplicium.* Stricte ad haec non pertinent hactenus recitatae sanctiones. Ex his tamen colligi potest quid menti consonet Ecclesiae, quae simul cavet ne avaritiae labe sordescant, neve congruis careant alimentis Instituta religiosa: utrumque enim spirituali adversari bono, re atque usu nimis est compertum.

Solet ceterum in ipsa Constitutionum approbatione S. Sedes ea quae opportuna sint stipulari. Ita in Congregationibus mulierum plerumque iubet ut dos praestetur etiam a sororibus conversis ; repugnat autem ut *vi Constitutionum* universum professarum patrimonium, vel ipsi reditus transeant ad Institutum. Cfr. Battandier, *Guide canonique pour les Constitutions des sœurs à vœux simples*, n. 94.

PARERGON. De dote monialium

Lucidi, De visitatione s. liminum, t. 2, § 5, art. 2, n. 184-213; ***Battandier, Guide canonique***, etc. n. 94-100; ***Craisson, Des communautés à vœux simples*** n. 332-344; ***Bastien, Directoire canonique***, n. 109-114, 198. 214.

De dote monialium.

181. I. **De monasteriis proprie dictis.** 1. *Legitima dotis indicatio per se* spectat ad monialium Superiores. Mos tamen est ut constituatur ab ipsa S. Congr. Episcoporum et Regularium. Anno 1645, 1 septembr. S. Congr. Concilii minimam dotem definivit ad 200 scutata romana (circiter 1000 fr.) nisi Religionis conditor statuisset minorem.

2. Dos eadem statuenda est omnibus quae ad idem genus pertineant monialium, nisi, ob infirmitatem vel minorem ad munera habilitatem, plus videatur petendum.

Supernumerariis monialibus praestituenda est, ut vidimus n. **116,** dos quae duplo superet dotem aliarum nec haereat infra 400 scutata.

Nec, ut plerique volunt, sine auctoritate S. Sedis, fas est, etiam si monasteria sint opulenta, recipere sine dote moniales *velatas ; conversas* autem licet.

3. In his tamen aliquid deferendum est consuetudini ; et quidam usus contrarii videntur tolerari posse. Cfr. Lucidi, *De Visitatione*, II, c. 5, § 5 n. 200.

4. Nisi aliam S. C. Ep. et Reg. indulserit solutionem, dos solvenda est numerato, ante habitus susceptionem ; et pecunia deponenda est apud virum fidum et facultatibus idoneum, qui, secuta professione, eam monasterio tradere debet. — Deinde debet in fundis tutis ac stabilibus, vel, his deficientibus, in censibus securis collocari ; nec sine licentia S. Sedis impendi potest in exstinguenda debita, construenda aedificia, etc. Cfr. Lucidi n. 193. 194, p. 211.

5. Si puella claustra deserat *ante professionem,* omnia quae ipsius erant ei sunt restituenda. Trid. s. 25. *De Reg.* c. 16, excepta iusta compensatione impensarum. Bouix t. 1, p. 666, nota.

6. *Sollemni* autem *professione* dos acquiritur monasterio. Ex quadam tamen aequitate, solet Sacra Congregatio praecipere dotis restitutionem :

a) Si discedendi causam dederit monasterium ;

b) Si monialis ad aliam transeat Religionem ;

c) Si monialis inopia laboret : tunc vel dos reddenda est vel praestanda sunt alimenta.

Apud Sorores.

182. II. **De Institutis votorum simplicium.** 1. Quanta sit petenda dos, plerumque ipsis Constitutionibus definiri et sic a S. Sede approbari est solitum. *Dioecesanis* Institutis

dotem definiet Episcopus, interrogata, ut par est, communitate.

2. Quae statuuntur de dote monialium, sunt, ex sententia S. Congregationis, transferenda ad Conservatoria, observando tamen probatas Constitutiones.

3. Stricte hic etiam dos servanda est ut *sors fructifera*. Est enim bonum ecclesiasticum, quod sine beneplacito apostolico alienari nequit. Cfr. tamen Pellizarium, Tract. *de Monialibus*, c. 3, n. 60-68.

4. Conservatorio statim acquiruntur *fructus*, *dos* autem ipsa *post mortem* tantum sororis.

Quare reddenda est dos sorori quae, facta simplici professione, discesserit ab Instituto.

SECTIO II. **DE NOVICIATU**

CAPUT I

DE NOVICIATUS NECESSITATE ET ADIUNCTIS [1]

Passerini, *De hominum statibus*, t. 3 in q. 189 initio; ***Suarez***, *De religione*, tr. 7, l. 5, c. 12-15; ***Pellizarius***, *Manuale regularium*, tr. 2, c. 1 et 5; *De Monialibus*, c. 2, s. 2; ***Rotarius***, *Theol. mor. regularium*, t. 1, l. 2, c. 4, p. 2-5 et p. 8; ***Schmalzgrueber***, In l. 3, Decr. t. 31, n. 46-76; ***Schmier***, *Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 1, p. 306, n. 733; p. 374, n. 57 sqq.; p. 381, n. 7 sq.; p. 410, n. 44 sq.; t. 2, p. 282 sqq.; ***Bouix***, *De iure regularium*, t. 1, p. 576 sqq.; ***Mélot***, *De Ordinibus et Congreg.*, c. 7, n. 76 sqq.; ***Biederlack***, *De Iure regularium*, 26-28; ***Piat***, *Praelectiones iuris regularium*, t. 1, p. 89 et p. 93 sqq.; ***Angelus a SS. Corde***, *Manuale*, etc. t. 1, p. 98-131; ***Battandier***, *Guide canonique*, etc., n. 67-91. ***Wernz***, *Ius decretalium*, n. 633-636; ***Bastien***, *Directoire canonique*, n 116-129, 131. *Monumenta* cfr. t. 2, p. 300-324 (ed. 2).

Novicialus notio.

183. *Noviciatus*, formaliter spectatus, est *mutua candidati et religionis probatio, qua prudens praeparetur professio*. Descriptio ista colligi potest ex C. Ad apostolicam, 16, *De Regularibus* (III. 31).

Cur requiratur.

Itaque ideo requiritur : 1. Ut Novicius experiatur religionem ;

2. Ut religio experiatur Novicium ;

3. Ut Novicius instituatur ad religionis officia.

Necessitas ex iure.

184. 1. Satis diu nulla fuit, ex positivo iure, necessitas noviciatus. Tum gradatim factum est, ut quod naturae rerum apprime congruum est legibus sanciretur, h. e. ut regulariter saltem [2] servaretur tempus probationis ; immo ut prohiberetur professio Mendicantium [3] ante elapsam annuam experientiam, donec C. Tridentinum s. 25 *De Regul. et Monialibus*, c. 15, lege qua tenentur *Ordines presse tales* tam *virorum* quam *monialium, nullam* declaravit professionem illius qui « minore

Quod ad Ordines,

---

[1] Cfr. Supplementum IV.

[2] C. Apostolicum, 16 *De Regularibus* (III, 31), Innocentii III.

[3] C. Constitutionem, 3, eodem in 6 (III. 14), Bonifacii VIII.

tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit. » In qua lege, seu, ut aiunt, *in anno Conciliari,* non solet S. Congr. dispensare. Nervegna, *De iure practico,* p. 102.

2. Idem, quod minimum sit tempus [1], praecipitur Constitutionibus approbatis *Congregationum religiosarum ;* et prorsus decet ut ab hoc iure non recedatur in *Institutis dioecesanis.*

Et congregationes.

185. 1. *Quod ad Ordines.* 1. Ut communis fert usus verborum et approbatae postulant regulae, *initium* probationis est ab ingressu in conventum seu monasterium legitime designatum, atque ad noviciatus rationem pertinet ut per aliquam saltem anni partem novicius in conventu permanserit. Quare, post C. Trid. s. 25 *De Regul.* c. 15, quod veram exigit unius anni probationem, id requiritur ut *valeat* futura professio. Cfr. Bouix t. 1, p. 578$_2$. Idem ceterum convenit, et SS. Pontifices, in suis Constitutionibus, id ipsum non tam decernunt quam factum esse fingunt.

Noviciatus locus.

Quod ad Ordines.

Ius commune.

2. Debet, ex praescripto Pii IX, 22 aprilis 1851, in domo Noviciatus vigere *vita perfecte communis.* Litt. encycl. S. C. Ep. et Reg. apud Bizzari, p. 903.

3. *In Italia atque insulis adiacentibus,* domus, sub poena nullitatis, in plerisque saltem Ordinibus, designandae sunt *a S. Sede,* i. e. a Congregatione super disciplina Regularium. Ita statuerunt Clemens VIII Constitutione, pluries confirmata [2], *Regularis disciplinae,* 12 mart. 1596, et, Innocentio XII Pontifice, S. Cong. super discipl. reg. decreto *Sanctissimus,* 20 iun. 1699.

Ius Italiae.

Nonnulli autumant decreta ista hodie vim habere universalem. Quod si forte verum sit in Italia atque insulis adiacentibus, magis ex consuetudine quam scripto iure repetendum est; extra autem Italiam id infitiamur. Cfr. Piat, t. 1 p. 106-109, Wernz, n. 636 nota 262, vel nostrum supplementum IV.

Eius vis hodie.

N. B. Noviciatus, factus in uno Ordine, religiosum a lege Tridentina annalis probationis non eximit in alio Ordine ad quem transierit. Ita communis sententia.

Quid si transeas ad alium Ordinem ?

II. *Quod ad Congregationes religiosas,* sola S. Sedes, in approbandis earum Constitutionibus, stipulari solet romanam approbationem domorum probationis.

Quod ad congregationes.

186. Quaeres num noviciatus debeat *totus* peragi in monasterio ?

An noviciatus totus peragendus est in monasterio.

R. *Nisi aliter definiatur propriis Constitutionibus.* Novicius qui, domum ingressus, deinde per aliquod tempus, etiam

---

[1] Ex *Normis,* art. 72, annus continuus et integer ad ipsum professionis valorem requiritur.

[2] Cfr. C. *Nullus omnino,* 25 iun. 1599 ; C. *Cum ad regularem,* 19 mart. 1603, eiusdem Pontificis ; Decr. S. Congr. Concilii, *Sacra Congregatio,* 21 sept 1624, editum iussu Urbani VIII ; C. *Religiosos viros,* 2 april. 1631.

notabile, degat extra conventum cum *licentia Praelati*, moraliter, etiam tum, versatur in probatione, ita ut, peracto consueto spatio, validam emittat professionem. Ita communis sententia, post ipsum Fagnani ad C. Insinuante, 7, *Qui clerici vel voventes* (IV. 6) n. 38, qui refert etiam responsum S. Congregationis.

Quid si Noviciatus sit a S. Sede designatus.

Quod dicimus saltem de iis Ordinibus quorum Noviciatus non sint a S. Sede designandi. In alios tamen, si sola consideremus principia, transferri etiam possunt, nostra sententia, rationes cur doctores permittant novicium aliquandiu abesse.

Positiva enim iura statuunt novicios non posse in aliis monasteriis recipi ad habitum vel professionem, non autem exigunt ut totum annum commorentur in illa domo ; nec vetant ne, ob particularem causam, domum istam ad tempus relinquant, modo semper ad eandem existimentur pertinere, neque videatur alia domus noviciatui quasi deputari.

Quid si Novicius diu absit.

Immo Reiffenstuel in l. 3 t. 31 n. 107, Schmalzgrueber ibid. n. 62 et plures alii, existimant non obstare si novicius, semper sub oboedientia Praelati, et ascriptus domui noviciatus, etiam per maiorem anni partem afuerit. Hodie tamen hoc nimium videtur.

Severitate enim prorsus contraria, solet iam, ut ferunt, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, sanare probationem noviciorum qui per unam noctem, etiam cum Superiorum licentia, extra noviciatum sint commorati. Verum sanationes istae, quae saepe sine ulla necessitate petuntur et conceduntur, nullatenus probant verum aliquod vitium, quod ex nulla lege, ex nulla Cardinalium declaratione erui potest et communi peritorum doctrina [1] et S. Congregationis Concilii responsis adesse negatur.

Itaque, nisi ius speciale Instituti clare aliter statuerit, tuto servari potest usus benignior.

Menti tamen S. Sedis et prudentiae consiliis simul parebunt Superiores, si ob gravem tantum causam et ad breve tempus sinant novicios extra claustra versari. Quod iis Institutis est strictius observandum quibus domus noviciatus est a S. Sede designata vel quorum Constitutiones recens sunt approbatae. Meminerint ceterum omnes, opus tamen esse ut in noviciatu eo saltem versatus sit spatio, quo finis probationis obtineri valeat.

Noviciatus initium.

187. 1. Noviciatus initium habet, ut plerique volunt, a die

---

[1] Nimis rigidam et erroneam declarat Wernz (n. 636 nota 259) opinionem Nervegna, 1, c. 2 qui, laudabiliore zelo quam scientia, noviciatum interrumpi contendebat statim ac novicius extra noviciatum pernoctasset. Cfr. etiam quae scripsimus in t. 2, p. 155-157 (ed. 2.) et *Periodicis*, t. 2, p. 8-10.

quo habitus est susceptus, nisi Ordo, vel Congregatio, v. gr. Societas Iesu, hac lege ferendi habitus proprii eximatur. Tunc enim exorditur a momento quo, ex mutuo religionis et novicii consensu, is, in domum sibi legitime designatam, admittatur probationis instituendae causa et cum animo permanendi in Religione.

Arguunt doctores ex dicto c. 15 C. Tridentini exigente ut novicius, saltem per annum, « *post susceptum habitum* in probatione steterit. » Quae ratio a Suarez pro non cogente habetur. *De Relig.* tr. 7, l. 5, c. 14, n. 10.

Prior quaedam institutio.

2. Porro, quod suadet aequitas, praecipit Clemens VIII, C. *Cum ad regularem* [1], ut « omnes, etiam conversi, priusquam ad habitum admittantur, instruantur de regula, votis, statu regulari et propria Instituti ratione. »

Exercitia Spiritualia apud Moniales.

3. Moniales debent prius quam ad habitum recipiantur vacare Exercitiis spiritualibus per 10 dies. Ita ex litt. encyclicis S. Congregationis [2], 9 oct. 1682. Bizzari, p. 416.

4. Solet S. Sedes idem stipulari in Constitutionibus Congregationum religiosarum. Quod confirmatur recentibus Normis, art. 77, 78.

Noviciatus spatium.

188. 1. **Spatium** noviciatus definitur Constitutionibus approbatis. Minimum vero tempus quod C. Tridentinum, s. 25, *De Regul.* c. 15 exigit ad professionis *sollemnis valorem* est *annus*, qui, ut *communis* habet sententia cum decretis Congregationum, non moraliter tantum sed *mathematice* debet esse completus [3], nec potest esse *interruptus*.

Suspensio noviciatus.

Ab interruptione differt *suspensio*, qua obstante, tempus quidem utiliter labi desinit, pars tamen iam bene ante peracta coniungi potest cum reliquis mensibus qui desunt perfectae probationi.

Casus.

Agedum, suspenditur noviciatus quando, per aliquod tempus, nulla copia fuit alicuius probationis, quin tamen status novicii fuerit perfecte dimissus. Exempla haec dabimus : a) Si novicius per notabile tempus, utputa per mensem, *furiosus* fuerit vel *amens*. Namque tempus per quod mere infirmus decumbat, utilis existimatur esse probationis ; b) Si ob causam iniustam novicius coactus fuerit deserere claustra, donec Superior, agnito errore, eum revocaverit.

Annus quisnam sit completus.

Quia mathematice aestimatur annus, ideo si vel una desideretur hora, professionem volunt esse irritam.

[1] Constitutio eos saltem obligat Ordines quorum noviciatus designandi sunt a S. Sede.

[2] Nobis tamen non constat litteras istas respicere ad monasteria extra Italiam. Sunt enim italice scriptae, nec de ista obligatione sermo fit in romana editione tractatus *De Monialibus*. Cfr. Pellizari.

[3] Contra tamen Pirhing in, l. 3, t. 31, n. 36-38.

Quid si bisextilis.

Nec in anno bisextili sumi potest dies qui ad ordinarium accedit numerum et qui fictione calendarii Gregoriani est repetitus dies sextus calendas martii seu 24^us^ februarii mensis. Sed ad huius calendarii computationem accommodanda est ipsa noviciatus computatio. Observes itaque, cum, usu romano, dies mensium non numerentur addendo, sed deducendo pro distantia qua separantur a nonis, idibus eiusdem mensis vel calendis mensis proxime futuri, diem repeti ante quam more nostro primum enuntietur, ita ut bisextus dies sit 24^us^ februarii, sextus autem, 25^us^. Hinc, in bisextili anno, dies 25^us^ februarii respondet diei 24° anni ordinarii, dies 26^us^ diei 25°, atque ita porro. Unde haec habentur.

Annus inchoatus			Perficitur			
1903,	24	februarii	25	febr.	1904	(bisextilis)
»	25	»	26	»	»	»
»	26	»	27	»	»	»
»	27	»	28	»	»	»
»	28	»	29	»	»	»
(bisextilis)	1904,	24 »	24	»	1905	
»	»	25 »	24 [1]	»	»	»
»	»	26 »	25	»	»	»
»	»	27 »	26	»	»	»
»	»	28 »	27	»	»	»
»	»	29 »	28	»	»	»

Quid in congregationibus religiosis.

2. *In Congregationibus religiosis* etiam non brevior uno anno consuevit exigi probatio. Sanctio tamen Tridentina nullitatis huc non est transferenda, nec agnoscenda est nisi aliunde constet eam esse appositam [2], ut nunc est pro omni Instituto quod regitur Normis S. C. Ep. et Reg. art. 72. Eaedem Normae, (art. 65) *puellis* praestituunt *postulatum* seu praeviam quandam probationem, per spatium non minus sex mensibus neque anno maius, facta tamen Moderatrici generali facultate hoc tempus, non tamen ultra tres menses, iustam ob causam prorogandi in casibus particularibus.

Interruptio noviciatus.

189. Interrumpitur noviciatus eo quod status novicii fuerit *perfecte dimissus*, seu vinculum morale cum Religione perfecte abruptum. Et cum plerisque sentimus non posse brevis spatii et mox secutae paenitentiae haberi rationem.

Age porro, perfecte dimittitur status:

Casus.

a) Cum novicius sponte sua et *dimisso habitu re exeat e claustro* cum animo deliberato deserendi Religionem. Si

---

[1] Fictione enim iuris, geminatus anni bisextilis dies pro uno habetur. Cfr. computationem Molinae, *De Iustitia*, d. 573, n. 2. Plura dedimus in periodicis, t. 1, p. 3-5.

[2] Cfr. Bouix, t. 1, p. 577, § 11, quam tamen paragraphum non ex toto probamus.

vero habitum servaverit, praesumitur animo minus firmo et certo fecisse, dummodo brevi, i. e. post unum vel duos dies, repetat monasterium. Cfr. Schmalzgrueber, l. c. n. 68. 69, Bouix, 1, p. 577, ubi resolutio S. Congregationis, et *Acta S. Sedis*, III, p. 119.

b) Si quis, *ob iustam causam*, a Superiore iussus fuerit claustra relinquere, et *re exierit*. Iusta deficiente causa, v. gr. si ob iniquam calumniam, noviciatus mere suspenditur, nisi nimium intervallum intercesserit. Iusta autem est causa, si iudicio medici viribus sit impar, etsi forte postea convaluerit.

In utroque casu, donec *re* exierit, utilis locus est paenitentiae.

c) Si nimis diu vitam prorsus saecularem agere debuerit : v. gr. per annum stipendia mereri. Ita Génicot, *Casus conscientiae, De statibus*, s. 3, c. 2, cas. 4.

Si tamen inter ista ostenderit se animo perstare in incepto religionis curriculo, eius noviciatus non videtur nobis fuisse nisi suspensus.

Quid, si peracta probatione novicius discesserit?

190. Si, *peracta probatione, Religioni valedixerit* et mox, facti paenitens, redierit in monasterium, secundum sententiam quae non semel a S. Congregatione Concilii est firmata, poterit sine nova probatione vota nuncupare, modo neque in ipso neque in Ordine aliqua evenerit notabilis mutatio. Cfr. v. gr. Schmier, t. 2, l. c., n. 140. Probatus enim est ita ut finis legis sit perfecte obtentus. Plures tamen cum Suarez olim dissentiebant.

Vel invalide sit professus?

Pari ratione ille qui, facta probatione, invalide est ex defectu aetatis professus, potest, postquam legitimam adeptus est aetatem, profiteri non repetito noviciatu.

Noviciatus ratio.

191. 1. **De habitu.** a) *Ex iure communi*, noviciatus peragendus est *in habitu religioso*, nisi aliud statuerit Regula approbata, vel postulaverit morbus aut impedimentum non voluntarium. Quod eruunt ex c. 15 Tridentini concilii, s. 25 *De Regularibus*, quo certe indirecte confirmatur obligatio deferendi habitum, si quem regula vel consuetudo indixerit.

Quo habitu peragendum.

Antiquiores regulae permittebant noviciatum in veste laica. Cfr. regulam S. Benedicti c. 58 et comment. Martene (Migne t. 66, c. 836). Immo existimat Thomassinus, t. 1, l. 3, c. 48, consuetudinem induendi vestem religiosam inter noviciatum ortam esse ex usu renuntiandi noviciatui, ut citius fieret professio. Assumpto enim habitu significabatur ista renuntiatio et tacite facta professio.

Ad substantiam autem minime pertinet ut induas *proprium* noviciorum habitum.

b) Ex iure speciali Societatis Iesu, tota probatio in veste saeculari peragi potest.

Quo utendum regimine.

2. **Cetera** quae **disciplinam** noviciatus continent huc spectant, ut novicius, in habitu regulari, sub ductu praelati regularis experiatur Ordinis difficultates.

C. Clementis VIII.

De Noviciatus regimine est C. Clementis VIII, *Cum ad regularem*, 19 mart. 1603, rursus promulgata ab Urbano VIII per S. Congr. Concilii Decreto *Sacra Congregatio*, 1624, quae, etsi presse non obligat nisi eas noviciatus domos quae a S. Sedes sunt designandae, excellentem tamen omnibus praebet formam instituendi vitae religiosae tirones.

En praecipua capita :

1. Cura noviciorum demandatur *magistro noviciorum*, qui sit sacerdos, 35^{um} saltem ingressus aetatis annum, et a 10 annis professus. Ei, si expedit pro numero noviciorum, adiungitur *socius*, qui triginta excesserit annos. Ambo oportet ut vacent ab officio quo a noviciorum bona institutione prohibeantur (§ 13. 14). Magister est solus confessarius ordinarius noviciorum. Licet tamen Superiori, etiam locali, semel aut bis in anno, per se vel per alium ab eo deputatum, audire noviciorum confessiones (28).

2. Noviciatus a reliqua domo quam habitant professi, debet esse separatus et clausus (7) ; et, si fieri potest, cum distincto oratorio et cum horto peculiari (10). In universum magna a professis separatio iniungitur.

3. Doceri debent novicii regularem disciplinam et regulas Instituti (16).

4. Praescribuntur : a) In initio confessio generalis totius vitae ; b) Confessio saltem bis in mense ; c) Bis in die oratio mentalis et vocalis, secundum propriam cuiusque capacitatem ; d) Pluries in die discussio propriae conscientiae ; e) Cotidiana aperitio conscientiae ; f) Missae et officio canonico cotidiana assistentia ; g) Usus frequens sacramentorum ; h) Quaedam recreationes ; et, semel saltem in singulis quindenis, longior recreatio extra domum ; i) Deputatio novicii, aetate et moribus provectioris, qui custodiat ianuam, et suppleat absentem socium, in minoris momenti rebus (6-12 ; 16-21). Cfr. ipsum documentum.

5. Commendatur etiam cura fratrum conversorum (22).

3. Recentes Normae S. C. Ep. et Reg. volunt ut in Institutis votorum simplicium Magister noviciorum in quinto saltem supra tricesimum anno suae aetatis constitutus sit et a decennio vota emiserit, socius autem tricesimum saltem annum attigerit et a quinque annis sit votis ligatus. Magister nequit esse Consiliarius Generalis. Praescribunt etiam generalem Confessionem, prudenti Confessarii arbitrio faciendam et separationem a professis. Singulis noviciis est ab initio tradendum integrum Constitutionum exemplar. Cfr. Normas, art. 85-87, 298-300.

CAPUT II

DE IURIDICIS NOVICIORUM RATIONIBUS

Passerini, De Hominum statibus, t. 3, in 2, 2, q. 189, art. 10, p. 580 sqq. *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 11 et c. 16; tr. 8, l. 2, c. 17; *Sanchez, In Decalogum*, l. 7, c. 1-7; *Pellizarius, Manuale regularium*, tr. 2, c. 6-9: *Rotarius, Theologiam oralis Regularium*, t. 1, l. 2, c. 4, p. 6. 7; *Reiffenstuel*, in l. 3, t. 31, n. 109-157; *Schmalzgrueber*, in l. 3, t. 31, n. 77-148. *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 2, p. 284, 285; *Bouix, De Iure Regularium*, t. 1, p. 583-602; *Mélot, De Ordinibus et Congregat.* n. 76-81; *Biederlack, De iure regularium*, n. 29; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 114 ss.; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc. t. 1, p. 132-140; *Ballerini-Palmieri, Opus theologicum*, t. 3, tr. 8, p. 3, c. 2, n. 731, sqq.: *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, n. 637, 638.

§ 1. *De Noviciorum condicione*

Principium generale.

192. 1. Suo in Institutum approbatum ingressu, reipsa fit novicius *persona ecclesiastica*, et, si Institutum sit Ordo presse dictus, *regularis*, lato sensu, ita tamen ut potius *commoda* sentiat istius status quam *onera*.

Novicius est regularis lato sensu.

Ita communis sententia; et probatur ex variis quae in iure de noviciis statuuntur.

Immunis obligatione votorum.

2. Nullo *per se* tenetur novicius voto; et de bonis suis *per se* ut ante valet disponere, si vetitam a c. Tridentino demas renuntiationem bonorum.

Commoda quibus fruitur novicius:

193. Quod ad commoda status religiosi:

Privelegium fori et canonis;

1. Novicii participant privilegium fori et canonis, ex c. Religioso 21, § Quamvis, *de Sent. Exc. in* 6° (v. 11).

Indulgentiae Ordinis et privilegia;

2. Fruuntur indulgentiis sui Instituti et etiam privilegiis, nisi haec solis professis fuerint concessa.

Indulgentia in ingressu;

3. Die qua ingrediuntur Religionem [1] lucrantur indulgentiam plenariam. Paul. V, C. *Rom. Pontifex*, 23 maii 1606. Hoc per se proprium est noviciorum Religionis presse dictae.

Iurisdictio gratiosa Praelati;

4. Cum ipsis possunt Praelati uti suis privilegiis dispensandi a votis, ieiuniis, observatione festorum, absolvendi a reservatis. Nec requiritur Ordinarii approbatio pro eorum confessione.

---

[1] Scriptum legis ita sonat, § 5: « Omnibus Christi fidelibus qui canonice et iuxta ordines cuiuslibet Religionis et Constitutiones apostolicas habitum regularem a legitimis superioribus causa profitendi in illo susceperint, *die primo ingressus* in ipsam religionem. » Hinc colligitur indulgentiam coniungi ingressui; exigi autem habitus susceptionem quatenus, ex iure communi vel Constitutionibus, novicii illum induere debeant.

Exemptio ; 5. Exempti sunt Ordinarii iurisdictione, si pertineant ad exemptum Ordinem [1].

Ordinatio ; 6. Novicii Ordinis regularis, ut verisimile est [2], ordinari possunt ab Episcopo loci ubi probantur. Observes tamen ad recipiendos ordines sacros opus esse *titulo ;* nec communicari cum noviciis titulum paupertatis vel si quem alium obtinuerit religiosus Ordo pro suis Religiosis. Cfr. Decret. *Auctis admodum.*

Absolutio a reservatis. 7. Ante Constitutionem Pii IX, *Apostolicae Sedis,* poterant tum novicii tum ii qui mox ingredi volebant Religionem presse dictam, absolvi per Praelatos religionis vel alios ab ipsis deputatos ab omnibus censuris et poenis ecclesiasticis tam a iure quam ab homine latis vel promulgatis. Ingressu cum animo perseverandi non secuto, censurae et poenae reviviscebant. Usus porro talis facultatis quod ad eos qui nondum erant ingressi postulabat approbationem episcopalem ad audiendas confessiones. Verum per C. Pii IX, *Apostolicae Sedis, perpetua* privilegia in hac re sublata sunt quod ad censuras *latae sententiae iure communi reservatas Summo Pontifici.*

Onera quae ferre debet Novicius. **194. Quod ad onera status religiosi.** 1. Subduntur iurisdictioni quasi episcopali praelatorum religiosorum qui sint exempti.

Iurisdictio necessaria Praelati. Quod si non sint exempti, res aestimanda erit ex statutis probatis a S. Sede vel Episcopi concessione. Plures contendunt ex consuetudine haberi ut praelatus eandem habeat potestatem in novicios quam in professos.

Exempla. 2. Quare praelatus regularis exemptus :

a) Potest noviciis praecipere quae Episcopus praecipere potest *subditis ;*

b) Poenis corporalibus et (quod nonnulli negant) censuris coercere ;

c) Reservare casus respectu noviciorum.

Nisi tamen id diserte dicatur, casus reservati Religionis non existimantur reservati quod ad novicios.

d) Quam diu novicius vult in religione permanere, a Praelato regulari immediate proficiscitur iurisdictio fori interni quod ad ipsum. Quare *absolutio* data a sacerdote quem solus approbasset Episcopus non videtur fore valida. Ita communior sententia v. gr. Suarez, *De Religione,* tr. 8, l. 2, c. 17, n. 14 sq. Laymann, l. 4, tr. 5, c. 4, n. 4 ; Lehmkuhl, *Theol. mor.* II, 397, contra opinionem non improbabilem Pellizarii, tr. 2, c. 7, n. 45 et paucorum.

---

[1] De tempore quaerens a quo ista noviciorum privilegia initium ducant, existimat Biederlack iam a die qua ad habitum sumendum probantur, nec solum ab assumpto habitu ea ortum habere. A prima enim illa probatione oportere ut religiosis Superioribus subdantur.

[2] Idem tenent Piat, I, p. 120, et Biederlack, n. 29, 3.

194bis. Fere idem dicendum est de noviciis congregationum. Gratias et privilegia participant sui Instituti, et, quam diu perseverant in condicione sua, Superiorum potestati subduntur.

Novicii congregationis votorum simpl.

§ 2. *De Mutua obligatione Instituti et Novicii*

195. *Iuridice,* seu in foro externo, integrum est novicio exire e Religione. Ita omnes ; et per se patet, cum nulla sit stirps obligationis. Quae facultas non minuitur voto, si quod forte fecerit novicius, cum illud in iure non consideretur.

Facultas redeundi in saeculum.

In *interno* foro peccabit, si pravo affectu se impelli sinat, vel si temere se in saeculo obiciat periculis.

Quo magis sit libertas illa in tuto, plures latae sunt iuris sanctiones.

196. 1. Demptis *impensis,* novicio egredienti omnia quae attulit sunt restituenda. C. Si quis, C. 17, q. 2, Trid. c. 16 s. 25, *De Reg.* Nec *per se,* seu nisi aliter cautum fuerit, debet novicius ipsa sarcire impendia, si sincero animo ingressus fuerit Religionem. Idem transferas ad Institutum votorum simplicium. *Normae,* art. 83.

Variae cautiones.

Restituenda quae attulerit novicius.

2. Ex Trid. ibid. « Nulla *renuntiatio* aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, nisi, cum licentia Episcopi sive eius vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem ; ac non alias intellegatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione : aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renuntiatione, etiam iurata, sit irrita et nullius effectus. »

Prohibita renuntiatio bonorum.

De qua renuntiatione paulo distinctius dicemus in *parergon* ad calcem istius sectionis.

3. Ex eodem c. 16. Syn. Trid. sub anathematis poena contra dantes et accipientes [1], prohibetur, « Ne parentes, propinqui, curatores monasterio aliquid (excepto victu, vestitu) tradant ex bonis novicii vel noviciae. » Quod ex ratione addita, cum Bouix 1. p. 590, intellegendum videtur de donationibus quae minuant libertatem egressus.

Prohibitae donationes.

197. 1. *Regula* non obligantur directe, sed ei subiacent ex honestate et decentia.

Noviciorum obligationes.

2. Quam diu permanent in Religione, subduntur potestati *dominativae* praelati regularis tamquam capiti istius communitatis.

3. De potestate *iurisdictionis* modo est dictum n. **194**.

---

[1] Ergo excommunicatio ista, quae nemini reservatur, est *ferendae* sententiae.

4. Si apud animos statuerint e Religione egredi, debent ex iustitia naturali Superiores de suo consilio facere certiores. Quod nisi fecerint, sumptus deinceps ipsorum causa factos restituere debent monasterio.

De votis noviciorum.

198. Votis, si quae fecerint, etsi forte inconsulto Praelato, tenentur novicii, nec directe a Praelato *infirmari* possunt, sed indirecte tantum, quatenus disciplinae noviciatus sint opposita. — *Iuridicam* tamen noviciorum condicionem ne ea quidem vota mutant quae *devotionis causa* fecerint ut se iam obstringerent Religioni in qua probantur. Cfr. de huiusmodi votis Sanchez *in Decalog.* l. 6, c. 10, n. 8 sqq. *Per se* iudicanda sunt obnoxia condicioni : nisi legitime sim dimissus.

De novicii dimissione.

199. 1. *Caritate erga Novicium* et quadam *aequitate*, non minus quam *proprio* quod ex munere habet *erga Institutum officio*, prohibetur Praelatus ne *sine iusta causa* expellat Novicium. De aliis quorum est ius suffragii, perinde est dicendum, nisi quod facile fit ut minus stricte obligentur adversus Institutum, sicut dicebamus supra de ipsa admissione. Secundum *Normas* S. C. Ep. et Reg., art. 271,7, dimissio Novicii ab Instituto votorum simplicium consensum postulat superioris Generalis et Consilii generalis.

Etsi facta sine causa, non est iniuriosa novicio.

2. *Nullum* tamen *novicii violatur ius strictum* [1].

Sunt inter recentiores qui existiment repulsam istam esse iniuriosam, utpote adversantem tacitae pactioni qua novicius ius habeat ad professionem nisi quid obstet. Verum pactio ista videtur esse mentis figmentum, praesertim cum magis sit aequum ut Ordo et Novicius pari sint iure [2]. Summi denique Doctores vel suo silentio hanc negant obligationem, ut Schmalzgrueber in l. 3, t. 31, vel diserte illam infitiantur. Ita v. gr. Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 11, n. 5 ; Sanchez, *in Decalogum*, l. 5, c. 4, 59 ; Pellizarius, *Manuale*, tr. 2, c. 6, n. 60.

Qui tamen sine causa expellatur agere possit apud Praelatum Superiorem sive Ordinis sive Ordini extraneum. Is, si Religio sit exempta, erit solus Summus Pontifex.

§ 3. *De Professione Novicii in articulo mortis*

Privilegium S. Pii v.

200. Ex communicatione privilegii a S. Pio v concessi Monialibus S. Dominici [3], potest novicius, in articulo mortis, si legitimam habuerit aetatem, emittere professionem etiam

---

[1] Ita etiam Biederlack, n. 29.

[2] *Iure*, inquam, nam magis ex caritate tenetur Ordo. Non repugnat ut caritatis obligatio non sit mutua. Cfr. Suarez, *De religione* tr. 7, l. 5, c. 11, n. 5.

[3] C. *Summi Sacerdotii*, 23 aug. 1570. Cfr. t. 2, n. **52**, p. 329, ed. 2.

ante exactum probationis annum; sed si convaluerit, his votis, in foro externo, non tenetur; atque debet iterum profiteri. Quare certa vis illius professionis fere huc spectat ut assequaris indulgentias et gratias spirituales Professorum, eorumque suffragia post mortem. Cfr. De Angelis h. t. p. 97; Piat, 1, p. 96, 97.

Patet illud ad ea tantum Instituta pertinere quae hac privilegiorum communicatione fruuntur. Cfr. infra, *De privilegiis*, p. 5, c. 1, art. 2, § 1.

PARERGON. De renuntiatione bonorum [1]

Fagnani in c. Statuimus, 23, *De Regularibus* (III, 31); *Passerini*, in 2, 2, q. 189, *De statu Novitiorum*, Inspectio VIII, p. 607-628; *Sanchez, In Decalogum*, l. 7, c. 5. 6. 7. 12; *C. de Lugo*, *De Iustitia*, d. 3. s. 5. 6. 9; *Rotarius, Theol. mor. Regul.* t. 1, l. 2, c. 3; *Schmalzgrueber*, in l. 3, t. 31, n. 96-148; *Biederlack*, *De iure regularium*, n. 30; *Wernz*, *Ius Decretalium*, t. 3, n. 638; *Bastien*, *Directoire canonique*, n. 137-143.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 324-329.

201. 1. Quod *ad Instituta, Tridentinum vetitum* afficit omnes *Ordines* regulares presse tales, praeter Societatem Iesu, quae, ex ipso Concilio, eod. cap. 16, sui instituti leges sequi permittitur. Hoc vetito non tenentur Instituta votorum simplicium; usus tamen diversus a S. Sede improbatur [2].

Prohibitio Tridentina.

Pertinet ad Ordines.

2. *Quod ad vim*, lex est *absoluta*, Nec iureiurando firmari potest iurium cessio contra Tridentinam formam, nec iurata gratiae renunciatione extenuari legis efficacitas.

Habet vim absolutam.

3. *Quod ad actus* huic legi obnoxios:

Actus obnoxii legi.

a) Comprehendi non videtur *renuntiatio facta ante noviciatum*, quamvis nonnulli contrarium doceant urgendo paritatem rationis, quae non est omnimoda. Contra Piat 1, p, 125. Cfr. Fagnani, in c. Statuimus, 23, *De Regularibus* (III, 31) n. 40 sq.; Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum*, t. 3, tr. 8, p. 3, c. 3, n. 731 sq. qui utramque sententiam exponit.

An renuntiatio ante ingressum;

b) Non attinguntur actus *ad nutum* revocabiles, ut testamenta: ratio deficit; nec *contractus onerosi*, quibus non plus datur quam accipitur; nec *modicae eleemosynae* vel donationes. Cfr. Bouix, 1, p. 584.

An testamentum, pacta onerosa, modica dona;

c) Comprehenditur autem *resignatio beneficii*. Schmalzgrueber, l. c. n. 124-126. Ballerini-Palmieri, *Op. theol.* tr. 8, p. 3, c. 3, n. 735. — Fructus *grossi* beneficii, seu qui beneficiato qua tali, non autem propter praestationes, v. gr.

An resignatio beneficii?

---

[1] Cfr. t. 2 Supplementum VI, *De Paupertate.*
[2] Cfr. Normas, n. 84.

assistentiam in choro, debentur, a novicio ut antea percipiuntur.

Donationes ex bonis parentum.

d) Comprehenduntur *donationes* factae *ex bonis parentum,* quorum novicius est heres *necessarius:* nam censentur factae ex bonis novicii. Cfr. Piat, 1, q. 4, p. 125, qui addit severius etiam responderi a S. Congr. Concilii.

Legitima renuntiatio.

202. 1. *Tempus utile* renuntiandi est, ex lege Tridentina [1], bimestre spatium ante professionem. Quae professio non est simplex illa a Pio IX praescripta, sed *sollemnis*. Pius IX, Decr. 1 aug. 1862. Cfr. Bizzarri, 915. 916.

Dies.

Obiectum.

2. *Bona et iura* quibus quis cedere valet sunt cum *praesentia,* tum ea ad quae habetur *ius certum*, v. gr. paterna vel materna hereditas, praesertim quod ad legitimam portionem.

De bonis quorum mera habetur *spes*, frustranea videtur renuntiatio cuius effectus differtur in tempus quo ius aliquod tibi comparare nequeas. Ita Passerini, loco citato, n. 209-211 ; C. de Lugo, *Consilia moralia*, l. 4, dub. 5, n. 9. Id tamen non est plane exploratum. Cfr. C. de Lugo, *Consilia moralia* eodem dub. et d. 4. Sacra vero Congregatio non videtur rem diremisse. Decreto enim quod solet communicare cum Ordinibus qui ipsam interrogant de hodierno renuntiationum usu, statuit « De renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc Sacram Congregationem » Ita 16 sept. 1885. Cfr. *N. R. th.* t. 22, p. 28. 29.

Forma.

3. De *forma,* vult Tridentina synodus, quo magis consulatur libertati novicii, ut habeatur *licentia Episcopi* vel eius *Vicarii*. Episcopus videtur esse Ordinarius loci noviciatus. Cfr. Piat, l. c. p. 127. Quorundam Ordinum consuetudo ut hanc licentiam petere omittant, per se sustineri potest, dummodo talis sit quae valeat Tridentino decreto aliquid derogare. Cfr. Sanchez, l. 7, c. 5, n. 75.

Per se perspicitur renuntiationem eo faciendam esse modo quo iuridicos sortiatur effectus et professum vere suis iuribus privet [2]. Non raro tamen hodie civili carebit vi, sive quia in novicio legitima desideretur aetas, sive quia agatur de hereditate futura. Satis tunc est qualibet exteriore forma significare voluntatem. Renuntiatio ista obligabit conscientiam, statimque ac fieri poterit, actu civili firmo renovabitur. Ita cit. decr. S. Cong. EE. et RR. 16 sept. 1885.

Quod si interea, etiam post professionem, faciendi sint actus civiles acquisitionis, dispositionis : his, cum licentia superiorum, non prohibetur professus, bene gnarus se mere specie

---

[1] In Belgio et Hollandia speciali utimur iure, de quo infra, *De voto paupert.*

[2] Videtur tamen valere condicio resolutoria *nisi legitime egrediar e monasterio*. Cfr. n. **204,** 3.

tenus agere dominum. Id ex eodem decreto depromimus.

4. *De modo,* integrum est novicio bona ista deputare familiae, monasterio, piae causae, suffragiis post mortem. *Modus.*

5. *De effectu.* Legitime facta renuntiatio non potest ad novicii arbitrium ante professionem revocari [1], etsi non confirmetur perfecte nisi per secutam professionem, immo corruat quaecumque causa obfuerit professioni. Schmalzgrueber n. 119, 120; Ballerini-Palmieri, op. cit, t. 3, tr. 8, p. 3, c. 3, n. 738. *Effectus.*

203. Renuntiatio quam omiserit novicius, non potest, secuta sollemni professione, iam suppleri. Potest tamen professus *declarare* mentem suam, si qua parte obscure dixerit [2]. Eam intellegas declarationem qua non moderetur vel mutet testamentum. S. C. C. 4 aug. 1685. *Anal. Iur. Pont.* s. 9, c. 783, n. 2; c. 788, n. 4. *Quid si omissa renuntiatio.*

2. *Pleno* itaque *iure:* a) Bona *praesentia* acquiruntur monasterio si sit capax; sin minus, heredibus professi.

b) Bona *futura* pariter, legitima devolutione, perveniunt ad monasterium. Quod si in locum professi succedere nequeat, hereditas dividitur quasi professus eam non adiret.

N. B. Haec iam non habent locum in Belgio et Hollandia, quatenus regulares ibi utantur iure speciali indicando infra, ubi De Voto Paupertatis.

204. 1. Secuta professione sollemni, per se vacant beneficia ecclesiastica. Monasterium autem ipso iure, aut facta renuntiatione aliae personae plerumque acquirunt *praesentia* professi bona. Neque adversus iura quaesita, copia per se est alicuius repetitionis, etiam si promotione vel perpetua secularizatione rumpatur nexus quo monasterio astringaris. *De iure recuperandi bona praesentia.*

2. Quod autem ad *hereditates* et alia in quae nemo acquisivit iura, professus solutus vinculo quo addicebatur monasterio, aliquo fruitur iure postliminii, quo, intra fines Indulti vel leges suae condicionis, fit iterum capax ea bona acquirendi et de iis disponendi [3]. Cfr. S. Congr. Conc. *Nullitatis testamenti,* 2 sept. 1870, et observationes periodici libelli *A. S. S.* t. 6, p. 404. 405. *Hereditates.*

3. Quid si peculiari *clausula* caverit sibi de iure recuperandi bona, si ex causa aliqua legitima e Religione egrediatur? *Vi clausulae;*

Non plane constat hanc condicionem esse efficacem. Cfr. causam relatam a Bizzarri, p. 114. Potius tamen, cum

---

1 Nisi diserte sibi de hoc iure caverit.

2 Cfr. quae habet Sanchez de testamento professi, *in Decal.* l. 7, c. 11, n. 16. 17. 20; C. de Lugo, *De iustitia,* d. 3, n. 115, 120, 121.

3 Huiusmodi possint esse annuae summae in perpetuum, ex renuntiationis modo, professo debitae, quae, quam diu ipse ad monasterium pertinet, huic acquiruntur. Cfr. S. C. EE. et RR. 7 ian. 1845, *Analecta iuris pontif.* s. 17, c. 457, n. 1738.

Sanchez l. 7, c. 17, n. 26 et Pellizario tr. 2, c. 9, n. 23, arbitramur nihil officere quin condicio ista teneat.

Post cladem monasterii.

4. Denique, si clade quadam monasterii ad inopiam redigatur professus, debet ipsi donatarius praestare alimenta, nisi malit donationem revocari. Cfr. Bizzarri, p. 112.

Instituta votorum simplicium.

204bis. In *Institutis votorum simplicium,* quae pontificio iure utuntur : a) Debent ante vota novicii usumfructum et administrationem bonorum suorum abdicare, libere decernendo cui usui et qua ratione sint addicenda. b) Si Institutum *Normis* regitur recens a S. Congr. Episcoporum et Regularium editis [1], dispositio ista potest cum consensu Superioris generalis mutari etiam post vota. c) Per vota perpetua, non autem per temporaria, vacant ipso iure beneficia residentialia. Cfr. *Normas.* art. 115-118, resp. 25 aug. 1903, *Periodica,* t. 1, n. 7, p. 18 sq.

---

[1] Cur ex responso 2 iun. 1905, quod ampliorem isti dispositioni vim tribuere videtur, minime arguamus, diximus in *Periodico nostro,* t. 2, p. 107.

SECTIO III. **DE PROFESSIONE RELIGIOSA**

CAPUT I

PROFESSIONIS RELIGIOSAE NATURA, CONDICIONES ATQUE EFFECTUS

Passerini**, De Hominum Statibus* t. 3, q. 189, art. 10. *De professione*, p. 628 sqq.; ***Suarez**, De Religione*, tr. 7, l. 6, c. 1. 2. 12 ad finem; ***Sanchez**, In Decalogum*, l. 5, c. 3. 4. 5; ***Pellizarius**, Manuale Regularium*, tr. 3, c. 1-5; *Tract. De Monialibus*, c. 3; ***Rotarius** Theol. mor. regular.* t. 1, l. 2, c. 5, p. 1 et 2; ***Reiffenstuel, in l. 3, t. 31, n. 157-225; ***Schmalzgrueber***, in l. 3, t. 31, n. 149 sqq.; ***Schmier**, Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 2, p. 278. 282. 285-287; ***Bouix**, De Iure regularium*, I, p. 602-656; ***Mélot**, De Ordinibus et Congregationibus*, n. 82-92; ***Biederlack**, De iure regularium*, n. 31-45. 82. 83; ***Piat**, Praelectiones iuris regul.* I, p. 132-170; ***Angelus a SS. Corde**, Manuale*, ect. I, p. 142-180; ***Palmieri**, Opus theologicum*, t. 4, tr. 9, c. 1, n. 49-80; ***Battandier**, Guide canonique*, etc. n. 92, 103-113; ***Wernz**, Ius Decretalium*, t. 3, n. 640-646, 668-673; ***Bastien**, Directoire canonique*, n. 144-186.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 331-363.

§ 1. *Notiones communes*

205. 1. *Professio in universum*, est rei cuiuspiam palam facta confessio [1], potissimumque dicitur de status alicuius vel condicionis aperta susceptione. *Descriptio professionis.*

2. Itaque *professio religiosa* est *susceptio status religiosi* [2] i. e. perfectionis persequendae; vel etiam, ut huc transferamus dictum S. Augustini [3], est *professio sanctitatis*. *Professionis religiosae.*

3. In *praesenti* quo utimur *iure*, professio ista *necessario connectitur*: *Hanc hodie comitantur;*

a) Cum *tribus votis substantialibus* paupertatis, castitatis, oboedientiae; *Tria vota.*

---

[1] *Professione*, « i. e. confessione » ait Glossa in c. Fideli, 1, *De Summa Trinitate* in 6 (I, 1).
[2] Non addimus *aperta*, cum status sit aliquid de se manifestum. quod clam assumi propie nequeat.
[3] Sermo 355 (M. P. L. t. 39, c. 1573).

Traditio personae.

b) Cum *traditione sui* in dicionem et potestatem Instituti approbati. Quare, praeter promissionem Deo factam, professus nexu obstringitur Ordini vel Congregationi. Quod varia inducit consectaria iuridica, nominatim ius quaesitum monasterio in personam professi.

Non ita olim.

Professionem olim, in stadio inchoationis, fuisse sine obligatione votorum saltem formalium, praesertim paupertatis, et exstitisse sine illa traditione qua quis sub alterius speciali regimine constituitur, satis constat ex conspectu historico quem supra, p. 1, c. 3, dedimus. Quare etiam non nihil temperare oportet quod in medio aevo et apud classicos scriptores nimis « *a priori* » proponebatur ut ad essentiam pertinens religiosae professionis, pluraque eorum quae dicebantur presse necessaria, per se, omisso iure humano, habenda potius sunt pro valde congruis seu pertinentibus ad conaturalem status evolutionem et perfectionem.

Collatio votorum et professionis.

206. Quaeres, *de collatione votorum et professionis religiosae.*

1. Quamvis hodie nulla sit professio sine votis, ambo tamen sunt inter se *formaliter* distincta, ita ut *professio* religiosa per se mere dicat confessionem eius qui ponit se in ordine eorum qui contendunt ad perfectionem christianae caritatis, dum coniuncta *vota* sunt promissio Deo facta eorum quae ad perfectionem dirigunt.

Formalis distinctio.

Materialis coniunctio.

Observes autem usu venire ut fiat *professio ipsorum votorum*. Quare verba *professio religiosa* dicunt nunc *susceptionem status* et *confessionem definitae rationis qua status suscipitur*, seu modi quo persequenda est perfectio : non aliter ac si fatearis, praeter iter romanum, iter pedibus vel equo vel curru ineundum, seu confessioni finis, mediorum coniungas confessionem. Itaque, paucis, est *susceptio status religiosi per haec vota.*

Sine professione.

2. Vota religiosa etiam hodie non raro fiunt sine professione. Ita qui in saeculo vovet paupertatem, castitatem, oboedientiam confessario ; vel qui, novicius, vota facit quae *devotionalia* appellantur.

Antiquitate praestat professio.

3. Antiquitate prior est professio religiosa ipsis votis formalibus. Magis enim ad sanctitatem Ecclesiae pertinet semper viros exstitisse qui profiterentur se sectari religionem perfectiorem seu sanctitatem, quam qui hac definita ratione votorum formalium ad hanc sanctitatem niterentur.

Vota, non autem professio, fiunt uni Deo.

4. Vota fiunt Deo tantum ; professio continet promissionem factam Ecclesiae : atque, hodierno iure, definito Instituto.

Professio, non vota, postulant Ecclesiae approbationem.

5. Vota exsistere possunt sine assensu Ecclesiae. Professio perficienda est aliqua Ecclesiae acceptatione.

Divisio.

207. Professio religiosa est 1. *Perfecta* vel *imperfecta*, prout plus vel minus perfecte assumitur status religiosus. Porro a perfecta ratione deficere potest professio, tum quia minus perfecte acceptatur professio ab Ecclesia ; et hoc rursus, sive quia Institutum minore nexu tenetur, sive quia

ipsum minus perfectam habet approbationem, ut si Congregatio sit potius quam Ordo. *Professio perfecta et imperfecta.*

2. *Sollemnis* seu simpliciter dicta, qua vota coniuncta « sollemnizantur » [1] et *simplex* seu latius dicta, quae privata sinit esse vota. *Sollemnis, simplex.*

3. *Expressa,* quae forma fit consueta : verbis aliisve definitis ritibus, et *tacita* quae ex factis colligitur : ut si per aliquod tempus, palam, nemine prohibente, propriuni indueris professorum habitum ; vel, annuente communitate, id feceris quod ad solos professos pertineat. Cfr. c. 4 et 22 *De Regularibus* (III, 31). *Expressa, tacita.*

208. Quaeres utrum necne hodie sit tacita professio. *De usu tacitae professionis hodie.*

1. Tam apud viros quam moniales est certe insolita.

2. *Apud viros, sollemnis* professio tacite fieri nequit ex declaratione contenta decreto Pii IX 12 iunii 1858, n. 11. Cfr. t. 2, n. **61,** p. 355 (ed. 2 vel 3).

Quod ad *simplicem,* non plane constat tacitam eius rationem esse suppressam. Id tamen putat Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 63.

3. Apud *moniales,* scripta lege, nihil est de superiore iure detractum.

209. 1. Per se quovis *tempore* fieri potest : mane vel vespere, die festo vel feriali. *Adiunctae Quo tempor. sit facienda.*

2. Per se quovis *loco* etiam non sacro, professio pronuntiari potest. C. quidem Clementis VIII *Regularis disciplinae,* irritam decrevit professionem *sollemnem* [2] factam extra monasterium noviciatui designatum : cui Constitutioni iam supra, n. **185,** universalem negavimus valorem. Post recentiores dispositiones, responsum est, sollemnem virorum professionem emitti posse in domo in qua reperiatur profitens. S. C. super statu Regularium, 9 dec. 1859. Cfr. t. 2, n. **57,** p. 339. *Quo loco.*

210. 1. Omnino cavendum est ut, sicut fert usus, professio fiat *personaliter* et *absolute.* *Professiones modus ac ritus.*

Ex iure tamen communi, nihil obstat quominus fiat per *procuratorem* qui speciali mandato donetur. Hoc enim perpetuum est, procuratorem in locum personae suffici posse, nisi diserte prohibeatur. Atque etiam matrimonium ita contrahi valet. Cfr. Schmalzgrueber, l. c. n. 180. *De professione per procuratorem.*

---

[1] Bonifacius VIII, c. Quod votum, unicum, *De voto et voti redemptione in* 6 (III, 15).

[2] Nulla est sanctio positiva de loco professionis *simplicis,* quamvis praestet eam facere in loco probationis. Sunt tamen, v. gr. R. P. Piat, t. 1, p. 135, et post ipsum, Wernz, n. 644, II, qui putant in Italia et insulis eam esse pronuntiandam in domo noviciatus. Arguunt ex Const. Clementis VIII. Sed nos fugit quo iure ad *simplicem* professionem transferre possint quod, lege *irritante,* de *sollemni* erat statutum.

Vel condicionata. Nihil etiam obstare videtur valori professionis quae fiat *sub condicione de futuro*, modo haec non repugnet substantiae, utputa essentiae paupertatis vel perpetuitati voti sollemnis. Schmalzgreuber h. t. n. 180; Reiffenstuel, 175.

De ritu. 2. Quod ad *ritum :* a) Oportet ut suas quisque consideret Constitutiones atque usus probatos.

An scripta legenda. b) Per se non requiritur ut *scripta legatur*. Si tamen monasterium sub iure fuerit Clementis VIII, professus debet in tabulis, Const. *Cum ad regularem*, § 35, praescriptis, coram testibus suam professionem subscribere, vel, si illiteratus, cruce obsignare.

Ex Normis S. C. Ep. et Reg. art. 107, debet scripta fides professionis, in Instituto votorum simplicium, tabulis mandari et subscribi a Superiore generali vel eius delegato et a professo.

De professione. c) Si vero velint facere professionem *inter Missam*, S. Rit. C. Decreto generali 14-27 aug. 1894, quo decreta contraria sunt abrogata, omnibus Institutis [1], etiam votorum simplicium [2], hanc indulsit methodum Societatis Iesu : « Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto SS^mo^ Eucharistiae sacramento, absoluta confessione ac verbis quae ante fidelium communionem dici solent, S. Hostiam manu tenens ad profitentes sese convertet : hi vero singuli alta voce professionem suam legent, ac, postquam quisque legerit, statim SS^mum^ Eucharistiae sacramentum sumet. »

Minime tamen *alter* prohibetur *ritus*, quem probatae Constitutiones vel consuetudines praescripserint, *extra Missam*.

§ 2. *De professione sollemni*

Condiciones validae professionis. **211. Ad valorem** religiosae professionis **tres** requiruntur **condiciones**.

Habilitas personae. 1. *Habilitas personae profitentis :* ut decimum sextum aetatis annum expleverit, annumque integrum cum religioso habitu steterit in probatione, nullumque habeat impedimentum quod per statuta legitime confirmata in isto Ordine substantiale esse demonstretur. Ad sollemnem professionem praeterea opus est, ut emiserit professionem simplicem requisitam per decr. S. C. super statu Regul. 19 mart. 1857 et S. C. Ep. et

---

[1] T. 2, n. **58**, A, B, p. 339, 340. (ed. 2 vel 3). Ut ex contexta oratione satis apparet, verba *sollemnis professio* quae in Decreto occurrunt, intellegenda sunt de *exteriore* sollemnitate, non de substantiali qua vota sollemnia secernuntur a simplicibus. Cum receptus sit mos interrumpendi Missam post Evangelium, ob varias causas, sunt qui permittant tunc fieri votorum nuncupationem. Cfr. BASTIEN, *Directoire canonique*, n. 162, note 3.

[2] Cfr. rescr. 5 iun. 1896, t. 2, n. **58**, c, p. 340 (ed. 2 vel 3).

Reg. 3 maii 1902, et ut in ea *per tres annos* permanserit [1]. C. Pii IX *Ad universalis,* 7 feb. 1861. Quod tempus videtur, non secus atque annus noviciatus, mathematico exigi rigore.

Immo, iis qui saltem per annum coacti sunt militare, decreto 27 nov. 1892 quod ad italicas refertur leges, praescripsit S. Congregatio super disciplina Regularium novam saltem annuam probationem antequam ad sollemnem professionem admitti queant. Sanctio nullitatis non additur huic legi [2]. Cfr. t. 2, n. **163,** p. 504 (ed. 2 vel 3).

Ob iustas et rationabiles causas, potest Superior Generalis ac Provincialis *sollemnem* differre professionem, non ei tamen qui aetatem viginti quinque annorum expleverit [3]. Si in Ordine non fuerit Provincialis, eadem facultas Superiori domus noviciatus conceditur, cum consensu magistri noviciatus et duorum religiosorum, qui aliquo Instituti gradu sint insigniti.

Apud Moniales illa differendi facultas tribuitur Ordinario loci vel Superiori Generali seu Provinciali in cuius dicione sint Moniales. Sed oportet ut tum Superiorissa domus, tum noviciarum magistra de iustis ac rationabilibus causis scriptam fidem tradant. (Decr. *Perpensis* 3 maii 1902, n. IV. Cfr. t. 2, n. **64,** p. 360).

N. B. Si conventui praefinitus sit professorum numerus, professi ultra numerum *illicite*, non tamen *invalide* recipiuntur. Cfr. Wernz, t. 3, n. 642, IV.

2. *Assensus et acceptatio* expressa vel tacita eorum ad quos spectat in Ordinem vel Congregationem asciscere. Cfr. infra, **213.**

Assensus eorum ad quos spectat.

3. *Professio sponte facta*, non cogente gravi metu. Id saltem positiva sancitur iure [4] quod ad sollemnem professionem. Cfr. c. Perlatum, 1 *De his quae vi metusve causa fiunt* (I, 40); cc. Nullus, 1, Sicut, 15, *De regularibus* (III, 31).

Nullus gravis metus.

212. Quaeres de gravi metu quo infirmatur professio. *Gravis metus* describitur : Mali cuiuspiam, ex natura sua vel condicione personae [5] ingentis, quod tibi tuisve imminere videatur, certus aut saltem rationabilis ac prudens timor.

Notio gravis metus.

---

1 Et cum haec simplex professio aetatem Tridentinam ipsa postulet, patet neminem regulariter profiteri quin undeviginti annos sit natus.

2 Interdum S. Congregatio severiore utitur disciplina. Ita, quod ad Cistercienses reformatos de Trappa, statuit S. C. EE. et RR. ut religiosi militiae faciendae periculo obnoxii, semestria tantum facerent vota quae, assumpta militia, reapse forent irrita, ita ut reduces in conventum deberent triennio probari votis simplicibus ante sollemnem professionem. Cfr. t. 2, n. **164,** p. 508.

3 In Austria sollemnis virorum professio differtur, sine causa speciali, ultra annum vicesimum quintum aetatis. Cfr. Aichner, p. 479 nota 12. Sunt et alia Indulta peculiaria. Cfr. v. g. Piat, 1 ed. p. 125, nota 5 et p. 128.

4 Quid de iure naturae, Cfr. *Quaestiones de Iustitia,* n. **308** sqq.

5 Innuimus hic distinctionem metus *absolute* et *relative* gravis.

Huiusmodi mala fuerint v. gr. carcer, privatio alimentorum nisi professionem emittas.

Quid de metu reverentiali ?

Quid de *metu reverentiali,* qui est formido offendendi parentes vel Superiorem ?

R. Per se levis habetur et non sufficiens. Nihilo minus, satis esse poterit, « accedente precum, blanditiarum, et imperii saepius repetita importunitate, aut gravi offensione, aut diu continuata indignatione consanguineorum, adiunctis etiam minis de subsidiis negandis si ex religione egrediatur : haec enim vel singula, vel certe simul iuncta, considerata condicione hominis rudis, timidi, etc., metum iustum incutere possunt, et professionem irritare, ut docet Laymann cum aliis l. 4, t. 5, c. 5 nº 6 ; Lessius, l. 2, c. 43, d. 7. »

Ita Busembaum, *Medulla,* l. 4, c. 1, d. 2, n. 3.

Admittit Superior vel Abbatissa.

213. Admissio ad professionem referenda est ad potestatem communitati interiorem, neque exigit iurisdictionem. Quare haec est provincia *Superioris regularis* atque etiam *Abbatissae.*

Ex iure communi, audito capitulo.

Dum vero ad simplicem professionem, de qua infra, consensus capituli ex iure communi requiritur, ad *sollemnem,* ex decreto S. C. super statu Regul. 7 feb. 1862 ad 3, « Audiri quidem debet capitulum conventuale ad instructionem animi Superiorum ; minime vero a Superiore generali vel ab eius subdelegato standum erit resolutioni eiusdem capituli [1]. Ratio, cur minus ad sollemnem quam ad simplicem professionem requiratur consensus capituli, haec videtur, quia per priora illa suffragia sodales Ordinis iam libere dixerunt sententiam de candidato : quod, ex Ordinis constitutionibus semel tantum erat ipsis concessum. Praeterea, simpliciter professus ius iam habet strictum, ne sine certa causa expellatur, quod ius non poterat prudenter totius capituli committi arbitrio.

De monialibus perinde est statutum [2].

Professionis sollemnis praesens ratio.

214. I. **Professionis sollemnis ratio ac vis.** Hodierno iure, sollemnis professio semper continet *contractum mutuum* « *quo quis per vota sollemnia, se Deo et Religioni tradit, et Religio vicissim huiusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tamquam filium, iuxta Regulas et Institutum Religionis tractandi,* » Ita Schmalzgrueber in l. 3, t. 31, n. 149.

Effectus in specie ;

Quod ad professionis *effectus* in specie, alios parit qua *professio,* alios qua *sollemnizans vota.* Itaque :

---

[1] Cfr. t. 2, n. **63** p. 357, 358 (ed 2 vel 3). Si vero velit Superior a S. Sede impetrare facultatem admittendi quempiam ad professionem sollemnem ante completum triennium votorum simplicium, votum capituli est ante petitam dispensationem exquirendum. Resp. 26 ian. 1903, t. 2, p. 337, 338.

[2] Decr. *Perpensis,* VIII et decl. 18 iul. 1902. Cfr. t. 2. n. **64, 65,** p. 359-363 (ed. 2 vel 3).

1. Professum facit *strictissime religiosum* et debitorem status istius observandi. *Status religiosus ;*

2. Inducit *vinculum mutuum* inter religionem et professum, illudque intrinsece indissolubile. Cfr. Suarez, tr. 7, l. 6, c. 15. *Obligatio mutua ;*

3. Secluso speciali privilegio, obligat professum ad *chorum* et recitationem etiam privatam *Breviarii,* nisi sit frater conversus. *Chorus ;*

4. Eximit in odiosis (sic plerique rem circumscribunt) professum *patria potestate.* *Emancipatio ;*

5. Dirimit *matrimonium* contrahendum, et solvit matrimonium ratum. *Nullitas et solutio matrimonii ;*

6. Ex iure communi facit professum incapacem *dominii* [1], inducit vacationem beneficiorum quae in saeculo possidebat [2] ac firmat renuntiationem bonorum peractam ante professionem. Omissa renuntiatione, bona acquiruntur monasterio vel heredibus, ut dictum est, n. **203**. *Incapacitas dominii ;*

7. Aufert *irregularitatem* a natalibus, quod spectat susceptionem Ordinum, non autem quod ad praelaturas et dignitates (secluso privilegio). *Ablatio irregularitatis ;*

8. Exstinguit omnia *vota ante facta,* quantum patitur ius quod tertius per acceptationem comparaverit [3]. *Exstinctio votorum ;*

Plerique tenent hanc votorum commutationem haberi ipso facto, sive ex iuris dispositione, sive, ut nonnulli existimant, ex ipsa rei natura, nisi professus positive voluerit quaedam retinere. Suarez tamen autumat vota non exstingui sine positiva intentione profitentis, quae proin melius apponetur.

9. Confert. ex C. Pauli v, *Romanus Pontifex,* 23 maii 1606, *indulgentiam plenariam.* *Indulgentia;*

10. Si fiat in statu gratiae, remittit omnia peccata ante commissa quod ad *poenam.* Rationabiliter enim haec existimatur satisfactio plene sufficiens, ex ipsa praestantia operis, quod continet rationem holocausti et eleemosynam universi patrimonii. Iam vero inest in operibus nostris ex meritis Christi virtus satisfactoria ; et eleemosyna dicitur in sacris litteris redimere a peccatis. Cfr. S. Th. 2, 2, q. 189, art. 3 ad 3 ; Laymann, l. c. tr. 5, c. 10, n. 1, 2. Quod confirmatur ex C. admonere, C. XXXIII, q. 2, ubi, iuncta explicatione glossae, ingressus in Religionem praeponitur omni paenitentiae. *Remissio poenarum peccati ;*

Sunt qui effectum illum tribuunt indulgentiae plenariae, modo memoratae. Quae explicatio tollit omnem proprietatem istius actus.

Non tamen illam ascribimus cuidam merito *ex opere operato :* quod nimis gratuito assereretur.

Quare neque « reviviscentiam » quandam admittimus, si status peccati obstiterit isti condonationi. Aliunde tamen non negamus,

[1] Cum ad monasterium 6. *De statu monachorum* (III. 35).
[2] C. Beneficium, 4, *De regul.* in 6 (III, 14).
[3] C. 4. Scripturae, *De Voto* (III. 34). C. Qui post votum, eodem (III. 14) 6°.

dummodo pari affectu voluntatis vota renoventur, posse eandem misericordiam obtineri. Quod verisimile videtur Laymann l. c.; Palmieri tamen putat id esse nimium. De his Cfr. Piat, 1. 164. 165.

Usus privilegiorum.

11. Participem facit professum omnium *privilegiorum*, tum quae communia sunt regularium, tum quae suae religionis sunt propria, ad modum in constitutionibus contentum.

Discessus proprio marte plerumque damnandus.

215. De Professione invalida. 1. Quamvis *per se* is qui conscius sibi est substantialiter vitiatae professionis, nulla teneatur obligatione, plerumque tamen obstabit *scandalum* ne proprio marte discedat. Immo, de certis vitiis id est positive prohibitum, ut si nulla sit professio ob receptionem factam in conventu non designato. Cfr. C. Urbani VIII, *Religiosos viros*, 2 apr. 1631 et decr. S. C. Conc. 5 ian. 1636 (B. R. t. 6, p. 1, p. 271 sqq.) vel nostri operis t. 2, n. **59**, p. 341 (ed. 2 vel 3).

Tempus utile agendi.

2. Ad agendum in iure contra invalidam professionem, C. Tridentinum s. 25 *De Regul.* c. 19, concessit spatium quinque annorum, qui dinumerandi sunt, ut videtur, ab emissa professione, etiamsi vitium permanserit. Quo spatio elapso, iam agi non poterit nisi obtento prius beneficio restitutionis in integrum.

Forma actionis.

3. Ex C. Benedicti XIV, *Si datam*, 4 mart. 1748, sive ipse professus, sive religio, nullam esse professionem contendant, exsequendae sunt speciales formulae iudiciorum, nominatimque exigitur duplex sententia conformis. Quae forma urgetur adhuc, saltem in substantialibus, a Sacris Congregationibus. (Bullam damus t. 2, n. **60**, p. 342 sqq. ed. 2 vel 3).

Plura de hac re cfr. v. gr. Piat, 1, p. 155-162, Palmieri, *Opus theologicum*, tr. 9, c. 1, n. 62 sqq.

De sanatione vitii.

216. *Professio* invalida *convalescere* potest sanato vitio.

Olim.

De quo *olim* ita paucis erat dicendum.

a) Si defectus esset ex parte unius profitentis atque in eius potestate, sanabatur per ratihabitionem, modo profitens nosset suam professionem esse nullam. Consensus enim Superioris censetur permanere. Ita plerique. Exemplum dabimus, si metu vitiata sit professio personae idoneae.

b) Si ex parte solius Religionis, haec debebat ratam habere professionem: quod poterat, modo profitens consensum suum, ante ratihabitionem, ne retractasset.

In utroque casu satis erat tacita ratihabitio.

c) Si defectus esset utriusque rationis, vel in neutrius partis arbitrio, requirebatur novus utriusque consensus, seu nova professionis nuncupatio. Cfr. de his Piat, 1, p. 147. 148.

Hodie.

Hodie tamen, cum in dubitatione versetur utrum necne *tacita* ratihabitio simul ac tacita professio sit sublata [1], et certe

[1] De qua re cfr. n. **208**, vel rationes a R. P. Palmieri propositas, *Opus theol.* t. 4, tr. 9, c. 1, n. 62-65.

ab usu S. Sedis tacita videatur aliena, satius semper erit, purgato vitio, denuo profiteri. Excipe causas prorsus occultas, ut defectus interni consensus.

217. Quaeres *utrum necne professio, quamvis irrita, pariat obligationem castitatis quasi ex voto simplici.*

De obligatione castitatis ex professione irrita.

1. *Ex iure positivo,* a) *Ad quoscumque effectus* dicitur *nulla* professio facta ab eo qui non sit 16 annos completos natus, vel per tempus anno minus steterit in probatione [1]; vel ab eo qui in conventu non designato, ubi opus erat designatione, noviciatum peregerit [2].

In foro externo.

b) Contra, valere dicitur tamquam votum simplex, professio alterius coniugum qui alterius carebat assensu. C. Quidam, 3, Placet, 12, *De conversione coniugatorum* (III, 32).

Atque ita *in foro externo* respondebitur. Extra hos casus, res disputatur. Dubiis fori externi consuli poterit, quatenus ad effectus iuridicos sit opus dispensatione ad cautelam.

In foro interno.

2. In foro autem *interno*, causa omnis revocanda est ad intentionem profitentis, qui, etiam in speciebus a C. Tridentino definitis, potuit absoluto affectu vovere castitatem, vel, in casu libri Decretalium, omnem repudiare obligationem. Plerumque autem, ut hodie sunt homines affecti, qui professionem facit non vult aliquo se teneri nexu nisi in ordine ad Institutum in cuius sodales cooptari cupit. Cfr. Bouix, l. c. c. 11, p. 642 sqq. Palmieri l. c. n. 75, vel Piat, t. 1, p. 150-154 ubi multae distinctiones.

§ 3. *De professione simplici*

I. Professio simplex in universum

218. Professio simplex, in universum.

Vis professionis simplicis in universum:

1. Vere inducit tum *statum religiosum*, si coniuncta sit votis perpetuis, tum debita quae ad illum statum pertinent.

Status;

2. *Vota* quidem, *ante facta*, per se non exstinguit, sed ipse profitens potest in illud opus, ut evidenter melius, commutare vota anteriora, nisi a tertio fuerint acceptata; vel a superiore hanc impetrare commutationem. Quae si huius auctoritate fuerit facta, professus qui *sine culpa sua* fuerit dimissus, non debet ad priora opera promissa redire. Cfr. Lehmkuhl, 1, 466.

Facultas commutandi vota;

Remissio poenarum.

3. Videtur etiam, si facta sit in statu gratiae, professum liberare omni onere *poenarum* propter peccata quod ad culpam sublata.

4. Dum permanet, solvit in odiosis vinculum patriae potestatis.

---

[1] C. Trid. s. 25 *De Regul.* c. 15.
[2] C. *Regularae disciplinae* § 8, Clementis VIII.

Non solvit matrimonium.

5. Numquam solvit *matrimonium* ratum, sed impedit matrimonium futurum et sponsalia solvit.

6. Radicale bonorum dominium non aufert.

II. Professio simplex apud Regulares et Moniales

Lex de praeponendis votis simplicibus.

219. Ex recens inducto iure communi, in omni Instituto votorum sollemnium, praeponenda est, saltem per triennium, quaedam votorum simplicium probatio.

Vota porro ista, sine quibus, prius emissis, nulla foret sollemnis Professio :

Requisita aetas.

1. Peracto noviciatu legitime praescripto, ab iis fiunt qui aetatem sedecim annorum compleverint, nisi maiorem aetatem probatae Constitutiones requirant. Fratres conversi seu laici debent viginti unum annos esse nati [1].

Dilatio post probationem.

2. Regulariter ultra peractam probationem differri nequeunt [2]. De his enim votis valet nunc quod statuit Tridentina Synodus, s. 25, *De Regul.* c. 16 : « Finito tempore noviciatus, Superiores novicios quos habiles invenerint ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiciant. » Ob iustam tamen et rationabilem causam, moderata [3] dilatio excusatur. Cfr. Bouix, 1, p. 553, De Angelis, in l. 3, t. 31, p. 106, fine.

Coopatio. a) apud viros extra Italiam,

3. a) In Ordine *virorum,* atque *extra Italiam*, nemo ad simplicem illam professionem admitti potest nisi, praeter Superioris regularis assensum, suffragia tulerit maioris partis capituli.

In Italia et insulis.

In Italia atque insulis adiacentibus, ex Decreto *Regulari disciplinae*, 2ª parte, de admittendo novicio, instituendum est scrutinium examinatorum provincialium, quod generalis Superioris auctoritate est confirmandum. Cfr. t. 2, p. 293 sqq. (ed. 2 vel 3).

b) Apud Moniales.

b) *Apud Moniales,* cooptatio exercetur a conventu cum consensu Superioris regularis, si Moniales sint in dicione Regularium primi ordinis ; sin minus, cum licentia Ordinarii. Pellizarius, *Tract. de Monial.* II, 2 ; III, 4 ; Palmieri, *Opus theol.* tr. 9 c. 1, n. 61.

---

[1] Decretum *Neminem latet*, 19 mart. 1857, vult conversos ea esse aetate quae C. Clementis VIII, *In suprema* definitur. In ista autem Constitutione, 2 april. 1602, nihil de aetate statuitur ; sed in Bullario (B. R. t. 5, p. 2, p. 411), sub eodem numero, varia afferuntur decreta, inter quae C. *Cum ad regularem* quae § 33 postulat ut Conversi vicesimum primum aetatis annum excesserint. Sanctio ista Italiam per se respicit. Ad hanc tamen referendam putamus dispositionem decreti *Neminem.*

[2] Hinc etiam improbatus est usus Monasterii in quo, peracto noviciatu, puellae per annum sine votis versabantur in quodam iunioratu. Cfr. resp. 4 dec. 1905, *Periodica*, n. **105**, t. 2, p. 60.

[3] Per tres vel sex menses, ait Wernz, t. 3, n. 644, 1.

4. Quaecumque sit noviciorum aetas, vota ista non possunt, ante triennium mathematice completum, viam ad sollemnem professionem parare, nisi pontificia accedat dispensatio. Cfr. declar. 20 ian. 1860 et 16 aug. 1866, praeter decretum *Perpensis*, n. IV. (T. 2, n. **62**, p. 356 ; n. **55**, p. 336 et n. **64**, p. 360.)

Ad valorem sollemnis professionis requiruntur :

5. Vota ista sunt perpetua. Si tamen usus fuerit Instituti ut sint temporaria, v. gr. in annum, triennali votorum etiam temporariorum probatione, decretis de simplici professione fit satis. Cfr. resp. S. C. Ep. et Reg. 4 dec. 1905 (Periodica, n. **105**, t. 2, p. 60).

Votorum perpetuitas.

6. Exterior apparatus votorum, seu usu receptum rituale, saltem apud moniales, est in prima professione servandum, suppressis, si opus fuerit, verbis sollemnitatem exprimentibus [1] ; dum sollemnis seu secunda professio, etiam privatim coram communitate, in manibus Superiorissae admitti potest.

Apparatus

7. *Dispensatio* istorum votorum est S. Sedi reservata, quamvis solvi possint legitima dimissione ex Ordine, quae nullum postulat iuridicum processum. Dimissio, in Ordine virorum, per se ad Generalem spectat; apud Moniales recursus ad S. Sedem requiritur.

Dispensatio.

8. In *Ordine virorum*, professi in domibus *professorii* [2] et studiorum remanere debent et vitam agere perfecte communem. De disciplina huiusmodi domorum, cfr. Clementis VIII C. *Cum ad regularem*, § 38 (vel n. 29, in t. 2, n. **43**, p. 317).

Regimen simpliciter professorum.

9. *Professionis istius ratio atque effectus.*

Votorum ratio et effectus.

1. Quod ad *veram huius professionis rationem*, inducta est ut, in praesentibus adiunctis, maior quaedam fieret religiosorum probatio antequam sollemni nexu, quem S. Sedes cupit esse inviolabilem, et gravibus eius consectariis astringantur. Qui finis indicatur ipsa praefatione litt. encycl. *Neminem latet*, 19 mart. 1857.

De professione simplici in Ordine religioso. Cur fiat ista professio.

2. *Ad eius quod attinet effectus*, omissa Societate Iesu, quae iure utitur speciali in hac re, in aliis Ordinibus :

Effectus :

a) Videtur facere alumnum *proprie regularem* [3] ;

Status regularis ;

b) Inducit eandem obligationem *chori* qua sollemniter professi tenentur, non autem recitationis privatae horarum ;

Obligatio chori ;

c) Participem facit *gratiarum* et *privilegiorum* Ordinis, minus plene tamen quam sollemnis professio ;

Gratiae Ordinis ;

d) Nisi plures annos postulent constitutiones, suffragium

Vox activa.

---

[1] Ad consuetam formulam addatur, noviciam nuncupare vota simplicia secundum decretum a S. C. Ep. et Reg. die 3 maii 1902 editum.

[2] Sic appellantur domus quae ipsis magis informandis ad vitam regularem deputantur.

[3] De Societate Iesu id est aperte declaratum, *C. Ascendente*, 15 maii 1584 ; de aliis Ordinibus idem videtur dicendum, cum par, immo fortasse fortior, id suadeat ratio. Cfr. BIEDERLACK, n. 45.

dat in capitulo, non tamen cum agitur de alicuius admissione ad sollemnem professionem. Cfr. resp. 7 feb. 1862. (T. 2, n. **63**, A, p. 357, ed. 2 vel 3).

Quid de passiva?

e) Non tribuit quidem vocem *passivam*, ita ut ne valide quidem eligi possent tamquam Superiores in suo Ordine [1]. Ab illa tamen professione computantur anni professionis necessarii ad activam et passivam vocem in Capitulo.

Quid de paupertate et matrimonio? Obligatio.

f) Non privat professum *radicali dominio* [2], nec dirimit subsequens matrimonium quod illicite contrahatur.

g) *Obligat* perpetuo ipsum profitentem *erga religionem;* haec autem minus firmiter tenetur ad eum servandum, saltem quando non est sacris initiatus. Cfr. decr. *Auctis admodum.*

Egressus eius qui invalida fecerit vota.

10. *De votis invalide factis.* a) Nisi causa omnibus perspicua fuerit, ut v. gr. defectus aetatis, obstabit scandali ratio quominus sine dimissoriis litteris discedat is cui persuasum est se nullis validis votis teneri.

Actionis iudiciariae nulla est forma praescripta.

b) Nulla ceterum, ex iure communi, est forma actionis praescripta ad agendum de valore vel nullitate istorum votorum. Satis itaque erit si procedatur sola facti veritate inspecta, data, ad cautelam, demissione ab Instituto. Si dubia fuerint vota, vel, consentiente religioso, defectus sanabitur, vel ipsi per dispensationem seu demissionem plerumque providebitur [3].

Ratihabitio

c) Vitium prorsus occultum, et in potestate vel voventis vel Superioris, potest occulta, immo interna voventis vel Superioris ratihabitione auferri. Aliud vitium vel iterata professione vel authentica sanatione erit tollendum. Nisi expresse aliter cavetur in iure Instituti proprio, legitime promulgato, nulla inest in votorum renovatione vis confirmandi invalida vota.

III. **Professio simplex in Institutis votorum simplicium**

A. **In Institutis quae pontificii sunt iuris**

Vota temporaria et perpetua.

220. 1. In institutis votorum simplicium, iis exceptis quae non habent nisi vota temporaria [4], vota distinguuntur *perpetua* et *temporaria* quibus via ad perpetua vota paratur.

De spatio per quod vota in tempus fiunt, variant Constitutiones. Sed, ex hodierna S. Sedis disciplina, post certum

---

[1] Ita S. Congreg. super statu Regularium, 16 ian. 1891. (T. 2, n. **67**, B, p. 358, ed. 2 vel 3).

[2] Plura de hac re ubi de voto Paupertatis.

[3] Cfr. Wernz, n. 673.

[4] Ite Puellae dictae a S. Vincentio a Paulo, quae vota tantum in annum nuncupant.

votorum temporariorum spatium, vel perpetua est concedenda seu facienda professio, vel dimittendus est subditus. Votorum temporariorum prorogatio est a S. Sede obtinenda.

Recentes Normae S. C. Ep. et Regul. statuunt vota spatio trium annorum non fieri nisi in annum, quo spatio absoluto, vel vota fiunt perpetua vel ex iure proprio Instituti altera triennalis fit probatio votorum, sive annualium, sive triennalium. Ultra sex annos a finita probatione perpetua professio non est differenda (*Normae*, art. 103 et 104).

2. Vota ista, etiam temporaria, sunt S. Sedi reservata C. *Conditae*. *Reservantur S. Sedi.*

3. Quinam et quomodo novicios ad vota facienda admittant, id Constitutionibus singulorum Institutorum definitur. Ad Praesides autem Instituti non ad Episcopos provinc a ista demandatur. C. *Conditae* n. 1 alterius partis. *Cooptatio.*

In Italia tamen et insulis adiacentibus, debet, pro prima saltem votorum nuncupatione, institui, *apud viros*, scrutinium examinatorum provincialium, quod Superioris generalis auctoritate est confirmandum. Cfr. Decr. *Regulari disciplinae*, t. 2, n. **34**, p. 293, 294. *Ius proprium Italiae.*

Obligationem istius scrutinii non ultra primam nuncupationem per se extendimus, quia in ea decreti parte agitur *de admittendis noviciis* ad professionem. Novicii autem non sunt, qui temporaria vota nova nuncupatione confirmant.

4. Regulariter, absoluto *noviciatus* spatio, vota differri nequeunt. Quaenam tamen dilatio ob iustam causam permittatur, id ex Constitutionibus est eruendum. Recentes Normae, art. 75, facultatem prorogandi noviciatum tribus mensibus circumscribunt, a Superiore generali non sine iusta causa et voto deliberativo Consilii generalis exercendam. *Votorum dilatio.*

Elapso autem spatio votorum temporariorum, religiosus qui dignus reperiatur vota perpetua emittere debet; sin minus, est dimittendus.

5. a) Per vota *perpetua*, non autem per temporaria, religiosus vere Instituto suo incardinatur, ita ut in Instituto similis sit condicionis ac iuris quo sollemniter professus in Ordine regulari. Quocirca, perpetuis factis votis, per se vacant beneficia ecclesiastica residentialia. *Vis votorum.*

b) Vota tamen *temporaria* quoddam ius tribuunt manendi in Instituto, ita ut dimissio religiosi votorum temporariorum iustam postulet causam, qualis non est infirma valetudo quae post vota sit contracta, vel probe nota Superiori qui primam nuncupationem votorum permiserit. Cfr. dicta t. 2, n. **99**, p. 150, 151. *Dimissio ex Instituto.*

De iure autem dimittendi professos votorum temporariorum et de vi dimissionis adeundae sunt variae Constitutiones. Recentes *Normae* dimissionem permittunt Superiori generali

ob graves causas, a maiore parte suffragiorum Consilii generalis approbandas. Hac autem dimissione vota per se non tolluntur, sed dispensatio super votis est praeterea a S. Congregatione petenda.

Plura cfr. ubi de discessu religiosorum.

Ratihabitio professionis invalida.

6. De votis invalidis atque eorum ratihabitione recurrunt dicta supra, n. **219**, 10.

Quid si, solutis aliis votis, firmatur votum castitatis.

221. *Quaeres de voto castitatis* quod, dum relaxantur vota paupertatis et oboedientiae, S. Congregatio non raro vult esse intactum.

Ratio huiusmodi responsionis.

R. Nixa, ut videtur, antiqua praesumptione, qua ille qui professionem fecerat ex iure positivo nullam, putabatur ita dispositus et affectus fuisse ut, praesertim quod ad castitatem, se obligaret quantum posset, solebat [1] S. Sedes religioso qui dispensationem peteret a votis suis, paupertatis quidem et oboedientiae vota auferre, simul tamen firmum servare castitatis votum. Hoc dein plerumque non dispensabat, nisi ad contrahendum matrimonium eiusque usum.

Vis istius responsionis.

Age porro, sic concessa dispensatio :

Negativa.

1. Imprimis hoc prodit : positivam S. Sedis gratiam ad votum castitatis nullatenus porrigi.

Positiva fori exterioris.

2. Obligat ut in foro *exteriore*, *regulariter* saltem, haec iuris praesumptio servetur, ita ut matrimoninm censeatur impeditum nec contrahatur sine venia S. Sedis quae, manus apponendo, hanc causam sibi reservasse videtur.

Regulariter.

Regulariter, inquam, quia benignius forsan respondendum sit, secluso omni scandalo et offensione Ecclesiae, si in foro interno constiterit nullam superesse obligationem voti. Cfr. de causa simili Suarez, *De Religione*, tr. VII, l. 7, c. 2, n. 16.

Quid in foro interiore.

3. In foro autem *interiore* non videtur novam quandam voti obligationem creare, sed intactam linquere eam quae per se subsistat post sublata duo alia vota.

Iam vero si castitatis votum, ut plerumque hodie fieri satis in comperto est, non est absoluta intentione factum, sed tantum ut aliis votis coniunctum vel ut pars vitae istius religiosae quae sola directe intendebatur, videtur, suppressis aliis votis, vel suppressa vita religiosa, cum sua condicione corruere. Et profecto huiusmodi votum, si quod remanserit, non est speciali reservationi obnoxium.

Unde, *in isto interno foro,* vel *constat* castitatem non esse promissam nisi ut coniunctam cum vita religiosa, et tunc quilibet confessarius, qui saltem in vota non reservata potestatem habeat, poterit onus istud, quatenus opus sit, sua dispensatione auferre.

---

[1] *Solebat*, inquam. Nuperrime enim potius alia inducta est disciplina, qua tria auferuntur vota et votum castitatis a dispensatione non excipitur nisi iis qui intentionem istud servandi positive declarent.

Vel istud *non constat*, et tunc observanda est iuris praesumptio qua votum subsistere censetur. Votum tunc si fuerit *perpetuum*, est reservatum S. Sedi, communi tamen illa reservatione quam plura Indulta, v. gr. Episcopis concessa, auferre consueverunt.

Confirmamur responso S. Officii, 2 aug. 1876 (t. 2, n. **116**, p. 431, ed. 2 vel 3), et responso S. Congr. Episcoporum et Regularium, de quo in nostro t. 2, n. **67**, p. 141. Cfr. etiam ratiocinium Suarez, *De Religione*, tr. VII, l. 7, c. 2, n. 15 et MONITORE ECCLESIASTICO, t. X, p. 1 (1897), p. 270.

B. **In Institutis episcopalis iuris**

Vota Instituti episcopalis.

222. In Congregationibus dioecesanis, spectat ad Episcopum regimen votorum ordinare et modum definire cooptandi professos. Cfr. C. *Conditae*, c. 1, n. 7. Modum autem quem probaverit, iam temere neglegere non potest, ne ius quaesitum laedat.

Eorum dispensatio.

Dispensatio votorum ad Episcopum spectat loci ubi degit religiosus dispensandus. Excipe votum castitatis perpetuum, si quod affectu absoluto fuerit emissum. Tale enim S. Sedi reservatur. Quare Indulto peculiari opus est ad dispensandum.

§ 4. *De votorum renovatione*

Duplex species renovationis.

223. 1. Duplex specie distinguitur votorum renovatio : altera, qua elapso priore spatio denuo fiunt temporaria vota, altera, qua permanentis obligationis iteratur expressio.

Prioris tempus, vis, forma.

2. Prior *iuridica* est et ex *Normis*, art. 106, praecipitur incunctanter facienda. Nulla tamen subest causa cur dubites de valore professionis factae post intervallum [1]. Facienda praeterea est *palam*, h. e. ita ut de ea in foro exteriore constare possit, et, non secus ac prima nuncupatio, est in proprias tabulas referenda.

Alterius tempus, vis.

3. Altera fit *ex devotione*, quotiens Instituto placuerit, etiam pluries in anno.

Nullos per se parit effectus, ita ut nec per eam invalida professio rata habeatur [2].

Ius Soc. Iesu.

Si tamen accesserit legitime facta et satis promulgata declaratio, ut quod ad Scholasticos Societatis Iesu, genus

---

[1] Nec obstant sanationes votorum dilatorum, quae quidem conceduntur, quamvis satius fuerit easdem non petiisse. In t. 2, n. **65**, p. 141, rationem explicamus qua ab omnibus, statuto sollemniore die, simul fieri possit.

[2] Ita pluries est a S. Congregatione definitum. Cfr. FERRARIS, *Bibliotheca canonica*, v. *Regularis professio*, n. 109.

quoddam est *expressae* ratihabitionis quod plane sufficere potest. Cfr. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 66.

Ritus.

4. De ista « *devotionali* » sermo est in S. Rituum Congregationis generali decreto, 14-27 aug. 1894, quo, revocatis decretis superioribus, hanc permisit *inter Missam* adhiberi methodum : « Celebrans ad altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine SS. Corpus Domini accipient. » Prius autem quam recitent, celebrans iam dixit verba quae dici consueverunt ante fidelium communionem.

Nihilo minus etiam ad priorem seu iteratam professionem aptari potest, dummodo tamen tunc singuli ex ordine formulam recitent. Dum omnes simul, quando multi sunt qui ex devotione vota sunt renovaturi, secundum dictum Decretum, uno praeeunte, formulam proferunt.

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSI PROFESSI

Religiosus hodie profitetur *statum perfectionis, per vota, secundum regulam.*

Quare dicendum erit de obligatione quae oritur reduplicative ex suscepto statu, ex votis, ex regula.

ARTICULUS I. De Obligatione sectandi perfectionem [1]

S. Thomas, 2, 2, q. 186, art. 1. 2. 10 ; *Passerini, De Hominum Statibus*, in q. 186, art. 2 et art. 10 ; *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 2, c. 1, n. 4 ; et tr. 8, l. 1, c. 4, n. 10. 11 ; *Sanchez, In Decalogum*, l. 6, c. 5 ; *Pellizarius, Manuale Regularium*, tr. 3, c. 6, n. 44-48 et tr. 5, c. 1 ; *Biederlack, De iure regularium*, n. 68 ; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, I, p. 230; *Palmieri, Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 83 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc. t. I. p. 228-231. *Wernz, Ius decretalium*, t. 3, n. 648 ; *Bastien, Directoire canonique* n. 187-190.

Difficultas argumenti.

224. Cum pauca in hac re constare videantur, parce simul et caute, et, pro viribus, perspicue videtur de hoc argumento dicendum.

Obligationis fundamentum et ratio.

Dum communi ore scriptores obligationem affirmant, qua religiosi astringantur *sectanda perfectione*, his verbis describunt quo potissimum spectet, pro religiosis, obligatio explendi officia status sui, quae ipsa naturae lege omni homini incum-

[1] Cfr. Supplementum VI.

bit. Qui status cum, praesenti iure, professionem imponat sive perpetuam, sive saltem per aliquod temporis spatium firmam, etiam quandam continet obligationem perseverantiae.

Est gravis.

Porro obligatio ista per se *gravis* est, cum. ad privatum animae propriae et proximorum bonum et publicum Ecclesiae nomen, plurimum referat statum religiosum genuinum ac purum consistere.

Formaliter specialis.

Perspecta eius *causa*, perspicitur esse *formaliter specialis*. Ex peculiari enim fonte manat ; i. e. ex morali necessitate servandi sui status officia ; atque ut modo est demonstratum, *virtute religionis regitur*, quia fine religioso status iste suscipitur. Praeterea, etiamsi nulla essent vota, tamen exsisteret, quamvis tunc minus perspicue definita.

Ex religione.

Opinio quae specie tenus videtur contraria.

Verbis potius quam re a nobis dissentire videntur quidam, qui obligationem esse *specialem* negent. Namque ipsi *proprias* dein culpas contra istam obligationem adesse fatentur [1]. Quare potius *materiam* esse specialem negant, quatenus dicunt, non alia ex statu suo Religiosos *positiva* teneri obligatione quam servandi quae Deo et Instituto sunt promissa. Id ultro concedimus ; immo non quaevis votorum violatio huic obligationi adversatur. Et ratio est, quia vota religiosa sufficientem et definitum modum continent, quo religiosus statum suum suscipit, seu perfectionem profitetur, et quia accidentalis casus habitualem professionem non impedit.

Quid positive *postulatur*,

Itaque praesens obligatio his paucis verbis videtur *positive* et *negative* declarari posse :

Positive est obligatio *sectandi habitualiter perfectionem per media quae de se sint apta, et quae, ut talia, diserte promittuntur adhibenda.*

Negative *prohibeatur.*

Negative vetat contemptum perfectionis, formalem seu aequivalentem status desertionem illegitimam, et habitualem dispositionem studio perfectionis contrariam.

Peccata gravia contraria.

225. Graviter peccat, ut huius obligationis violator :

1. Qui perfectionem contemnit, ita ut *positive* statuat se nolle perfectionem adipisci. S. Thom. 2, 2, q. 186, art. 2 ad 2 ; Sanchez, *in Decal.* l. 6, c. 5, n. 10. Contemptu enim isto graviter sanctitatis professioni derogat. Sed peccatum istud vix umquam committitur.

2. Qui conscius in *habituali dispositione* versatur violandi *vota* seu alia *praecepta gravia*. Huiusmodi enim dispositio conatum ad sanctitatem excludit.

Singula *peccata* huic obligationi non adversantur, quia religiosus status non exigit sanctitatem sed conatum ad sanctitatem. Cfr. Lehmkuhl, t. 1, n. 517. Immo etiam si frequentia fuerint, ex speciali fragilitate oriri possunt et statim retractari, ita ut nullam pariant habitualem dispositionem

[1] Cfr. v. gr. PIAT, t. 1, p. 230, vel BASTIEN, n. 189.

sanctitati contrariam. Sed speciali status obligatione prohibetur religiosus, sive ex quadam mortali desidia, sive ex obstinatione, luctae adversus peccata gravia habitualiter valedicere.

3. Qui ita contemnit regulam vel Superioris potestatem, ut virtualiter iugum istud exuat et profiteatur se hoc regimine solutum. Cfr. Lehmkuhl, ibid. Ratio est, quia status religiosus subiectionem dicit regulae et Superiori.

4. Qui ita perturbat disciplinam domesticam, ut se exponat gravi periculo eiectionis ante emissa vota. Laymann, l. 4, tr. 5, c. 9, n. 9. Ratio est quia contra perseverantiae obligationem. statum virtualiter abicit.

N. B. Itaque haec nova species erit in confessione declaranda. Dum, contra, qui in saeculo tria fecerit vota, debito isto est immunis nec novi peccati est reus, si v. gr. habitualiter velit in blasphemias erumpere. Eo tamen quod paenitens sit notus ut religiosus, malitia ista satis confessario declaratur revelato animae statu.

Peccata levia contraria.

226. Venialiter sui status obligationem violare videtur religiosus, qui conscius habitualem servat dispositionem committendi certa peccata venialia, vel intendit vota habitualiter tantum servare, quandoque neglegere, vel ea tantum intendit servare quae sub gravi obligant et statuit ea neglegere quae levem habent obligationem. Non desunt qui illud gravis arguant reatus. Ita Sanchez, l. c. n. 7. Non constat tamen religiosum sic *graviter* derogare vitae regulari quam profitetur, et etiam tum per essentialia status intendere potest perfectionem. Cfr. S. Alphonsum, l. 4 (5), n. 11 ; Palmieri, l. c. n. 95.

Varii casus.

227. Nec peccat per se in hac re :

1. Qui actu non est perfectus, quantumvis provectae sit aetatis : conatus enim, non perfectio, ipsi est obligatio status. Et ex Ecclesiae declaratione, media Instituti approbati per se satis sunt ad sanctitatem comparandam.

2. Qui non tendit ad perfectionem per alia media quam quae regulis proprii Ordinis continentur. Non enim plus vovit. Palmieri, n. 94.

3. Qui transgreditur regulam sub nulla culpa obligantem ; vel etiam qui, seclusa deliberata consuetudine, aliquo se veniali inquinat peccato, vel adeo ex fragilitate mortaliter labitur.

An peccata religiosi sint per se graviora ac viri saecularis ?

Quare si de *obiectiva* et *intrinseca* ratione peccati sit sermo, *singula* peccata non sunt *per* se graviora in religioso quam in persona saeculari. Si eorum nocumentum perpendamus, potius minus nocent Religioso, quippe qui facilius resurgat et multis operibus bonis venialia quasi resorbeat. Cfr. S. Thomam, 2, 2, q. 186, art. 10 ; Palmieri, l. c. n. 88.

ARTICULUS II. **De Obligatione servandi regulam**

S. Thomas, 2, 2, q. 186, art. 9; *Passerini, De hominum statibus*, t. 1, q. 186, art. 9, p. 754-778; *Suarez, De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 1-4; *Sanchez, In Decalogum*, l. 6, c. 4; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 1, tr. 1, c. 1, § 5; *Pellizarius, Manuale Regularium*, tr. 5, c. 2; *Mélot. De Ordinibus et Congregat.* n. 43. 52. 53; *Biederlack, De iure regularium*, n. 69; *Piat, Praelectiones iur. reg.* p. 3, c. 1, art. 2, q. 6 et 7, p. 232, 233; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc. I, p. 440, sqq; *Palmieri, Opus theologicum*, tr. 9, c. 1, n. 83, sqq.; *Wernz, Ius Decretalium*, n. 655. III; *Bastien, Directoire canonique*, n. 191, 192.

§ 1. *De Obligatione quae per se inest in Regula*

Vera regulae ratio.

228. Regula, ut supra dicebamus, n. **87,** est norma vivendi secundum perfectionem evangelicam, religiosis imposita ut communiter et efficaciter ad finem suae religionis tendant.

Hodierna porro disciplina, non est, contra atque in initiis, v. gr. regula S. Basilii, S. Benedicti, etc. mera informatio doctrinalis ad perfectionem; nec mere tenet religiosos nexu mutuae pactionis, sed a *iurisdictionis* potestate proficiscitur, ita ut regularis ipsi subdatur tamquam *legi*. Iurisdictio autem illa, vel ea est quam in hunc finem Ordini tribuit S. Pontifex, vel qua ipse aut Episcopus confirmat regulam ab Instituto propositam.

Varia ratio requisitae obligationis.

229. 1. Regula itaque *numquam* hodie *tota* continetur consilio. Quare opus est ut aliquam pariat obligationem. Haec autem, pro voluntate legislatoris et materiae capacitate, gravior vel levior esse potest.

2. Porro hi *varii* sunt *gradus:*

Obligatio respondens materiae.

a) Fieri potest ut *ad materiam accommodetur* regulae obligatio; atque haec sub letali praecipiat in re gravi, sub levi in reliquis. Ita apud Fratres Minores plures saltem articuli obligant sub peccato gravi, alii sub levi. Cfr. Piat, *Praelectiones iur. reg. ad usum F. M. Cap.* t. 1, p. 210 sqq. [1]

Venialis,

b) Quandoque regula *venialem* in universum imponit obligationem. v. gr. in Ordine PP. Carmelitarum. Cfr. Angelum a SS. Corde, l. c. n. 504, ex Const. p. 1, c. 1, n. 4.

Per modum legis poenalis.

c) Plures nunc religiones excludunt etiam obligationem venialem. Exemplo sint Religio FF. Praedicatorum [2] et

---

1 Constitutiones autem quae ad regulam accedunt, non videntur per se sub peccato obligare.

2 S. Thom. 2, 2. q. 186, art. 9 ad 1.

Societas Iesu [1], atque etiam. ut videtur, Ordo S. Benedicti. Cfr. Schmier. l. c. n. 352 sqq.

Huc tunc spectat obligatio. ut admittatur poena : sive haec sub veniali reatu subdito *positive* imponatur ferenda aut danda; sive reo nulla sub peccato praecipiatur positiva poenae exsecutio.

Neuter enim modus repugnat.

Qualis sit obligatio per se.

Porro, ubi neque ex scripto legis neque ex usu aliud colligitur, existimat Suarez regulae obligationem esse *venialem*. *De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 3, n. 8.

N. B. 1. Haec referuntur ad eas regulae partes quae vera continent statuta nec ipsa declarant vota. Namque plura consilia, adhortationes, praeceptis misceri consueverunt. In materia autem votorum, regula definit quid *ex voto* agendum sit Religioso.

2. Articuli quibus mere confirmantur praecepta Dei vel Ecclesiae, praesumuntur (nisi contrarium constet) nullam novam addere obligationem. Sanchez *in Decal.* l. 6, c. 4, n. 6 ; Mélot, n. 53.

Peccati species.

230. Statim ac violatio *per se* inducit conscientiae obligationem, moralis ista necessitas in alia materia ad aliam virtutem est referenda. Regula enim pro lege [2] est habenda. Quare omissio praecepti de ieiunio adversabitur temperantiae, religioni vero neglegentia psalmorum.

Quomodo regula poenalis differat a consilio.

231. Quaeres de regula quae per se non imponitur sub peccato, quomodo differat *a consilio*.

1. Presse dictum discrimen repetendum est ab aliqua necessitate conscientiae, quam inferat regula, non autem consilium. Quae necessitas erit saltem patiendi reprehensiones et poenam quae positive inferantur, ita ut nefas sit resistere ei a quo plecteris, etsi forte ad aliquid ultro faciendum astringi nequeas [3]. Contra, omissio consilii non est aliquid poena dignum. Cfr. Passerini, in h. art. n. 44. Paulo aliter Sanchez *in Decal.* l. 6, c. 4, n. 11 et 12.

2. Hinc fit ut Religiosus se profiteri debeat regulae subditum eo modo quo consiliis sequendis non est obnoxius.

3. Actio praeterea quae ex regula praescribitur, potest a praelato praecipi sub peccato, ita ut per regulam veluti inchoatio quaedam habeatur praecepti strictius accepti.

4. Cum actione ista conectitur gratia ac meritum, non eo tantum quod melior videatur actione opposita, vel quod honestum

---

[1] Suarez, *De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 2, n. 14.

[2] Cfr. *Quaestiones de Iustitia*, n. **50**.

[3] Quod si dicas poenam proprie non esse nisi prius fuerit culpa, responderi potest regulam istam intellegi posse ut praecipientem, vero praecepto sed alternata condicione, patientiam molestiae illius instar poenae, nisi malueris ultro regulae obtemperare.

sit morem gerere prudentioris consilio, sed etiam eo quod est a legitima potestate imperata. Hanc qui praetermittit, imperfectionem committit positivam, quatenus caret gratia qua ex speciali Dei consilio erat ornandus.

Quare etiam in huiusmodi regulis distingui possunt ea quae praescribuntur, et consilia cum adhortationibus.

§ 2. *De Obligatione quae per accidens accedit*

De accidentali obligatione subditorum.

232. I. **In subditis.** Convenit inter scriptores. non unam esse causam ob quam violatio regulae quae per se non obligat, sub peccato inferat labem saltem venialem [1]. Immo plures sunt qui affirmant rem raro omni vacare culpa. Ita v. gr. Suarez, *De Religione,* t. 8, l. 1, c. 3, n. 11-13 ; Laymann l. 4, tr. 5, c. 9, n. 8. 9 ; Ballerini, *Opus theol.* [2] tr. 3, c. 1, n. 106 ; Piat, *Praelect, iur. reg.* 1, p. 233.

Ob duplicem regulae notam.

Quod ut melius assequaris, fac advertas. hinc quidem ordinem rationis eo usque a Deo sanciri, ut nihil sit a ratione dissidens, quin pari passu a lege deflectat divina ; illinc vero in regula duplicem inesse rationem. Namque est *lex* quaedam a positiva iurisdictionis potestate lata, et simul est quaedam *regularis vitae apta ordinatio.*

Ob contemptum.

Iam vero *legis* non est maior obligatio quam quae imperantis nutu indicitur. Quocirca, ex hoc capite, violatio etiam deliberata regulae non obligantis sub peccato non infert reatum culpae, nisi accedat *formalis contemptus*, qui, si universam respiciat regulam qua velis te quasi solutum profiteri, erit *mortalis* superbia ; *venialis* contra erit, si cadat in unam vel alteram regulam quam minoris facias, vel cuius, ex aliqua *vanitate,* repudies indicationem. Sub peccato enim vetatur ne contemnatur lex.

Varia exempla violationis apertae,

Si vero consideres eam ut *ad Instituti finem accommodatam ordinationem :*

1. Saepe, ne dicam plerumque, mere declarat hunc conversandi modum quem *exigit professio religiosa.* Huic decori per se vetitum est deesse.

Huc referri potest ipsa lex de silentio servando. Profecto, nemo negabit aliquam silentii disciplinam religiosis studiis omnino requiri. Quamnam autem, id habemus ex regula. Hanc ergo si neglegas, vix aberit culpa.

2. Atque ipsae res *indifferentes,* quae regula proponuntur,

---

[1] Cfr. v. gr. S. Thomam 2, 2. q. 186, art. 9 ad 1 ' Passerini, l. c. n. 46 ; Sanchez l. 6, c. 4, n. 15 ; Pellizarium, *Manuale,* tr. 5, c. 2, n. 46 ; Palmieri, *opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 85 ;

[2] « Monent tamen, sic ipse, vix aut ne vix quidem culpam aliquam abesse. Aberit culpta, cum subditus utitur epikeia. »

reapse evadunt positive bonae, et pars iam sunt istius regularis observantiae quae, si bene custodiatur, tantopere refert ad pacem, caritatem et aedificationem mutuam, nec potest parvipendi quin de bono communi detrahatur. Age vero, qui, sine *speciali* ratione, has ordinationes transgreditur, id agit unde huius observantiae minor fiat aestimatio atque usus. Rursus autem naturali lege prohibemur detrimentum afferre bono communi. Quid, quod iam paternae domus disciplina filiisfamilias dicitur servanda ?

Hactenus de violatione quae sit *apparens*.

occultae. 3. Etiam si *solus* et *clam* feceris, regulae exsecutio est obiectum boni *propositi* quod frequenter renovatur. Iam vero, ob levem causam bonum deserere propositum venialis arguitur inconstantiae [1]. Immo, nonne ea saltem observatio, quae est bonorum religiosorum, tacite est promissa in ipso ingressu ? Nonne eiceretur novicius cuius patefieret animus de hac via piorum decedendi ?

4. Non ita raro denique *affectu peccaminoso* nimiae curiositatis, humani respectus, socordiae, vanitatis, impellitur religiosus ad omittendam regulam.

Altera doctrinae propositio. Eandem ferme doctrinam tuearis, si dixeris saepe in hac re peccari :

1. Ex *interno* operantis *affectu*, i. e. si « facias ex *neglegentia*, vel *libidine*, seu *contemptu*. » S. Thomas, l. c.

a) *Ex neglegentia*, si ex nulla alia causa quam cuiuspiam torporis seu desidiae regulam rumpas. Rationi enim non congruit huiusmodi inertiae se dare.

b) *Ex libidine*, i. e. ex cupiditate *nimia* alicuius rei, utputa suffragii aliorum (respectu humano), sciendi nova.

c) *Ex contemptu formali* i. e. si, *quia* minoris facis regulam, ideo eam neglegas. *Materialis* enim contemptus omni violatione continetur. Porro violatio ex contemptu est gravior, immo *mortalis superbia*, si ideo facias quia nolis *regulae in universum* subesse [2]. Veniale erit, si v. gr. quadam pertinacia iudicii nonnullas regulas facias minoris quam oportet, aut ex quadam vana gloria in certis casibus velis apparere solutus.

2. *Ex consectariis*. a) Ob *scandalum*, quando v. gr. facto tuo inducas violationes *peccaminosas* aut voluntatem eas patrandi.

b) Ob *turbatum ordinem domesticum*, relaxatam inde disciplinam. Haec enim sunt detrimenta non levia, communi bono contraria, quae religiosus tum caritate tum tacita pactione cum Instituto inferre prohibetur. Immo Laymann, l. c. (*De Statu reli-*

---

[1] Cfr. C. de Lugo, *De iustitia et iure*, d. 23, n. 1.

[2] De hoc contemptu, cfr. Sanchez, *in Decalogum*, l. 1, c. 5, n. 8-13; l. 6, c. 4, n. 15. 16; Gregor. de Valentia, t. 3, d. 10, q. 4, p. 5; Pellizarium, *Manuale*, tr. 4, c. 4, n. 151 sqq.

gioso, c. 9, n. 9) et S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 10, probant haec gravia verba Sanchez, *in Decal.* l. 6, c. 4, n. 18 : « Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere ut non sit graviter suae religioni perniciosus, inducendo alios suo pravo exemplo ad nimis relaxandam regulam, ut esset, si nollet umquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere et ingrederetur omnium religiosorum cubicula et similia religionis statuta transgrederetur. »

Violationes quae culpa vacent.

233. Quaeres quandonam regulae sub peccato non obligantis violatio careat *omni culpa ?*

1. Solent scriptores parce scribere de illa re. Cuius modestiae hanc arbitramur esse causam, quod regula definit in particulari modos se gerendi quos noveris Deo acceptos esse et plerumque iam per se decere, ita ut diversa agendi ratio iam facile sit minus congrua ; et quod etiam in communi observantia inest bonum non mediocre, valde ad perfectam caritatem conferens religionique promissum, cui sine potiore ratione aliquid detrahere videtur nefas.

Quare, ut prius *negative* dicamus, ratio quaelibet agendi, quae, extra religionem, honestam faceret actionem, non satis est ad bonam moralitatem actus qui adversetur regulae. Adiunctum enim regulae penitus posthaberi non potest.

2. Ballerini [1] hanc brevem tradit formulam : « Aberit culpa, cum subditus utitur epikeia. » Laymann exemplum dat : « Si extra tempora cum socio loquaris ut maestum consoleris [2]. » Atque haec sunt exempla. In universum autem dicemus non peccare eum qui rem agat obiective indifferentem, ex bono fine et sine detrimento boni communis. Quod facilius habebitur, si violatio sit occulta nec socium postulet. Non autem obstat finem istum esse minus meritorium quam fuisset regulae observatio. Oportet tamen, addit Laymann ibidem, ut paratus sis sustinere poenam si qua exigatur.

An ob regulam multiplicentur peccata ?

234. Quaeres *utrum necne ob regulam multiplicentur peccata ?*

1. Adaequate rem consideranti id est negandum, cum potius regulae tribuendum sit multas peccandi occasiones a Religiosis amoveri.

Non simpliciter et per se ;

2. Regula quae novas imponit obligationes, *per accidens* occasio esse potest culparum, quod tamen incommodum multis bonis compensatur.

Interdum per accidens.

Vel indirecte.

3. Regula autem quae sub nulla obligat culpa, nullam materiam novam facit necessariam Quare actio numquam est peccatum quia violatio sit regulae, ita ut *per se* et *directe* nullatenus per huiusmodi regulam peccata fiant frequentiora.

Nihilo minus *indirecte* possunt exinde augeri peccata *gravitate* et *numero*. *Gravitate* inquam, quia regula *lumen* est quo

---

[1] *Opus theol. De Legibus*, tr. 3, c. 1, n. 106.

[2] L. 4, tr. 5, c. 9, n 8.

religiosus magis in particulari perspicit quid honestati sit consentaneum [1] ; *numero*, quia actus regula praescriptus iam non est indifferens, sed positive bonus et meritorius : in quo neglegendo facile surrepit quaedam ratio acediae.

De accidentali obligatione Praelati.

235. II. **In Praelato.** Vigor regulae vel remissio plurimum conferunt ad commune bonum vel damnum. Illi consulere, hoc avertere debet praelatus ex officio. Quare notabilis neglegentia in permittendis defectibus subditorum — ut si, quamvis leves, plures tamen sint, et huiusmodi qui disciplinam notabiliter relaxare valeant — in ipso est gravis culpa. Quocirca etiam ex officio in huiusmodi defectus inquirere debet. Ipsa tamen boni communis ratio expostulat, ut plura noverit prudenter dissimulare vel in aptius tempus corrigenda reservare. Cfr. Piat, 1. p. 233, afferens scriptores ; Lehmkuhl, 1. 518.

PARERGON. De Regulae interpretatione

Quid proprie interpretatio.

236. 1. Interpretationem hic intellegimus non nudam verborum declarationem, sed penitiorem indagationem qua, ex varia consideratione mentis legislatoris, rei difficultatis, etc., ipsa vis legis apte circumscribitur et pluribus exceptionibus temperatur. Quod genus interpretandi pluribus erroribus dat ansam ipsique legis efficaciae non exiguum potest afferre detrimentum. Quare quo melius subducatur lex privatorum arbitrio, non raro solitum est caveri ne fierent huiusmodi glossae. Atque ita etiam religiosi ad quos ex officio non pertinet declarare statuta, interdum prohibentur ne interpretatione quae a littera recedat proprias Constitutiones et regulas extenuare videantur.

Quaenam saepe vetita.

Prudens regulae interpretatio.

2. Quod sapienter esse factum facile apparebit consideranti quam caute huc sint transferenda quae de legibus in universum interpretandis traduntur in disciplina morali, non quod principia adhibenda sint diversa, sed quia ad aliam materiam sunt transferenda.

Suprema enim interpretationis norma efflorescere debet ex iusta aestimatione boni communis, ad quod omnis lex ex mente legislatoris est dirigenda. Quare, pro falsa et adulterina habenda est omnis regularum interpretatio quae Religionis incolumitati vel bono adversetur. Iam vero, nisi prius sedulo illud cognoveris, quousque, attentis rationibus, communia artis interpretandi praecepta ad hoc peculiare legum genus conveniant, saepe eas proferes conclusiones quae religiosam disciplinam non parum labefactent.

Quomodo a communi lege differat indoles regulae.

---

[1] Cfr. quae Apostolus de lege antiqua dicebat (*ad Rom.* 7, 7).

3. Operae igitur pretium erit, nonnullis illustrare exemplis quae sit distinctio legum in universum et regularum.

Quia magis specialis.

a) Quae leges ad bonum commune totius reipublicae diriguntur, non raro alicui personarum ordini parum sunt utiles, ne dicam minus opportunae. Quo vero magis sunt speciales, eo magis referri possunt ad ipsum eorum bonum quibus sunt norma agendi. Regula porro tota quanta dirigitur ad spirituale uniuscuiusque Instituti bonum ; estque, ut rationabilis fert praesumptio, ad eius propriam rationem, immo ad indolem sodalium, quippe qui magno delectu asciscantur idonei et dein ad hanc rationem informentur, maxime accommodata. Quare iam ex hoc capite causa regularum est magis « favorabilis » quam causa legum in universum, ita ut facilius pro regula quam pro lege sit respondendum.

Directa ad studiosos perfectionis.

b) Religiosi, vi professionis suae, student perfectae oboedientiae, qua, ipsa praevertentes iussa, Superiorum potius quam propriam sectantur voluntatem. Hanc ergo Superiorum mentem per regulas in multis significatam habere, bonos religiosos per se magis iuvat quam ipsis est grave. Non ita ergo, ut cum agitur de saecularibus, favendum est libertati eorum qui, ingenitam abdicantes libertatem, propria electione et Christi causa facti sunt alieni iuris.

c) Ab iis qui, Deo confisi, heroicam vitam profitentur, tantum accipi incommodum ut ipsos a legis necessitate solvat, difficilius iudicari potest.

De consuetudine contra regulam.

d) Usus et consuetudines regulis contraria magis sunt suspecta et saepius reicienda tamquam corruptelae, tum quia regulae magis in particulari prosunt ad spirituale religiosorum incrementum, tum quia humanum bonum, quo altius est, eo magis ex multis est concretum, quorum si unum demas, periculum est ne ipsa boni ratio substantialis deficiat et pessumdetur.

ARTICULUS III **De Obligatione Votorum**

§ 1. *De Voto Paupertatis* [1]

S. Thomas, 2, 2, q. 184, art. 3 ; q. 185, art. 6, ad 1 ; q. 186, art. 3 et 7 ; q. 188, art. 7, c. ; *Passerini, De Hominum Statibus*, t. 1 in q. 186, art. 7, p. 519, sqq. ; *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 8 ; *Sanchez, in Decalogum*, l. 7, potissimum c. 18-21 ; *Laymann, Theol. mor.* l. 4, tr. 5, c. 7 ; *Lessius*, l. 2, c. 41, n. 79-94, et c. 4, d. 5 ; *C. de Lugo, De Iustitia et Iure*, d. 3, s. 4 et sqq. ; *Pellizarius, Manuale Regularium*, tr. 4, c. 2 et tr. 6, c. 9 et c. 14, n. 36-39 ; *De Monialibus*, c. 4, s. 1 ;

[1] Cfr. in altero tomo, supplementum VI.

Reiffenstuel, in l. 3, t. 35 n. 1-25, *Schmalzgrueber*, ibid., n. 1-40; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 1, p. 289; *Rotarius, Theologia moralis Regularium*, t. 2, l. 3; *Bouix, De Iure Regularium*, t. 1, p. 1, s. 3, c. 3, p. 86 sqq; t. 2, p. 536-566; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 36-39; *Biederlack, De iure regularium*, n. 47-56; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 239-269; *Angelus a SS. Corde Iesu, Manuale iuris communis regularium*, etc., n. 250-336; *Palmieri, Opus theologicum*, tr. 9, c. 1, n. 101-157; *De Buck, Epistula de sollemnitate votorum*; *Battandier, Guide canonique*, etc., n. 123-131; *Wernz, Ius decretalium*, t. 3, n. 650; *Bastien, Directoire canonique*, p. 234-251.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 363-378.

I. Notio et Gradus Paupertatis religiosae

Descriptio generalis.

237. Votum paupertatis, in universum, describi potest: *Promissio Deo facta de constante quadam repudiatione bonorum temporalium, propter sequelam Christi.* Quae descriptio iam demonstrat varios istius abiectionis seu paupertatis gradus.

Varii gradus: Ex temporis spatio.

238. 1. Ex *temporis spatio*, paupertas potest promitti in *perpetuum* vel *ad certum tempus* definiri. Ex ante disputatis, patet per perpetuam dumtaxat paupertatem quempiam stricte constitui in statu perfectionis, seu fieri posse proprie religiosum.

Ex modo cessionis,

2. Ex *modo seu genere cessionis*, potest abdicari tantum possessio privata vel etiam plus vel minus perfecte possessio communis. Ex exemplo plurimorum Ordinum religiosorum, plane constat possessionem communem non adversari essentiae status perfectionis. Post C. Tridentinum, s. 25, c. 3 *De Regularibus*, ut iam monuimus n. **49***, communem paupertatem profitentur tantum Fratres Minores (de observantia), Cappuccini, et Societas Iesu quod ad domos professas et residentias independentes.

Ex obiecto.

3. Ex *parte obiecti*, vel dimittuntur omnia bona temporalia et omne ius in ea, vel quaedam retinentur. Hac ratione tres distinguimus gradus:

a) Vovens abdicat dominium tam *utile* quam *radicale*, seu ius reale et usum independentem: sive actus quidam dominii simul sint invalidi, sive tantum illiciti;

b) Abdicat tantum *dominium utile*, seu usum independentem;

c) Retinet dominium et usum rei ut propriae, sed quodam modo *excludit superflua*: sive ultra certam quantitatem non possit habere bona, sive in proprios usus pauca tantum convertantur, et ceteri reditus in pia opera sint erogandi.

Ad essentiam sufficit.

239. Etsi perfectior est primus gradus, secundus tamen et tertius valent ad quempiam in statu perfectionis constituendum. Quod ita efficimus,

1. *De secundo gradu :* *Secundus gradus,*

a) *Ex documentis positivis.* S. Sedes enim definivit scholasticos S. I., qui hoc utuntur regimine, esse proprie Religiosos. Et cum recentius simile aliquid traductum sit in simpliciter professos Religionum, profecto noluit Ecclesia iis adimere statum perfectionis.

b) *Ex ratione.* Qui vovet hunc gradum non retinet nisi proprietatem ligatam, quae, quod ad licitum usum, est quasi non esset. Quare tollit a proprietate eam rationem qua est impedimentum : ius dico disponendi de rebus, propter quod ipsum dominium fit appetibile [1].

2. De *tertio gradu*, de quo maior esse potest dubitatio : *Vel tertius.*

a) *Ex ratione.* Qui pauca tantum in usum suum habet vel licite convertit, vere dicitur pauper. — Praeterea finis consilii paupertatis abunde obtinetur. Etenim, ut autumat S. Th. 2, 2, q. 188, art. 7, triplex impedimentum affert possessio bonorum : *amorem* divitiarum, *occasionem elationis* seu *vanae gloriae*, *sollicitudinem*. Iam per exclusionem *plurium* bonorum, satis mortificatur affectus ad ipsa bona, ut libere possit se animus ad Deum convertere. Etenim, tollendo abundantiam, satis per se amputatur *amor ;* ex copia tantum divitiarum et fastu habetur *occasio vanae gloriae*. Superest quidem moderata *sollicitudo*. Haec autem non obstat : cum tandem aliquando *omnis* sollicitudo de istis rebus abici nequeat ; aliquam enim parit necessaria providentia quae ordinato sui amore imperatur et pertinere potest ad caritatem. Ita procuratores rerum monasterii de via perfectionis minime decedere arbitratur S. Thomas, cum virtute caritatis regatur eorum provincia.

b) *Ex historia.* Nec in prima Ecclesiae aetate apparet aliam fuisse paupertatem monachorum et ipsorum Apostolorum [2] ; immo vix tum alia esse potuit. Cfr. ipsum Suarez, l. c. n. 10-13.

Neque obicias verba « Omnis qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus [3], » quippe quae iubeant *affectum* terrenis esse solutum potius quam ipsas dimitti res.

II. De varia disciplina paupertatis religiosae

240. Ex hodierna disciplina : *Notae communes.*

1. Omne votum paupertatis excludit quaedam *iura*. *Quaedam exclusio iurium et abundantiae.*

[1] Hac fere ratione Apostolus, *ad Gal.* 4, 1. 2, dominum qui sub tutoribus et actoribus sit nihil a servo differre dicit.

[2] Cfr. dicta ab Apostolo 1 *ad Timotheum*, 6, 8 : « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. »

[3] Apud S. Lucam, 14, 33.

Abdicatio fructuum industriae.

2. Facto voto, sive sollemni sive simplici in Instituto religioso [1], *fructus industriae personalis* pertinent non ad religiosum sed ad communitatem, ita ut ipsam laedat iustitiam religiosus qui harum rerum agat dominum.

3. Praeterea, saltem in Ordinibus ubi viget observantia, *abundantia rerum superfluarum* facto saltem religiosis negatur. Facto saltem, nam an etiam voto, id non constat perspicue.

Sane votum ita concipi potest ut non solo proprietatis vitio, seu usurpando abdicatum ius, sed etiam mera rerum superfluitate contra ipsum peccetur. Et sunt qui communem voti huius rationem hoc modo interpretantur. Etenim sic ipsi ratiocinantur : voluntaria paupertas paupertatis statum imprimis postulare videtur. Ita v. gr. Laymann, l. c. c. 7, n. 14 ; C. de Lugo, l. c. n. 183 ; S. Alphonsus, *Theol. mor.* l. 4, (5) n. 30; Ballerini ad Gury, t. 2, n. 155 ; Palmieri l. c. n. 120-154.

Existimat tamen Suarez, tr. 7, l. 8, c. 12, n. 10-13, hanc paupertatis rationem voto non contineri, nisi intentio voventis satis diserte huc referatur, aut per regulam vel statutum religionis id satis declaretur. Minime tamen negat id per accidens esse posse mortale, ob scandalum, etc.

Triplex genus voti paupertatis.

241. Quot vota sint genere distinguenda. Omissa Societate Iesu, quae in hac re iure peculiari, et quidem severiore, utitur, distinguenda sunt potissimum :

1. Votum paupertatis *sollemne ;*

2. Votum paupertatis *simplex* eorum qui *in Ordinibus religiosis* triennio simplicis professionis probantur ;

3. Votum paupertatis *simplex* in Instituto votorum simplicium.

Vis voti sollemnis ex iure communi.

242. I. Ex iure communi, **votum sollemne paupertatis :**

1. Afficit *omnia bona temporalia* seu universam materiam remotam paupertatis *omniaque iura in re ;*

2. Tollit ipsam *capacitatem* bona habendi et consequenter transferendi ;

3. Tribuit *monasterio* quae legato vel dono non minus quam quae industria, secluso voto, religioso professo obvenirent, secundum illud : *quicquid acquirit monachus, monasterio acquirit.*

4. Tribuit *monasterio*, si capax sit, ius adeundi hereditates in locum professi. Excipe, nisi legitimo pacto monasterium hoc suo cesserit iure, vel religiosus in sua renuntiatione iura sua legitime alteri tradiderit. Cfr. supra, n. **201-204.**

---

[1] De his non agimus Institutis quorum sodales nullo distincti habitu in saeculo degunt et quae, ut monuimus n. **73,** non approbantur tamquam *religiosa.*

Hereditatis capax non est Ordo Fratrum Minorum, Fratrum Min. Cappuccinorum, Societas Iesu professa.

243. De iure S. Pontificis, quo hos effectus ex toto vel ex parte a sollemni paupertatis voto valeat separare, hodie ambigi nequit.

Ius speciale Belgii et Neerlandiae.

Hoc porro iure usus est adversus *regnum Belgii*, quod tunc temporis etiam partes *Hollandiae* continebat [1]. Etenim, 1 dec. 1820, S. Paenitentiaria, de expressa auctoritate apostolica, concessit Regni Belgici Regularibus utriusque sexus iam sollemniter professis, ut, « *cum debita a superioribus legitimis dependentia*, » bona quae ad ipsos pervenirent « acquirere, retinere, administrare valerent et de iis in pios honestosque usus disponere [2] ». Die vero 31 iulii 1878, Em^us^ Archiepiscopus Mechliniensis, C. Dechamps, impetravit per S. Congr. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositam, declarationem authenticam vis permanentis superioris rescripti [3].

Quare, in Belgio et Neerlandia, ut autumat R. D. Marrès [4], utriusque sexus regulares, etsi sollemniter professi, non sunt dominii incapaces, sed bona [5] acquirere valent et retinere, eaque, *cum facultate Superiorum* [6], administrare et in pios honestosque usus impendere valide et licite possunt.

N. B. Regulares hic sunt etiam qui simplicem fecerunt professionem ; *Belgii* autem regulares videntur esse quotquot asciscuntur in communitatem Belgii. Cfr. Angelum a SS. Corde, n. 291, p. 313.

244. Quaeres quid iuris ubi *ipsis monasteriis* negatur *civilis* capacitas acquirendi bona ? In pluribus hodie regionibus, v. gr. in Belgio, Gallia, Italia, lex civilis negat iuridicum esse, ut aiunt, monasteriorum et Institutorum religiosorum. Restat tunc ut quidam cives bona communia possideant pro monasterio. Quas partes agere, ipsa cogente necessitate, ipsi Regulares non prohibentur. Qui tamen, nisi speciali fruantur indulto [7], in foro conscientiae, ea

Quid si lege monasteriis negetur capacitas possidendi ?

---

[1] Cfr. in altero tomo Supplementum VI, *De Paupertate.*

[2] Cfr. Lucidi, *De Visitatione*, II, c. 5, n. 473, p. 334.

[3] Decretum insertum est in *Revue générale*, dec. 1878. Documenta in altero tomo.

[4] *De Iustitia*, t. 1, p. 440.

[5] Quaenam, id habes ex possessione quam retinent simpliciter professi. Cfr. **245**$_2$, a.

[6] Sine facultate ista dispositio bonorum non foret nulla, sed voto paupertatis adversaretur. Benignior quorundam sententia sustineri posse non videtur. Cfr. plura de vi istius indulti, t. 2, supplementum VI, p. 75 sq. (ed. 2 vel 3).

[7] Nec inficias imus stilo tribunalium civilium religiosos cogi posse ut verum habeant animum domini. Cfr. De Buck, *De l'état religieux en Belgique, au XIX^e^ siècle.* Tutius tamen tunc erit impetrare indultum. Cfr. t. 2, suppl. VI, p. 83-87 (ed. 2 vel 3). De iuridicò esse cfr. ibid. *Parergon*, p. 88 et *Quaestiones de Iustitia*, quaestio XIV (ed. 2).

tantum ratione animum domini habere possunt qua opus est ut satisfiat decreto civili. Id confirmatur decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium, quo, 7 maii 1883, illud indulsit FF. Minoribus Cappulatis, modo hi possiderent nomine S. Sedis [1]. Cfr. De Angelis, *Praelect. iur. can.* III, p. 167, 4°.

Votum simplex paupertatis in Ordinibus religiosis.

245. II. Quod ad **votum triennii professionis simplicis** in Ordinibus :

1. *Voti simplicis* paupertatis hae notae tradi possunt tamquam *generis communes*, quod non aufert potestatem dominii, et quorundam bonorum permittit dominium saltem radicale.

2. Peculiare autem regimen quo utuntur *simpliciter professi Ordinum regularium*, est a Pio IX, decreto *Sanctissimus*, die 12 iun. 1858, pro Ordine FF. Praedicatorum et aliis qui id peterent [2], ita definitum :

a) Servant isti professi dominium *radicale* bonorum *suorum*. *Radicale* dominium hic opponitur *actuali*, estque *ius* sine *usu* eius, fere sicut ius in corpus eorum coniugum qui ante matrimonium pactum fecerunt de non usu [3]. Cfr. Lucidi, *De Visitatione*, II, c. 5, § 8, n. 313.

Bona autem sua intellegas : α) Ea quae ante vota possidebant eorumque fructus, donec usufructu cesserint ; β) Bona quae ex *hereditate* nomine proprio ad ipsos deferuntur vel ex *legato* ipsis « personaliter » facto obtinent ; γ) Bona quae ipsis non intuitu monasterii, vel qua personae sunt religiosae, sed intuitu ipsorum personae privatae donantur cum licentia superiorum : qua deficiente, illicite non tamen invalide animum acquirendi haberent.

Quae autem *industria propria* comparant, utputa stipendia, eleemosynas pro ministeriis, etc., pertinent ad monasterium. Cfr. Bucceroni, *Theol. mor.* t. 2, p. 76, n. 34.

b) Quod ad bona quorum retinent dominium, omnino istis professis interdicitur administratione, redituum erogatione atque usu.

c) Debent propterea, *ante professionem* votorum simplicium, cedere pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, *administrationem* [4], *usumfructum* et *usum*, quibus ipsis placuerit, atque etiam suo Ordini (exceptis FF. Minoribus et Cappuccinis, quorum Ordines tali iure

---

[1] Piat l. c. p. 239. Iure enim peculiari istius Instituti eius bona pertinent ad Sedem romanam.

[2] Cfr. t. 2, n. **61**, p. 354 (ed. 2. vel 3).

[3] In iure dominium radicale opponitur dominio utili. Cfr. *Quaestiones De Iustitia*, n. **195**, 6, c.

[4] *Administratio* intellegenda est ea quae res est iuris, i. e. qua aliquis nomine et arbitratu suo gerit bona, non illa qua agas annuente altero qui possit ad arbitrium suum mutare sententiam. Similiter *usus* est hic non *usus facti* sed usus iuris. Cfr. Palmieri, n. 104.

frui nequeunt) si ita libero arbitratu iudicarint faciendum.

d) Abdicatio ista administrationis et usus rescinditur ipso egressu ex Instituto ; quam diu autem vota tenent, firma manet nec irrita fieri potest. Licet tamen eandem ab initio statuere revocabilem ; verum ea facultate licite uti nequeunt simpliciter professi, nisi accedente beneplacito Apostolicae Sedis [1].

c) De *ipso dominio radicali,* excepta renuntiatione quam infirmavit c. Trid. s. 25. c. 16 *De Reg.*, disponere possunt per *actus inter vivos*, cum licentia Superioris Generalis. qui videtur, nisi obstent Constitutiones, suam facultatum delegare posse Superiori locali ; ad *testamentum* [2] autem condendum nulla est petenda venia.

N. B. In Belgio tamen et Hollandia poterunt simpliciter professi bona sua, cum facultate Superiorum. etiam administrare, propter ius peculiare descriptum n. **243**.

Quid in Belgio, Hollandia ?

246. 1. Simpliciter professi possunt *per testamentum* disponere de dominio, atque etiam, ante professionem, definire cuinam prodesse velint usumfructum. Ergo ipsis licet et ante professionem stipulari sibi aliquot *Missas* sua ipsorum gratia celebrandas, et testamento curare ut quaedam recitentur *in suffragium suae animae.*

Corollaria.

Possuntne testando sibi cavere de suffragiis ?

2. *Revocare nequeunt* per se *cessionem* usus et administrationis. Ergo nec possunt, facta professione, *mutare administratorem* sine venia S. Sedis.

Mutare administratorem ?

3. Ex responso S. C. Ep. et Reg. 21 nov. 1902, non possunt religiosi, ante simplicem suam professionem statuere ut patrimonii sui fructus ipsis bonis accrescant [3]. Plurium tamen Institutorum usus contrarius, si a decem saltem annis invaluerit, non videtur improbatus hoc uno responso, cui ceterum legis vim per se non inest.

Non erogare reditus ?

247. Quaeres, quid si ob mortem vel aliam causam *necessitate cogantur* mutare administratorem ?

Quid si opus sit mutare administratorem ?

R. Scriptor periodici *Monitore* autumat adeundam esse S. Sedem.

Nobis videtur distinguendum duplex necessitatis genus. Est enim prior, magis absoluta necessitas, si, quia vita sit

---

1 Cfr. litteras S. C. 30 dec. 1882. (T. 2, n. **68,** p. 366, ed. 2 vel 3).

2 Ita ex disciplina, ut proponitur apud Bizzarri, p. 847 vel 793, 8, (2ª ed.). Et quamvis *Col. Prop. Fidei*, n. 2090 paulo aliter referat hanc sententiam, videtur praeferenda lectio Bizzarri quae confirmatur responso S. Congr. Ep. et Reg. 2 mart. 1894 ad 11 « Pro condendo testamento, sorores (Cordis purissimi Mariae) etiam professae non indigent facultate Superiorissae generalis. » Battandier, *Guide canonique*, p. 104 ; et *Acta Conc. Americae latinae*, n. 333.

Aliter tamen dicendum est de regularibus sollemniter professis in Belgio et de Scholasticis Societatis Iesu. Istis, ad condendum testamentum, opus est venia Superioris, ne violent paupertatis votum.

3 Cfr. *Periodica*, t. 1, n. **42,** p. 122, ubi de vi talis decreti egimus.

functus vel munus dimiserit, nullus iam fuerit administrator. Putamus simpliciter professis tunc fas esse ut in locum demortui alterum sufficiant, assentiente Superiore, quo legi oboedientiae [1] fiat satis. Talis enim delectus imperatur ipsorum paupertatis ratione, nedum huic adversetur ; nec aliqua vetatur sanctione. Id confirmatur regimine Congr. Passionistarum. Cfr. n. **250**, 1.

Si vero altera interciderit necessitas abrogandi munus administratori reo vel imperito, existimamus opus esse beneplacito S. Sedis, quod tamen, si nullam res ferat moram, fas erit interea praesumere.

Talis enim abrogatio est actus administrationis presse dictus [2], qua voto suo prohibentur simpliciter professi. Ac sanxit S. Congregatio ne, se inconsulta, uterentur iure revocandi si quod sibi reservassent. Cfr. **245**, d.

Quid si, post vota, supplendae sint dispositiones ?

248. Quaeres, quid si, *post factam professionem*, **suppiendae sint dispositiones**, v. gr. obveniente nova hereditate ?

R. Non semel, in definiendo simili regimine voti paupertatis in Congregationibus religiosis, S. Sedes hanc intexuit clausulam : « Quod etiam dicendum erit de bonis quae post professionem titulo hereditario iis obvenerint. » His verbis, non valde perspicuis, videntur leges omnes superius datas traduci ad bona acquisita post professionem. Putamus itaque fas esse de iis cedere usum et administrationem cui maluerint, saltem cum venia Superioris. Hanc tamen stricte requiri ex voto paupertatis, nolimus contendere [3].

Quin immo, si ante vota dispositio fuerit omissa, arbitramur eam quam primum suppleri posse et debere.

Dispositio de bonis propriis, sine venia Superioris, est valida.

249. Quaeres, quid si simpliciter professus bonis propriis utatur *sine venia Superioris*, ubi haec requiratur ?

Actus huiusmodi illiciti sunt, non tamen irriti, cum lex eos non diserte infirmet. Suntne autem ad arbitrium Superioris revocabiles? Ita autumant Suarez [4] et Schmalzgrueber [5]. Melius tamen cum C. de Lugo [6] considerabis, utrum iam translatum sit *ius in re* an mere concessum *ius ad rem*, ita ut promissione sit astrictus religiosus. Promissionem seu obligationem assumptam irritam facere potest Superior ex vi qua

---

[1] Id exigi voto paupertatis minus nobis constat.

[2] Hoc vitio illicitae administrationis affici putabat scriptor *Monitore* omnem administratoris delectum qui sine venia S. Sedis fieret post emissa vota.

[3] Graves enim scriptores, C. d'Annibale, Lucidi (cfr. n. **250**, 3) autumant iurium cessiones per se non adversari voto paupertatis ; de ipso tamen radicali dominio inter vivos professi disponere vetantur sine venia Superioris. Hic similis agitur dispositio redituum.

[4] *De Religione*, tr. 10, l. 4, c. 6, n. 12.

[5] In l. 3, t. 35, n. 8-10.

[6] *De iustitia et iure*, d. 3, n. 80. 81.

pollet in subditi voluntatem; tertiae autem personae non valet eripere *iura in re*.

Quare nec fecerit contra iustitiam qui res illicite datas accipit et retinet. Cfr. Palmieri, n. 102. 103

Votum simplex paupertatis in Congregationibus.

250. III. **De voto simplici paupertatis in Congregationibus :**

Variant Constitutiones.

1. Imprimis considerandum est quid ferant Constitutiones receptique usus. Variare enim hanc disciplinam testatur Lucidi, *De visitatione,* II. c. 5, § 8, n. 319, sqq. subiunctisque exemplis confirmat.

Sodales *Cong. Cleric. SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.* disponere debent de proprietate et de usufructu bonorum suorum in gratiam alicuius personae coniunctae vel alterius, qua deficiente, rursus ipsis licet alteram designare; egressi vero e Congregatione bona sua recuperare valent; *in Congr. Presbyt. SS. Redemptoris*, retinent dominium bonorum suorum, de iis in gratiam coniunctorum vel Instituti disponere debent; usumfructum vero deputare possunt ad usum quem probaverit Superior. Cfr. plura, apud Lucidi l. e.

Quid si sileant ?

2. *Silentibus Constitutionibus*, c. d'Annibale, III, 219, existimat voto paupertatis per se non repugnare dispositionem qua abdicatur dominium radicale; et Lucidi *De visit.* t. 2, c. 5, § 8, n. 317 autumat : « Si nihil specialiter in ipsis Constitutionibus Instituti de quo agatur sancitum fuerit, et *valide* et *licite*, qui simplici paupertatis voto tenetur, disponere poterit pro *libitu* suo de bonis ad se spectantibus, aut post vota simplicia emissa sibi delatis, modo id non faciat ad suum commodum. » Quod n. 318 confirmat ipse responso S. Congr. Ep. et Regul., in Anagnina, 1853.

3. Non ita pridem, S. Congr. Episcoporum et Regularium suam in hac re disciplinam variavit.

Satis diu enim probandis a se Institutis simile paupertatis regimen praescripsit atque istud quod apud simpliciter professos Ordinum religiosorum induci consuevit. Cfr. eius Congr. litteras 30 dec. 1882 [1].

Recens autem promulgatis Normis [2], hanc praescribit paupertatis rationem :

a) Sine venia Superioris de nulla re temporali disponere ipsis licet.

b) Dominium radicale bonorum suorum [3] servare possunt simpliciter professi, et civiles proprietatis actus facere qui lege imperantur, si modo accedat licentia Superioris generalis, vel, urgente casu, localis.

---

[1] Cfr. t. 2, n. **68**, p. 366 (ed. 2 vel 3).
[2] Art. 113-128. Cfr. t. 2, n. **69**, p. 366 (ed. 2, vel 3).
[3] Fructus industriae, ut monuimus, pleno iure ad Institutum pertinent.

Idem dominium *per actus inter vivos* abdicare (titulo gratuito) prohibentur ante vota perpetua ; post illa vota, *universalis* abdicatio licentiam Apostolicam postulat. Ut de eo *per testamentum* libere ante vota disponant, suadetur. Post primam professionem, testamentum condi vel mutari nequit sine licentia S. Sedis. In casu tamen urgenti, satis est si facultas habeatur vel Ordinarii vel Moderatoris Generalis, vel etiam, si aliter fieri nequit, Superioris localis.

c) Ante primam professionem, de bonorum usu et fructu, eo quem praetulerint modo, disponere debent, et administratores constituere unum vel plures, nisi malint administrationem ipsi Instituto acceptanti commmittere. Salvo iure tertii, cessiones istae possunt, cum venia Superioris generalis [1], revocari vel mutari ; atque ipso discessu ex Instituto revocantur.

De bonis quae post vota advenerint disponere possunt sicut de bonis ante vota possessis.

d) De dote tamen Instituto allata sorores nullo modo disponere possunt.

Votum simplex FF. Conversorum.

251. Quaeres, quid de voto simplici paupertatis quod faciunt v. gr. **Fratres Conversi** plurium Ordinum.

Disciplina istius voti colligenda est ex propriis Ordinum legibus et moribus.

III. De morali voti paupertatis consideratione et de vitio contrario

Obligatio voti quo spectet ?

252. Omissa altera vi, minus universali, qua Deo promittitur abiectio rerum superfluarum, votum paupertatis huc spectat, ut quis religione prohibeatur, saltem plene et licite, exercere ius dominii. Huic obligationi contrarium est vitium *proprietatis*, quo religiosus *in rebus temporalibus* versatur quasi habeat (i. e. tali animo), ius quod Dei causa a se abiudicavit.

Vitium proprietatis.

Peccata externa.

Contra votum itaque *externe* peccabitur actibus exterioribus qui ex huiusmodi animo manant ; *interne* vero, ipso *animo* vel *desiderio* actus vetiti, minime vero mero affectu ad res temporales, nisi tantus evadat ut in proximum ducat periculum peccandi contra votum.

Interna.

Species moralis.

Proxime adversatur religioni.

253. 1. **Species moralis** *per se* tota quanta pertinet ad virtutem *religionis*.

---

[1] Huius dispositionis usum videtur S. Congregatio etiam iis Institutis permittere quae, antea approbata, ad S. Sedem recurrere debebant ut cessiones, etiam revocabiles, mutare possent. Cfr. responsum S. C. Episc. et Regul. 2 iun. 1905, pro Instituto cuius paupertas regebatur norma Maristarum proposita apud Bizzarri, p. 806 (ed. 2).

Immerito hic non pauci, post Gury, II, 155 [1], finxerunt specialem aliquam virtutem paupertatis. Profecto, quae consueta est vis regulae supernaturalis (S. Th. 1, 2, q. 63, art. 4), ex voto et ex suscepto statu ipse modus seu medium virtutum variare poterit. Sic, qui studiose colit paupertatem, laudem habebit illius *modestiae* quae ad temperantiam refertur et moderatur usum rerum humanarum, vel *humilitatis*, vel *patientiae*, etc. Nulla autem est virtus specialis paupertatis, cum *per se* sit indifferens uti vel carere divitiis, harumque abiectio non propter se commendetur. « Non paupertas secundum se bona est, sed in quantum liberat ab illis quibus homo impeditur quominus spiritualibus intendat. [2] » Cfr. Suarez l. c. c. 2, n. 6 ; et Bucceroni, *Instit. theol. mor.* t. 2, p. 75, n. 31.

Estne virtus paupertatis.

2. Itaque peccatum contra votum proxime est contra *religionem*. Poterit autem, ex *affectu* vel *obiecto* etiam alii virtuti adversari, et potissimum *iustitiae*.

Accedentes species.

Porro peccatum religiosi est *iniustitiae :* tum quando sibi usurpat aliquid ex bonis iam a monasterio possessis, ut patet ; tum etiam, teste Suar. l. c. c. 6, 12, quando usurpat ut propria illa quae monasterio acquirere debebat. Huiusmodi sunt omnia quae acquirit sollemniter professus aut alius cuius votum paupertatis aeque late pateat, dum quaedam patrimonialia non raro, ut dictum est, in simplici voto excipiuntur. Ratio conclusionis est, quia, ait Suar. l. c. ex voto et pacto cum religione, huic professus acquirere tenetur ; et ideo, si suum illud fecerit, *saltem* violat *obligationem* iustitiae. Si tamen aliquid *datum fuerit* religioso ea lege ut monasterio non acquiratur, religiosus sibi rem usurpans vitium commiserit proprietatis, non tamen iniustitiae. Sanchez, l. c. c. 20, n. 8 ; Palmieri, l. c. n. 112.

254. *Materia remota* voti paupertatis est *bonum temporale* i. e. res *temporalis, externa, pretio aestimabilis.* Non ergo *honor, fama ;* nec *Missae applicatio,* nec *reliquiae* nisi ratione reliquiarii [3] ; neque, saltem ex consuetudine, *manuscripta ;* bene tamen *tabula* iam *picta*, vel *opus arte factum.* Si tamen ab initio deputaveris opus faciendum extraneo, praesertim si is materiam subministrarit, censeris merum praestitisse obsequium : quod non repugnat paupertati.

Materia remota. Varii casus.

255. Materia vero *proxima,* est in primis, ex definitione, *proprietas* vel saltem *usus independens :* quo re utaris quasi

Materia proxima.

[1] Cfr. v. gr. Ballerini, ad hunc locum, ex quo apparet ficticiam istam virtutem talem esse contra quam peccari non possit ; vel R. P. Angelum a S. Corde, qui, n. 250, definit hanc virtutem ac si esset in nobis sensus quidam specialis quo in bona temporalia feramur, dum uno voluptatis vel honoris studio ea appetimus.

[2] S. Thomas, l. 3, *Contra Gentiles*, c. 133.

[3] Usus facile haberi potest ut reliquiae cum thecis modici valoris existimentur non esse paupertatis materia.

iure tuo. Prohibetur enim religiosus *rem tamquam propriam possidere*, vel *re tamquam propria uti*.

Possidere tamquam propriam, est pro se seu nomine proprio sibi asciscere ius in illam rem.

Uti tamquam propria, est rem tenere, adhibere, absumere independenter a legitima facultate. Usus dependens, saltem rerum quae non superfluae sunt, voto non respicitur.

Exempla vitiosae proprietatis.

256. Nisi ergo debita licentia honestantur, vitium proprietatis continent hi actus :

1. *Acquisitio.* Facile tamen praesumi potest licentia acceptandi quod cedat in utilitatem monasterii. Palmieri, l. c. n. 138.

2. *Donatio* et *Renuntiatio* iuri iam acquisito. Si autem mere abnuas eleemosynam, donationem nondum acceptatam, legatum, caritas quidem, non autem paupertas laedi potest.

3. *Permutatio*, Si tamen fiat rerum fungibilium eiusdem rationis, ut, per se, si auream pecuniam commutes argentea, id vix videtur repugnare voto. Ac quarumlibet rerum prorsus similium permutatio vacabit culpa gravi. Minor etiam culpa inest permutationibus rerum similium quae fiunt inter fratres eiusdem conventus, et facilius praesumi potest licentia, quam si tradantur extraneo. Palmieri, n. 125, 126.

4. *Absumptio.* Quod si cibum vel potum apud *ipsos externos* acceptum absumpseris (secus si domum feras), *probabiliter*, secundum C. de Lugo *De iust. et iure*, d. 2. n. 51. non feceris nisi *usum facti* quo non laeditur votum paupertatis.

5. *Mutuum et Commodatum.* Sed in breve tempus, si certa sit restitutio, id non erit grave, et rursus minus grave, si detur fratri quam si extraneo.

6. *Depositum* proprie dictum (non simplex quaedam praestita rei custodia) aliis videtur voto repugnare, cum inferat susceptam obligationem cui plene satisfacere nequeat nisi proprietarius (Molina, *De Contractibus*, d. 525. n. 3) ; quod alii negant. cum non contineat actum dominii in rem depositam. Génicot, t. II, n. 93,5°.

7. *Usus* ad alios fines ac qui *taxative* sint a Praelato expresse vel tacite indicati ; et proin neglegentia lata [1] in utendis,

[1] « Ut si vestes, quae ad annum durare possent, sua lata culpa intra sex menses consumantur, ita ut conventus ad novos sumptus faciendos obligetur. Idem dici potest de libris, de charta, oleo et similibus, in quibus maiorem curam debet Religiosus habere, quam si esset eorum dominus, cum solum habeat usum facti, et non possit pro libito ea consumere. Haec tamen obligatio non facile perveniet ad peccatum grave in usu earum rerum ob quas conventus in bonis communibus detrimentum non sentit, ut si ex eleemosyna accipis vestem ab amico, vel aliqua comestibilia cum licentia, quae tamen ob tuam neglegentiam corrumpuntur et destruuntur: in aliis tamen, quae ex bonis communibus

consumendis rebus quarum dispositio, ut v. gr. chartae, olei, rationabili religiosi arbitrio permittitur. Cfr. Lessium, n. 79 ; Laymann, l. c. n. 6.

8. *Retentio* rei ultra tempus ad quod conceditur : ut si diutius retineas libros usus communis : hoc tamen non erit grave, praesertim si alter qui indigeat facile detentorem agnoscere possit. Multo magis paupertati adversatur *occultatio* ne Praelatus rem auferre possit.

Contra votum fecerit ex animo proprietatis qui rem aliquam, etiam cum venia obtentam, *ideo* clavibus obserat ne a superiore auferri possit. Si ex alio fine, v. gr. ne alii importune videant, ne Praelatus inferior illi qui permisit petat revocationem facultatis, votum non violabitur, nisi hoc pacto venia existimetur data ut nihil Superiori immediato sit clausum. Palmieri, 148, et C. de Lugo.

257. Contra, vitio proprietatis non inficiuntur :

Exempla actuum qui non adversantur paupertati.

1. *Administratio* rei alterius, huius nomine facta ; potest tamen repugnare oboedientiae et religioso statui.

2. *Destructio* rei (probabiliter), si *mere* facias animo damnificandi. Deest animus propriae utilitatis quae habendi iuris animo continetur. Sed adversabitur iustitiae.

3. *Acceptio pecuniae in usum pium* determinatum ; vel etiam, ut probabile est, in *opera pia* quae religiosus definire possit. Si autem ad arbitrium possit in usus etiam profanos res adhibere, reapse accepit commoditatem se gerendi ut dominus : quod est contra votum.

4. *Administratio Beneficii :* cum sit temporale consequenter annexum. Bouix, II, p. 539. 540.

De religioso autem promoto ad beneficium, cfr. infra, parte 8, ubi de ministeriis.

5. *Possessio bonorum in communi.* Hoc suo iure possidendi non possent, postulante civitate, cedere Regulares, sine assensu Pontificis, ne praeiudicium afferrent immunitati ecclesiasticae.

258. Quaeres an violet votum **qui recuset res** ab extraneo oblatas ?

Quid si recuses res oblatas ?

R. Affirmative, si ius erat Religioso et consequenter monasterio acquisitum : ut si agatur de legato iam acceptato, de stipendio operis praestiti.

Negative, si est mera eleemosyna, donatio nondum accep-

---

participamus, diligentiores debemus esse, et eo magis ad earum conservationem attendere, quod liberalius communitas ipsa providet et fidit nostrae curae non numerando, vel mensurando, chartam, oleum, candelam et alia, sed nos singulos quasi oeconomos et administratores rerum communium constituendo, ut nobis iuxta nostrum arbitrium et conscientiam de rebus necessariis provideatur, nulla petita aut reddita ratione de modo quo consumuntur. » Cfr. C. de Lugo, l. c. n. 169.

tata : quia tunc de nulla re disponitur, cum nullum sit Monasterio ius acquisitum. Quod si sine ratione facias, id erit contra caritatem.

De Procuratoribus, etc.

259. *Nec procuratores. oeconomi, administratores, praelati inferiores* quicquam possunt expendere, contra ac regula ordinis, voluntas superiorum, vel consuetudo postulaverit.

« Ratio est, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. Laymann, l. 1, n. 8, ex S. Th. » Ita Busenbaum. Quid autem ipsis Superioribus sit faciendum, cfr. infra, ubi de Praelatis.

Licentiae utendi vel expendendi.

260. Licentia qua arcetur vitium proprietatis :

Legitimus auctor,

1. Proficisci debet *a Superiore* vel *Officiali* cuius est *provincia ;* et a proprio quidem religiosi Superiore. Quare, nisi regulae subdant hospites Superiori domus in qua versantur, is non poterit veniam facere nisi iis religiosis qui, in domo cui praeest, habeant domicilium vel quasi domicilium. Cfr. Sanchez, *in Dec.* l. 7, c. 19, n. 41 ; Laymann, l. c. n. 14.

Modus,

2. Non potest *fraude* vel *vi illata* extorqueri. Sin minus concessio, utpote gratuita, foret irrita. Cfr. nostras *Quaest. De iustitia*, n. **311. 315**.

Genera.

3. Potest esse *generalis* vel *specialis ; expressa,* cum datur conceptis verbis, sive pro casu speciali sive in universum ; *tacita,* cum Praelatus, rei conscius, non prohibet, *etsi facile* loqui posset. Ea etiam ratione explicantur usus, qui in certis Religionibus vigent, nonnulla recipiendi vel expendendi sine venia petita. Quare abolitio huiusmodi consuetudinis manet semper in potestate Praelati.

De licentia praesumpta.

Potest etiam esse *praesumpta,* ex rationabili interpretatione voluntatis Superioris.

Praesumptio porro ista plane est legitima, in adiunctis ubi Praelatus, prudenter libratis factis, iudicatur nec *rei* obstare, seu substantiae facti, nec *modo* quo agas, non prius petita venia. Tunc enim facis, non ex animo habentis ius sed ex virtuali voluntate Superioris cui, in ipso actu, te prodis obnoxium.

Contra, si ipse rogatus rem detrectasset, perspicitur omnem deficere licentiam. Invitus est Praelatus *quod ad substantiam.*

Quid autem, si ipse quidem annuisset, simul tamen putandus sit repugnare quominus ipso inconsulto feceris ? Actum esset de disciplina religiosa si id semper excusares : iam enim ad nullum fere usum rationabilem opus foret rogare veniam. Quocirca, ut causa prudenter definiatur, examinandum praeterea est utrum in Praelato coniciendus sit is animi habitus quo *absolute* nolit rem a te sine licentia usurpari, an mere, cognita tua neglegentia, repugnaret praetermissioni debitae formae. Hoc posteriore casu, est invitus

dumtaxat quod *ad modum*, et facis contra oboedientiam necessariam vel perfectam ; priore vero, dicitur *ratione modi invitus quod ad substantiam*, et factum adversatur voto [1].

Porro, ex affectu quo fertur in subditum, ex libente animo quo rem concederet, facilius iudicabitur Praelatus non invitus nisi quod ad modum tantum.

Contra, si regula, ut in Societate Iesu, vult ut Superior conscius veniam faciat, saepius erit, ex ipso modo, invitus quod ad substantiam.

Displicentia quae videtur fore gravis vel levis pro signo haberi potest alterutrius repugnantiae. Sed si rationabiliter praesumpta fuit licentia, Superioris dissensus non efficit ut aliquid contra votum sit commissum.

An de praesumptione monendus Superior ?

Post factum autem, monere Superiorem semper decet, nec raro per regulam iniungitur. Id tamen omittere non adversatur paupertati, nisi res, non plane praeterita, habeat aliquem tractum successivum : ut si agatur de retinenda re accepta ex praesumpta facultate.

Quam diu valeat licentia ?

4. *Quod ad tempus*, « Licentia ab antecessore praelato data, quando officio suo functus est, per se non exspirat ; ipse tamen sibi pro tempore posteriore licentiam dare nequit ; ita saltem in Soc. Iesu. » Lehmkuhl, t. 1, 525_3.

Quid de dissensione inter praelatum maiorem et inferiorem ?

261. Quaeres, quid **si** de licentiae opportunitate a **minore Praelato dissentiat maior.**

R. Valet per se Praelatus maior modum statuere iurisdictioni inferioris ; idque licite, ob iustam causam [2]. Quare in eiusdem potestate est infirmare licentiam Praelati inferioris, tam antecedenter quam consequenter.

2. Id tamen non est putandus fecisse nisi clare dixerit ; ita ut ne ipsa quidem *prohibitio* satis prodat infirmationem facultatis factae a Praelato inferiore.

Minus etiam licentia *negata* a Praelato superiore ab inferiore *invalide* concedetur. Sed per *celatam* repulsam, praesertim si regula praecipiat manifestationem, peccabitur, etsi *per se* non graviter, contra debitum obsequium. Ita Lehmkuhl, t. 1, 525.

Licentia est aeque interpretanda. Exempla.

262. Prudenter pensandum est quae sit **factae veniae vis ac virtus**. Quod magis quibusdam patebit exemplis.

1. Licentia quae est ad definitum usum, ad alium non valet. Quare cui *usus* est permissus non licet *permutatio* rerum quarum utilitates sint formaliter variae ; nec qui *dare* potest habet ius *vendendi*, cum id addat pretii acceptionem.

---

[1] Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 7, l. 8, c. 11, n. 11 ; Sanchez, *In Decal.* l. 7. c. 19, n. 15 ; Laymann, l. 4, tr. 5, c. 7, n. 4 ; C. de Lugo, *De Iustitia et iure*, d. 3, n. 158.

[2] Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 8, l. 2, c. 2, n. 22-24.

Vendere autem poterit is cui fas est *dare et accipere*. C. de Lugo, d. 3, n. 159.

2. Is cui licet pecuniam *ad honestos usus* impendere, ludere ea potest, modo lusus deceat religiosum atque id non repugnet Ordinis moribus [1]. Tunc etiam, ex rationabiliter intellecta licentia, exponere possis id quod lucratus fueris, *saltem durante eodem ludo*, immo etiam alia vice, non nimis distante, si id postulet quaedam humanitatis et urbanitatis ratio.

3. Licentiam cuipiam concessam *dandi* aut *accipiendi*, quando ex Superioris declaratione vel consuetudine Ordinis censetur facta erga omnes indiscriminatim, sequitur in aliis facultas consequenter accipiendi aut dandi. Atque, ex sent. P. M. Vitelleschi, talis est in Societate Iesu, ni aliter dicant, mens Superiorum, modo bona fide agatur, neve velint alii per aliquem ut per medium indirecte inter se munera commutare. Cfr. C. de Lugo, l. c. 165 qui refert responsum P. Generalis.

4. Licentia data accipiendi plura numero *imagunculas*, *rosaria*, *numismata* aut alia huiusmodi, est tacita licentia ea distribuendi. Sanchez, l. c. c. 19, n. 70 ; Laym., l. c. n. 4.

5. Ex tacita vel praesumpta licentia possunt religiosi, si praelatus adiri nequit, modicas facere eleemosynas, in *gravi* pauperis necessitate, aut quando id ad aedificationem videtur pertinere. Sed contradicenti Praelato est acquiescendum, nisi pauper ex extrema necessitate ius habeat. Palmieri, l. c. n. 139.

Idem dicendum de levibus *donationibus* quae quasi debitae sunt ex gratitudine, si religiosus quaedam bona habeat sibi ad usum concessa. S. Alph. l, 4 (5), n. 21.

6. Quando certa copia rerum ita in sustentationem datur religioso ut neque monasterium aliquid debeat supplere, neque ipse reddere rationem, sive intra, sive extra claustra versetur, data censetur facultas donandi cui libuerit id quod *parcius vivendo reliquum* obtinuerit.

De licentia indebite data,

263. Quaeres, quid si **licentia indebite data** fuerit ?

Resp. Distinguendi sunt casus :

Ex vi et metu.

1. Si *indebite* quia *involuntarie*, quatenus subditus intulerit vim et metum, vel fraude deceperit Superiorem ita ut error causam dederit consensui, *licentia nulla* reputatur et religiosus ea utens committit vitium proprietatis.

Ex auctore.

2. Si, quia *deest* ad talia *potestas* in concedente, rursus nihil efficiet huiusmodi licentia. Observes tamen non censeri per se invalidam licentiam quam Superior ex lege dare prohiberetur.

---

[1] In non paucis Religionibus, pecuniam ludo exponere non habetur pro honesta recreatione.

Quare subditus cum tali licentia operans, ex alio fortasse capite, sed non ut violans paupertatis votum argui potest.

3. Si licentia est iniusta ex *parte obiecti:* *Ex obiecto.*

a) Vel *iniusta* agitur *acquisitio*. V. gr. est licentia ad furandum, vel acceptandum ab aliquo qui dare nequit: ex sententia Suarez, tr. 7, l. 8, c. 11, n. 15, et plurium, licentia ista, cum hoc efficiat ut non iam arbitratu suo quis agat, impedit vitium proprietatis: quod alii negant, arguentes ex invaliditate talis licentiae. Nobis verior videtur sententia Suarezii.

b) Vel agitur *mala alienatio*. V. gr. est licentia data ad usus vanos, turpes, vel ad superflua emenda. Alii tunc, ut Sanchez *in Dec.* l. 7, c. 19, n. 21, negant hanc licentiam valere; contra votum igitur facere aiunt religiosum qui tali uteretur licentia, alium autem qui rem accepisset teneri obligatione restitutionis. Praelatum enim non esse dominum sed merum administratorem ad usus honestos. Quae sententia magis placet S. Alphonso, l. 4 (5) n. 30. 31.

Alii cum C. de Lugo, d. 3, n. 136 sq., tenent licentiam hanc valide dari. Quam diu enim Praelatus agit intra fines facultatum suarum, censetur, sic dicunt, valide operari (quamvis non semper licite) nisi nullitas demonstretur. Porro incassum (contra Piat, t. 1, p. 255) citari Trid. s. 25, *De Regul.*, c. 2 [1], facile ostendit C. de Lugo, l. c. n. 138. Quod videtur verius. Quare locus non est restitutioni, nec religiosus committet vitium proprietatis aut poenas luet religiosi proprietarii. Sanch., l. c. n. 25.

Ipse C. de Lugo, n. 139-143 autumat non esse *obligationem* in Praelato qui *generalem* dat licentiam aliquid ad quemlibet usum expendendi, ut excipiat usus istos inhonestos. Quare, ex adiunctis diudicandum erit utrum religiosus qui, tali fretus licentia, male expenderit, invalide an tantum illicite egerit, ac proinde recipientes teneantur necne restitutione. Quantum praeterea sit restituendum, id, pro bona vel mala recipientis fide, variabit secundum regulas generales Cfr. S. Alph. 31, Palmieri, l. 1, n. 151. 152.

264. *Promissione* qua *praelatus* religioso spoponderit se aliquid ipsi vel alteri daturum, vel tali modo re usurum, nequit (ante acceptationem tertii) teneri ex *iustitia;* licet quod ad promissionem donandi post mortem contradicat S. Alphonsus, l. 4 (5), 22, post Sanchez, *in Dec.*, l. 7, c. 9, n. 13. Ratio est, quia paupertatis voto impeditur religiosus, quominus ius adversus praelatum acquirat. Sed si honesta sit promissio, hic veniali *fidelitatis* obligatione tenebitur. Cfr. Palmieri, l. c. n. 155. *Vis promissionis factae a Praelato.*

265. Ut nunc dicamus de gravitate reatus qui *per* se inest in voti istius violatione, i. e. **gravi sacrilegio**, non de accidentali etsi frequenti accessione iniuriae, recolen- *Quae materia grave faciat sacrilegium.*

[1] Hoc capite excluditur peculium. Cfr. infra.

dum prius est duplex posse esse voti obiectum. Deo enim promittitur vel *status paupertatis,* haec, inquam, ratio vitae quae hominum est exiguae fortunae ; vel *abdicatio dominii* saltem actualis.

Ambo quandoque coniunguntur. Possit tamen, in saeculo v. gr., prioris tantum rationis voveri paupertas, etsi solitus sit praeterea abiudicari usus independens a voluntate Confessarii. Nec plane constat in religionibus hanc priorem rationem, qua superflua excluduntur, sub votum per se subici. Cfr. n. **240**.

Contra obligationem vitae pauperis,

1. *Obligationi agendi vitam pauperem graviter adversatur* quicquid, in morali existimatione, videtur huic vitae notabiliter derogare, i. e. sumptuosus tenor vitae, praesertim habitualis. Quid autem sit nimium, aestimandum est ex ipso gradu promissae paupertatis. Hoc affert C. de Lugo exemplum, si religiosus Societatis Iesu habeat « ornamenta serica ad lectum, vel triginta indusia linea ad suum usum privatum. » Cfr. de hac re C. de Lugo, d. 3, n. 183-188.

Exclusionem proprietatis ?

2. *De peccato illicitae proprietatis* [1].

Sententia communior.

a) Multae sunt sententiae. Attamen, ob extrinsecam patronorum auctoritatem, concedi potest in *sententiam communiorem*, secundum quam eadem quantitas quae furtum constitueret grave gravis iudicanda est laesio Religionis in profitente paupertatem [2].

Duplex eius ratio.

Haec ipsa regula magis declaranda est ; namque furti est materia sive *absolute* sive *comparate* gravis.

Iam vero, nonnulli, R. P. Palmieri, l. c. n. 123, Génicot, *Theol. mor.* t. II, 98, plerisque tamen dissentientibus [3], autumant sumi posse materiam *absolute* gravem.

Id erit omnino tutum in Religione cuius probati scriptores hanc normam tradiderint. Ad hanc tunc existimari potest accommodata intentio voventium, qui possunt, non quidem in gravem convertere materiam levem, sed extenuare obligationem quae per se respondeat materiae et maiorem statuere ad peccatum grave necessariam quam quae per se requiratur.

In Ordinibus autem ubi severior recepta est doctrina, cautius hanc sequentur religiosi, nisi constet de nimio rigore. Nobis enim videtur superius recitata opinio a vero esse aliena ; et nonne possunt Praelati religionis adhaerere alteri sententiae, quae magis est communis, et exigere ut sic intellegatur paupertatis votum? Ita etiam Génicot t. II, 98 fine. Cfr. *Supplementum* VI c. 2 alterius tomi.

Sententia nostra.

b) Ut nostram iam aperiamus mentem, similitudinem aliquam furti et peccati contra paupertatis votum non negamus,

---

[1] Cfr. Supplementum VI, in altero tomo.
[2] C. de Lugo, d. 3, n. 170.
[3] Cfr. Lehmkuhl, I, 529.

atque ita communius placitum non plane deserimus ; verum in hoc est reponenda tota, quod ambae, iustitia et paupertas, respiciunt *proprietatem, modo* tamen *contrario :* prior ut eam *alteri* serves sanctam, posterior ut eam *a te* abicias. Quaestio igitur formaliter huc recidit : quanam quantitate fiat gravis *acquisitio qua talis.* Quod aestimandum arbitramur *ex condicione acquirentis,* i. e. ex condicione in qua, ex sua professione, versatur religiosus qui peccarit. Estne haec, ut in Societate Iesu, honesti sacerdotis, comparate ad honestum sacerdotem *per se* erit accipienda materiae gravitas.

Et re quidem vera, si arguas ex analogia iustitiae et paupertatis, ut *consequenter* dicas, consideranda tibi est persona de cuius agitur proprietate ; quae, cum prohibitio vetet hic, non *alterius* damnum, sed *proprium* lucrum, non est, ut in furto, persona laesa, si qua fuerit, sed persona acquirens, qua talis. Sic igitur, ex ipso quo uti solent principio, nostram depromimus conclusionem. Praeterea, ut *directe* arguamus, nonne pro alia cultus exterioris ratione, ipsa proprietas apparebit minus vel magis notabilis ? Quid autem omnes cogitamus definire, nisi istud : quaenam sit *gravis proprietas ?* Denique, sic commode explicatur, quomodo in Ordinibus qui profitentur maiorem cultus exterioris severitatem, severius respondeant scriptores. Cfr. v. gr. Piat, 1, p. 266-269, Angelum a SS. Corde, p. 297-300.

A qua sententia parum alienus videtur C. de Lugo, cum dicat gravitatem sacrilegae proprietatis potissimum aestimandam esse ex *disciplinae religiosae* exigentia, ita ut gravis materia ea sit qua per se graviter de hac disciplina detrahitur. Cfr. de Lugo, d. 3, n. 172 et 181.

Adiuncta quibus minuitur sacrilegii gravitas.

266. Sicut adiunctis fit ut maior requiratur materia ad gravem iniuriam, ita plura quae facere solent Praelatum minus invitum, extenuant gravitatem sacrilegii, ita ut maiore ad letale peccatum opus sit quantitate rei. Haec porro sunt v. gr. :

1. Si agatur de *esculentis et potu,* praesertim ad praesentem religiosi usum. Minus enim haec abducuntur ab usu cui ex voluntate Superioris sunt deputanda. Nisi ergo res fuerit extraordinaria et pretiosior, id non erit grave. Cfr. C. de Lugo, n. 178.

2. Si usus dumtaxat, non autem dominium usurpatur : tunc enim non rei sed usus est considerandus valor. C. de Lugo, 177.

3. Multo maior quantitas requiritur, cum religiosus disponit, sine necessaria licentia, de bonis quorum licite dominium servat. Tunc enim non tam res quam ipsa distributio seu administratio usurpatur ; et si usus sit pietatis opus vel aliquid simile, vix *graviter* invitus erit per se Superior. Quare hic nobis videtur severius dicere Génicot, t. II. 98.

4. Praeterea, si tamen accedas ad sententiam eorum qui materiam considerant *comparate gravem* [1], levior per se erit culpa si, ex rebus communibus, illicite sumas tibi vel fratribus eiusdem domus quam si extraneis, vel si usum intendas utilem quam si vanum. Cfr. de Lugo d. 3, n. 173-176.

Per se non coalescunt sacrilegia.

267. Quaeres de **coalescentia** huiusmodi sacrilegiorum? R. Nisi, ab initio, consulto modica accipias cum animo progrediendi ad materiam gravem, vel ex pluribus servatis rebus concrescat gravis valor, sacrilegia parva etsi saepe repetita, non videntur coalescere ita ut ob hanc causam fiant gravia.

De comitante iniustitia.

268. Restat ut dicamus de **reatu adversus iustitiam** qui saepe comitatur malitiam sacrilegii.

1. Prius observes ambas has causas esse sedulo distinguendas. Fieri enim potest :

Variis exemplis demonstratur hanc causam a sacrilegio esse distinguendam.

a) Ut sit *iniuria sine sacrilegio*, i. e. sine voti violatione : puta rei alienae inferri damnum ex animo nocendi sine propriae utilitatis consideratione; furtum fieri cum licentia superioris.

b) Ut sit *sacrilegium sine iniuria ;* v. gr. « Cum religiosus alteri tradit quod sibi permissum erat consumere ; cum concessum sibi in certum usum (rei destructivum) expendit in alium, cum libros, vestes, panes, similia sibi sumit, quae si petisset non fuissent negata, cum aliquid usu consumptibile accipit ab extraneis ». Palmieri, l. c. n. 141, ex C. de Lugo, d. 3, n. 181.

c) Ut *levis iniuria* sit *gravis actus* proprietatis : utputa si a persona quae, attenta qualitate personae auferentis, leviter sit invita, religiosus sibi usurpet magnam vim pecuniae.

d) Ut, contra, *gravis iniuria* sit *leve sacrilegium*, v. gr. si mendico modicam quantitatem surripias, aut si facias ex licentia praesumpta cui *non graviter* repugnat Praelatus. Cfr. C. de Lugo, d. 3, n. 171.

Definitur gravitas illius reatus.

2. Quod nunc attinet ad *malitiam quae iustitiae adversatur* :

a) Haec non regitur principiis peculiaribus si de re agitur plane aliena, vel de Monasterii rebus extraneo tradendis.

b) Religiosus autem qui sibi vel alii domestico surripiat rem monasterii, non videtur, ut quidam volebant, tractari posse sicut filius familias. Obstat enim severitas disciplinae religiosae, minor facultas in Praelato, cum non sit dominus; his addas bona monasterii nequaquam religioso tamquam heredi esse tribuenda sicut patris bona recipit filius. Quia tamen bona conventus in utilitatem cedunt religiosorum, benignius videtur eorum quam extraneorum aestimari posse causa, ita ut aliquanto (v. gr. $^1/_2$) augeas requisitam quanti-

[1] Haec enim videntur neglegenda esse iis qui respiciunt ad materiam *absolute* gravem.

tatem. Cfr. C. de Lugo, l. c. 173 ; S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 24.

Ex principiis generalibus de furto gravi, quantitas variabit :

a) Pro *statu* monasterii et *numero* sodalium ;

b) Pro *qualitate* rei acceptae : in esculentis, vestibus, etc., maior quam in pecunia requiretur quantitas. Immo qui sumendo unam rem parcit alteri eiusdem pretii quae sibi tradita fuisset, non violat iustitiam ;

c) Pro *modo* acceptionis. Transferas huc dicta de coalescentia iniuriarum.

269. Quaeres, Quid de religioso qui se dedit **desidiae ?** Plures existimant *pigritiam* istam adversari iustitiae. Potius, cum Passerini, in 2. 2, q. 186, art. 7, n. 408, arbitramur operas non fuisse a religioso ex iustitia promissas.

An pigritia adversetur iustitiae ?

270. Perpetuum est principium, damnosam iniuriam restitutione reparandam esse. Quare :

De facienda restitutione.

1. Religiosus qui damnum intulerit communitati *per se* tenetur *restitutione*. Hanc praestabit v. gr. convertendo in utilitatem Monasterii quae in alios usus licite expendere posset, aut parcendo aliis expensis quas licite posset ex monasterii bonis facere. Non tamen debet, contra ac C. de Lugo, l. c., n. 168, autumare videtur, se ideo privare rebus ad usum suum moraliter necessariis, seu quae ad sui sustentationem referuntur (S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 26).

5. Alius autem, qui acceperit quod iniuste a religioso fuerit datum, *generatim* satisfacit restituendo rem ipsi religioso qui male expendit : quia ponit rem in eodem statu in quo invenit. Excipiunt DD. nisi timeat ne religiosus re sit abusurus. S. Alph. l. 4 (5), 31.

271. De reservatione peccati, consideranda est propria Ordinis disciplina. Saepe autem reservantur hi bini casus, qui, ex Clemente VIII [1] ab ipso praelato regulari reservari possunt :

De casibus reservatis in hac re.

1. « *Proprietas* contra *votum* paupertatis, quae sit peccatum mortale. »

2. « *Furtum* de *rebus monasterii,* sive conventus, in ea quantitate quae sit peccatum mortale. »

Priore ergo plectitur peccatum quod *contra religionem vitio proprietatis,* non aliter, committitur ; altero peccatum *contra iustitiam* si fuerit *furtum* (non mera damnificatio) et *de rebus monasterii.*

272. Adversus religiosos *proprietarios* qui res illicite *retineant,* hae praeterea decernendae statuuntur poenae (c. 1 et 6. *De statu monach.* (III, 35) ; Trid. s. 25, *De Reg.* c. 2) :

De aliis poenis iuris communis.

[1] De his cfr. infra, parte 7, c. 3.

1. Si decedant sine paenitentia, privantur sepultura ecclesiastica, et pecunia (partem saltem, monet Laym. l. 4, tr. 5, c. 7, n. 22) est cum ipsis sepelienda.

2. In carcerem sunt detrudendi.

3. Biennio privantur voce activa et passiva. Cfr. Laymann, l. c. Piat, 1, p. 269.

IV. De Peculio

Notio peculii.

273. I. Prius dicemus de eius **notione.** Peculium, *iuridice* (c. Depositi 5. § ult. D. *De Peculio*) est pusillum quoddam patrimonium. Hac voce enim designabantur olim bona quae servi aut filii separata a bonis patris familias possidere poterant. Apud *religiosos,* est quaedam derogatio illi vitae *communis* rationi [1], qua « bona quaecumque, emolumenta aliaque omnia, quae quovis titulo religiosis obveniunt, in usum religiosae familiae plene conferantur, et ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria a Conventu in communi accipiant. » Schema 3 Conc. Vat. *De regularibus.* Porro ad duplex veluti exemplar referri possunt hae derogationes.

Duplex modus detrahendi de vita communi

Etenim, vel *ex massa communi* quaedam bonorum portio distrahitur et tribuitur religioso, ut inde suo commodo et incommodo vivat ; vel permittitur tenere quaedam bona *aliunde* accepta, — v. gr. bona quae ante professionem ad ipsum spectabant, — quae monasterio non incorporantur et quibus sibi consulat. Prioris generis peculio servat vitam communem quasi *in radice,* cum omnes ex massa communi accipiant ; dum altero, si pro vestitu et victu et non pro aliqua tantum minoris momenti necessitate adhibeatur, communio penitus supprimitur. Cfr. Palmieri, n. 113.

Descriptio peculii.

Describi ergo potest peculium : *Bonum pretio aestimabile, quod, separatum a rebus monasterii, religiosus ad suos usus sinitur possidere, administrare, detinere, praeter id quod praesens ipsius necessitas moraliter requirit.*

Posteriora haec addimus verba, ne videamur cum pluribus, v. gr. Bouix II, 540, ita describere peculium, ut vestes quibus religiosus vestitur, necessarii libri, etc., sub eam cadant rationem et sic peculium vitari nequeat nisi velimus religiosum interire. Sed de alia quadam agitur bonorum fortunae copia, qnae liberae religiosi dispositioni permittitur [2].

Peculii species.

274. 1. Distingui debet peculium iuris *perfecti* et *imperfecti.* Est perfecti iuris, si factam ab initio veniam expen-

---

[1] Altera ratio est, ut eodem Praelato et iisdem legibus seu regulis utantur omnes.

[2] Cfr. Biederlack, *De iure Regularium*, qui, n. 51, satis fuse de hoc argumento disserit.

dendi bona in proprios usus Superior iam non possit auferre. Est iuris imperfecti, si facultas disponendi semper a Superiore circumscribi aut auferri possit.

Praeterea, 2. Ex vi concessionis, potest esse in *breve tempus* et quasi *per accidens* concessum, vel *diuturnum*, aut *perpetuum* et quasi *per se* moribus receptum.

Exempla quibus specie tenus tantum habetur peculium.

275. *Non est peculium :* 1. *Patrimonium* cuius *simpliciter professi* retinent directum dominium : quia haec bona in eorum utilitatem et usus privatos non convertuntur. Palmieri, l. c. n. 114.

2. Pecunia a religioso *in usus* honestos, *non* tamen *proprios*, expendenda, sive servetur a religioso, sive deponatur apud superiorem. Quae si in *pia* opera eroganda fuerit, non cadit sub votum paupertatis. Si etiam in alios usus, oportet ut accedat venia Superioris.

3. *Nec peculium* rogat qui a Superiore impetrat facultatem utendi in certum finem, v. gr. emendi libros talis argumenti, alendi parentes, etc., fructu alicuius suae industriae. Nam vel utilitas non est propria ; vel Superior, designando finem (praesertim si *specialis* sit facultas), censetur ipse uti subditi ministerio ad talem finem procurandum. Sed si passim facias sine gravi ratione, perfectioni paupertatis id adversatur.

4. *Non est peculium,* si utenda tradantur religioso vestes, libri, cetera mobilia quae personae, officio et statui congruant : sive a superiore haec proficiscantur ; sive etiam ab extraneis dono id accipiant, modo id tamquam domui datum intellegatur, et penes Superiorem sit usum subdito concedere vel etiam auferre. Tunc enim res moraliter censetur incorporata monasterio.

Sed qui sic meliora quam quae aliis competunt studiose sibi procuraverit, profecto de perfectione paupertatis aliquid derogarit.

Veri peculii exempla.

276. 1. *Peculii ratio inest* in *pecunia,* etsi forte apud Superiorem deposita, qua aliquis uti possit ad ea *sibi comparanda* quibus opus habeat ad *victum, vestitum, cubiculi supellectilem* et alia huiusmodi. Accedente tamen facultate Superioris, tali deposito acceptando et administrando non violatur paupertatis votum. Suarez, tr. 7, l. 8, c. 11, n. 45 ; Sanch. l. c. c. 19, n. 50 ; Laym. l. c. c. 7, n. 4. *Excipe* si, ut in Societate Iesu, ex decl. P. Vincentii Caraffa, non possint Superiores hanc licentiam valide concedere.

2. Habebitur peculium, ubi Religiosis vel Monialibus victus tantum tribuatur, vestitum autem labore manuum sibi comparare debeant. Fructus enim istius industriae monasterio non incorporabitur, sed a religioso in propios usus administrabitur.

3. Pariter ad peculium redit, si quis, habitualiter, ab ipso Superiore acceptam retineat *pecuniam* quam *in parvos usus proprios* proprio arbitratu convertat.

Quid de administratione rerum?

277. Quaeres, quid de administratione quorundam bonorum in commodum et incommodum monasterii ?

R. Ab illa administratione abest quidem ratio peculii. Voluit tamen Conc. Trid. s. 25, c. 2. Reg. ut administratio bonorum stabilium conventus pertineret ad solos officiales eorundem, ad nutum Superioris amovibiles. Illos ergo officio depellere poterit Praelatus, etiam, ut ait Laymann l. c. 12, si cum consensu capituli sint constituti.

Quid de vitaliciis ?

278. Quaeres de vitaliciis, seu de iis quae per vitam alicuius Religiosi sunt ipsi vel monasterio praestanda v. gr. a parentibus.

R. Ad peculium haec erunt ascribenda, si redituum horum erogatio spectet aliquo modo ad religiosum.

Contra, omnis peculii species amovetur, et plane illud licet, si summae istae rebus monasterii misceantur atque a Superiore usibus communibus deputari possint, quamvis fortasse, ex quadam aequitate, prius respiciat ad necessitates religiosi cuius intuitu solvuntur. Schmalzgrueber, in l. 3, t. 35, n. 15-17. Wernz, 650, v et nota 384. Cfr. decr. S. Congr. 22 aug. 1814, n. 10 apud Nervegna, p. 135.

Simpliciter professi pensionis eorum intuitu solutae radicale dominium acquirere poterunt, immo per se acquirent.

Quae sic *intuitu religiosi* solvuntur pensiones videntur per se hac intentione constitutae, ut cum ipso religioso domum vel provinciam mutare debeant et solvi saecularizato.

Pensiones autem huiusmodi recipi non possunt a monasteriis quae certos reditus habere nequeunt.

Moralis et iuridica aestimatio peculii iuris perfecti ;

279. II. Iam de **morali** agendum est et **iuridica** peculii **aestimatione.** 1. Peculium *perfecti iuris* adversatur voto paupertatis religiosae, ut communiter intellegitur in praesenti iure. Manifesto enim usum continet independentem.

Iuris imperfecti.

2. Quod *ad alterum genus,* a) *Per se,* isti *voto* non repugnat. Neque isti peculio obstat *ius antiquum.*

b) Secundum sententiam quae plurium auctoritate [1], rationum pondere et decretis SS. Congregationum commendatur, peculium etiam imperfectum repugnat C. Tridentino, s. 25, *De Regular,* c. 2. Excluso enim omni usu vel administratione bonorum *immobilium,* etiam annuente Superiore, Concilium non permittit privatis religiosis usum

---

[1] Suarez l. c. 14, n. 8 ; Vasquez, *De reditibus Ecclesiae,* c. 3, d. 11, n. 14 ; Lessius, l. 2, c. 4, d. 5 ; C. Petra, Const. v Bened. XII, 11, 25 ; Schmalzgrueber, l. c. n. 14, contra Passerini, l. c. p. 598 sqq. et Sanchez, c. 22, n. 11, qui contendunt a superiore iure per hoc caput non esse recessum.

mobilium, nisi eorum quae non sint superflua et respondeant statui paupertatis quem sunt professi.

c) Sed postea invaluerunt in multis Ordinibus consuetudines quibus indulgetur quoddam peculium. Consuetudines istae retineri possunt, donec S. Sedes reclamaverit vel ipsi regulares ultro ad vitam communem redierint. Ita probabilius Laym. l. c.; Bouix, II, p. 545; Mélot, p. 49, etc., contra nonnullos, ut Piat, I, p. 247, quem tamen conferas p. 249.

d) Etiam ex quibusdam constitutionibus approbatis permittitur minus perfecta vita communis.

De iure et officio Praelati in hac re.

280. 1. Consuetudo tolerabilis, cum non recipiat nisi *peculium iuris imperfecti*, semper in rigore iuris a Praelato *auferri potest*. Prudens tamen usus suadet, ut ii qui iam professi sunt non cogantur inviti ad vitam perfectam redire. Summopere laudandi sunt Superiores qui prudenter peculii usum removeant.

2. Qui autem sinat in hac re labefactari religiosam disciplinam, aut sine urgentissima causa permittat peculii introductionem, non vacat mortali, secundum S. Alphonsum, ob innumerabilia mala quorum ansa sic datur. Cfr. Laymann, l. c. 13.

De mente Ecclesiae.

281. *Mens Ecclesiae* est ut ubique restituatur vita communis. Et ex litt. 22 apr. 1851 a Praef. S. C. Ep. et Reg. ad Generales Ordinum regularium missis [1]: **a**) In omnibus *locis Noviciatus* instituenda est perfecta vita communis; **b**) In locis professorii, educationis et studii, restitui debet perfecta observantia Constitutionum uniuscuiusque Instituti, praesertim quod attinet ad paupertatem.

V. De Munerum largitione

Iura lata de hac re.

282. Quae supra, n. **263**, dicta sunt de valore probabili licentiae ad usus inhonestos datae circumscribi debent Const. Clementis VIII, *Religiosae Congregationis*, a° 1594, quam confirmavit et temperavit Urbanus VIII, Dec. *Nuper*, 1640, *quod ad largitionem munerum*. Itaque:

Iuris dispositio de muneribus.

1. *Munera de iis bonis* quae vel sunt monasterii, vel ad quae monasterium ius habet vi principii: *quicquid acquirit monachus monasterio acquirit, prohibentur* fieri cuicumque personae, *sine iusta causa et sine venia Superioris*, ad quam ex constitutionibus vel consuetudine requiri potest etiam consensus maioris partis communitatis. Nec fieri permittuntur nisi in moderata copia, atque ita ut nullum inferant notabile damnum communitati. De *levioribus esculentis, munusculis*

[1] T. 2, n. **38**, p. 302, ed. 2 vel. 3.

Et munusculis.

sufficit licentia ore data, nisi tamen res cadat sub suspicionem ambitionis. Tunc enim opus est consensu communitatis, et scripta licentia Superioris.

Causae rationabiles.

2. *Causae rationabiles* sunt, si munera fiant ex « gratitudine, conciliatione benevolentiae eiusque conservatione erga religionem vel conventum, et aliis ex sua natura actum virtutis et meriti continentibus » (Urb. VIII), v. gr. ex pietate, ut si religiosus parentibus indigentibus, cum Superioris licentia, opituletur per ea quae suo labore lucratur.

Quid de conviviis ?

Nec illicita sunt *convivia* in recipiendis benefactoribus, protectoribus vel Ordinariis, modo ne dedeceant statum religiosum.

Sanctio legis.

3. *Munera indebite recepta restituenda* sunt conventui ad quem spectant ; quod si fieri nequeat, conventui eiusdem Ordinis, qui vicinior sit loco ubi petita fuit absolutio.

4. *Ante factam restitutionem* casus est S. Sedi specialiter reservatus (sine censura). Qui tamen facultatibus fuerit impar, videtur absolvi posse, modo promittat se redditurum quam primum futurus sit solvendo. Génicot, *Theol. mor.* II, 344.

5. *Contra religiosos* in hanc legem committentes, sancitae sunt : privatio dignitatum et officiorum, inhabilitas ad ipsa, et privatio vocis activae ac passivae.

Monitore Ecclesiastico, VIII, p. 10-12 ; Palmieri, l. c. 153 ; Piat, t. 1, p. 262-266. Cfr. Rotarium, t. 2, l. 3, c. 3.

N. B. Ut notat Génicot, op. c. II, 96 : Hae prohibitiones *positive* non afficiunt Congregationes votorum simplicium.

§ 2. *De Voto Castitatis*

S. Thomas, 2, 2, q. 186, art. 4. 6 ; ***Passerini.*** *De hominum statibus,* t. 1, in 2, 2, q. 186, art. 4, p. 492 sq. ; ***Sanchez,*** *In Decalogum,* l. 5, c. 6 ; ***Suarez,*** *De Religione,* tr. 7, l. 9 ; ***Lessius,*** *De iustitia,* etc. l. 2, c. 41, n. 78 ; ***Pellizarius,*** *Manuale,* etc., tr. 4, c. 3 ; ***De Monialibus,*** c. 4, s. 2 ; ***Rotarius,*** *Theologia mor. Regul.,* t. 2, l. 4 ; ***Schmalzgrueber,*** in l. 3 Decr. t. 35, n. 44-54 ; ***Schmier,*** *Iurisprudentia canonico-civilis,* l. 3, p. 289 ; ***Bouix,*** *De Iure Regularium,* t. 1, p. 1, s. 3, c. 2, p. 68-86 ; p. 4, s. 3, c. 5, p. 668 sqq. ; t. 2, p. 6, s. 5, c. 2, p. 566 ; ***Mélot.*** *De Ordinibus,* etc., n. 40 ; ***Biederlack,*** *De iure regularium,* n. 57-60 ; ***Piat,*** *Praelectiones iuris regul.* t. 1, p. 270-283. 479-482 ; ***Angelus a SS. Corde*** *Manuale,* t. 1. p. 268-275 ; ***Wernz,*** *Ius decretalium,* t. 3, n. 654. *Monumenta,* cfr. p. 378, 379.

Vis voti in universum.

283. Voto castitatis prohibetur religiosus, *ex motivo Religionis, omni luxuria* interna et externa. Etenim, ex communi intellectu, et ut rei fert natura, idem est obiectum materiale virtutis quod voti castitatis. Ex voto accedit meritum virtutis religionis, aut contraria malitia sacrilegii.

Non repugnat tamen ut votum violetur intacta castitatis virtute: puta quempiam, adversus privatum castitatis votum, uxorem ducere et matrimonio uti. Peccatum uni adversabitur Religioni.

Nonnulli violationem *sollemnis* voti arguunt *strictioris* sacrilegii; sed ob sollemnitatem non variare speciem, vidimus n. **84**.

Regimen voti sollemnis,

284. 1. *Votum sollemne* castitatis in professione religiosa emissum:

a) *Solvit matrimonium ratum* non consummatum;

b) Est *impedimentum dirimens* futuri matrimonii.

Simplicis.

2. Votum *simplex*.

a) Numquam solvit matrimonium iam contractum;

b) Nec *per se*, licet ex privilegio hoc ei competat in Soc. Iesu, est impedimentum *dirimens*, sed tantum impediens;

c) Dispensatio tamen voti simplicis reservatur S. Sedi [1], nisi, ex dispositione positiva, per *dimissionem* legitimam, omnia vota religiosa solvantur.

Praesidia istius voti.

285. Ad tutandam castitatem religiosam, sancitur *clausura*, de qua infra, n. **301** sq. et *reservatio peccati*, de qua statim.

Praeterea, qui, post sollemne castitatis votum, matrimonium attentare *praesumpserit*, plectitur, ipso facto, excommunicatione reservata Episcopo; quod si matrimonium consummaverit, irregularis fit ob bigamiam similitudinariam [2].

De Peccato reservato.

286. Inter casus *Clementinos* (seu qui reservari valent ab ipso Superiore, et in multis Ordinibus re vera reservantur) reperitur 6us: *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus*. Cuius casus haec est interpretatio:

a) Ut lapsus sit *opere consummatus*, requiritur species luxuriae consummatae, sive iuxta sive contra naturam; ac proin, in viro, *seminis effusio*. Non sufficit distillatio.

b) *Voluntarius*. Ne vox superfluat, intellegi potest lapsus voluntarius *in se*, ex intentione istius effectus. Hanc non habet qui, sine intentione pollutionis, vult tantum legere prava.

c) Plures immo requirunt, ut effectus intentus procuretur actione *externa* mortaliter in genere luxuriae peccaminosa. Unde non commiserit casum qui procuraverit pollutionem fovendo desiderium, aspiciendo partes honestas.

d) Si quem autem, ante pollutionem paeniteat, is non committit probabiliter casum. Cfr. Piat, 1, p. 479-482.

---

[1] Plerumque, saltem si votum fuerit perpetuum, non conceditur nisi ad usum unius matrimonii, quo dissoluto, iterum ad S. Sedem fuerit recurrendum, ut novae nuptiae permittantur.

[2] Attentatio matrimonii habetur etiam per matrimonium clandestinum, immo civile, etiam ubi promulgatum est decretum *Tametsi* S. Offic. 22 dec. 1880.

§ 3. *De Voto Obedientiae.*

S. Thomas, 2, 2, q. 104. 105. 186, art. 5. 6. 8 et 9; *De perfectione vitae spiritualis*, c. 10. 12; *Passerini, De Hominum Statibus*, t. 1, in 2, 2, q. 186, art. 5. 6. 8, p. 494-498 et p. 660 sqq.; *Suarez, De Religione*, tr. 7, l. 10; tr. 10, l. 4, c. 12-15; *Sanchez, in Decalogum*, l. 6; *Lessius, De iustitia*, etc., l. 2, c. 41, n. 76-77; c. 46, n. 22 sqq.; *Pellizarius, Manuale Regularium*, tr. 4, c. 4; *De Monialibus*, c. 4, s. 3; *Rotarius, Theol. mor. regul.* t. 2, l. 2, c. 1. 2; *Schmalzgrueber*, in l. 3, Decr. t. 35, n. 55-83; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, p. 289; *Bouix. De iure regularium*, t. 1, p. 1, s. 3, c. 4, p. 108 sqq.; t. 2, p. 6, s. 1, c. 3, p. 425-452; s. 5, c. 3, p. 567-571; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 41-55; *Palmieri, Opus theologicum*, tr. 9, c. 1, n. 163-189; *Biederlack, De iure regularium*, n. 61-67 et 70, 71; *Piat, Praelectiones iuris regul.* I, p. 283-295; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc. I, p. 236-267; *Wernz, Ius decretalium*, n. 652-654.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 379-381.

I. De varia honestate Oboedientiae ex virtute et voto

Varia oboedentiae ratio.

287. Oboedientia, quae *in universum* dicit *obtemperationem alterius significatae voluntati, distinguitur :*

Necessaria vel perfecta :

1. *Necessaria* vel *perfecta*, idque sive ex *obiecto* sive ex ratione *obsequii.*

Ex obiecto,

Ex *obiecto necessaria* est quae exsequitur praecepta legitima; *perfecta* qua cuilibet honestae Superioris voluntati mos geritur et facile alter homo habetur pro Superiore.

Ex obsequii modo.

Ex *obsequii* modo est *necessaria* quae iussa efficit tunc cum debet; *perfecta* vero quae, in faciendo promptissima, tribuit subdito idem *velle* quod Superiori, immo, quantum in rebus non evidentibus id patitur natura intellectus, idem *iudicare.* Concreta igitur est triplici obsequio, *effectus, voluntatis, intellectus.* De qua perfecta oboedientia exstat praeclara S. Ignatii epistula.

Oboedientia necessaria rursus est formalis vel materialis.

Oboedientia *ex obiecto necessaria* est *formalis* vel *materialis : formalis*, qua animus inclinat ad exsequendum opus praeceptum quia praeceptum est; *materialis*, qua ex quolibet alio motivo obtemperatur iussioni.

Virtus ad quam pertinet oboedientia formalis,

Formalis oboedientia ascribitur ad virtutem specialem oboedientiae. In hoc enim perspicitur peculiaris ordo vel honestas, ut inferiores a Superioribus moveantur.

Materialis,

Materialis oboedientia comitatur omnem exsecutionem actus praecepti, nec, si bona est, speciali regitur virtute, sed laus est eius virtutis ad quam pertineat ipsum praeceptum vel propria agentis intentio, et necessariam continet humilitatem.

Perfecta.

Oboedientia perfecta a quibusdam ad virtutem specialem refertur, a nobis autem ad *humilitatem*. Est enim laudabilis

moderatio appetitus propriae excellentiae, quae laus est humilitatis.

Qui tamen eandem coluerit eo consilio ut in *necessaria* oboedientia confirmet animum, is sibi etiam, ob hanc animi praeparationem, meritum comparaverit specialis oboedientiae.

Cfr. de his plura in nostris *Quaest. moral. selectis,* vol. 1.

Oboedientia theologice accepta et vulgo dicta ;

2. *Stricte vel theologice accepta* et *vulgo dicta,* ut aiunt. Prior est *necessaria,* altera est *perfecta,* potissimum ex obiecto.

Caeca, indiscreta ;

3. *Caeca,* discreta tamen, quae, quo sit promptior et alacrior, abstinet examinandis rationibus, in his tamen quae iam aliunde perspiciuntur esse honesta ; et *indiscreta,* dicta etiam caeca, quae oboedit etiam in illicitis.

Debita ex promissione vel ex alio titulo.

4. *Promissa* vel debita *altero titulo :* ex pietate, observantia, etc. Promissio rursus, *homini* facta, obligare potest ex sola *fidelitate* vel etiam *ex iustitia,* ut si intercedat ratio pactionis ; *Deo* facta, parit necessitatem religionis.

De voto oboedientiae religiosorum.

288. *Votum oboedientiae religiosorum* est *promissio Deo facta oboedientiae quae debetur in vita religiosa.*

Duplex ratio voti oboedientiae.

1. Quod ut bene perspiciatur, observes votum oboedientiae esse genere duplex. Possum enim mere, sine obligatione ad alterum hominem, Deo promittere me facturum quod ille alter iusserit : quo pacto alter nullatenus fit meus Superior. Atque haec est melior ratio qua laudabile fit votum obtemperandi confessario quem elegeris prudentem. Quamquam facultas mutandi Confessarii etiam ab eo servari potest qui sibi Confessarium elegerit in Superiorem.

Vel possum promittere Deo oboedientiam quam simul, immo in priore rationis signo, debeo alteri qui per se vel ex ultronea mea deditione est mihi legitimus Superior.

Agedum, status perfectionis infert de se obtemperationem hierarchiae ecclesiasticae in his quae ad disciplinam perfectionis pertinent [1]. Praeterea coenobitica ratio istius status seu vita communis dicit Superiorem aliquem Instituto interiorem, cui quasi domesticae potestati est iam ex tacita pactione parendum a quovis qui in domum seu communitatem recipitur.

Posterior est religiosorum.

2. Quia igitur eo spectant substantialia vota religiosorum ut nexu promissionis ad Deum firment statum religiosum, apparet posteriore modo voveri oboedientiam a religiosis. Ceterum, eo quod Praelatus regularis *exigere* valet oboedientiam seu voti exsecutionem, manifestum facit oboedientiam ipsi *deberi.* Facultas enim exigendi est argumentem iuris.

Nec raro idem proditur ipsa voti formula, qua non soli Deo sed ipsi etiam Praelato diserte promittitur oboedientia. Cfr. S. Thomam, 2, 2, q. 88, art. 5, ad 3 ; Suarez, op. c. tr. 7, l. 10, c. 2, n. 10-13 ; Palmieri, n. 165.

---

[1] Cfr. dicta supra, n. **16**,3.

Obligatio voti accedit ad obligationem pactionis.

In religioso itaque *obligatio voti accedit ad obligationem pactionis*. Utrumque tamen fit religionis causa. Quare obligatio videtur tota quanta ad religionis virtutem posse referri.

Idque plenius vel minus plene.

Accedere tamen potest pleniore vel minus plena ratione. Possunt enim religiosi in faciendo oboedientiae voto mere ad personalem respicere subiectionem qua Superioribus legitimis vel omnibus vel quibusdam subsunt, vel totum religiosae oboedientiae debitum suo voto firmare.

Priore modo si voverint oboedientiam, leges Regularium propriae eos non tenebunt vi voti, quod tunc tantum violabitur quando praecepta, secundum regulas, ab iis dabuntur Superioribus quorum potestas est voto confirmata. Altero vero modo factum votum omnem complectitur religiosae oboedientiae ambitum.

Porro uter modus vigeat, id ex usu Institutorum est eruendum, ita ut in dubio pro minima respondeas obligatione.

Posseine Superior praecipere ita ut nulla sit voti obligatio?

Quaeres utrum Superior, qui praeter dominativam potestatem fruatur iurisdictione in regulares, quidpiam possit religiosis stricte praecipere ita tamen ut ipsos mere liget sua iurisdictione, non autem voto, an contra, omnis violatio praecepti necessario etiam adversetur voto.

Prius a quibusdam propugnatur, nominatim a Biederlack [1]. Ac posse sic circumscribi voti vim non negamus. Sed existimamus votum potius hac fieri ratione ut religiosus debeat ex voto legitimis Superioribus suis, iis saltem qui intra Ordinem sunt, parere. Nequit tunc Superior sua voluntate obligationem voti a vero suo praecepto separare.

II. De vi voti Oboedientiae et peccatis contrariis

De voto sollemni et privato.

289. 1. Distinguitur quidem votum *sollemne* et *privatum*. Sed, excepto contractu matrimoniali, ille qui sollemni voto tenetur nulli peculiari obnoxius est inhabilitati. Cfr. De Buck, *Epistula de sollemnitate*, etc. p. 59-64 ; Lehmkuhl, 1, 534, et alios, inter quos etiam Wernz, Scholion ad n. 652, contra Gury, *Theol. mor.* t. 2, n. 170, Piat, t. 1, p. 294.

Utriusque vis communis.

2. Quare communis utriusque efficacia huc spectat, ut, in his in quibus debet Religiosus parere, nequeat firmam contrahere obligationem. Immo possit Superior iam in antecessum vetare actum, qui tunc erit ab initio nullus.

Similiter *vota religiosi* per se valent, sed infirmari possunt a Praelato. Id tamen potius ex ecclesiastica ordinatione habetur.

---

[1] N. 672.

290. Ex voto oboedientiae religiosus **parere debet :**

Quibusnam sit ex voto oboedien-dum,

1. Iis qui *interno* Instituti vel domus regimini praeponuntur : itaque praeter Superiores maiores, Superiori religioso principali singularum domorum, atque iis etiam quibuscum Superior suam communicaverit potestatem, ea ratione ac modo quibus, secundum receptos usus, ipsi est visum.

Intra Ordinem.

Usus potius est ut iis qui non praesunt domui non sit stricte ex voto obtemperandum. Eorum tamen iussiones qui Superiores esse possunt, rationem imitabuntur regularum quae per se non obligant sub peccato [1]. Nihilo minus contemptus eorum auctoritatis gravis fuerit reatus. Praeterea et ipsi, immo quilibet, possunt ex mandato Superioris qui caput est communitatis, praecepta sub peccato indicere.

Quid de Superioribus principalibus.

Quare *potestatem in virtute s. oboedientiae* habent etiam Superior vel Superiorissa Congregationis non exemptae.

Quid de Superiore Congr. non exemptae.

2. Iis qui extra Institutum praecepta de vita regulari dare possunt, quatenus ex professionis formula vel usu votum ad ipsos referatur,

Extra Ordinem.

Multi arbitrantur votum oboedientiae esse etiam factum S. Pontifici. Contra sentiunt de Sacris Congregationibus, quae iurisdictionali tantum non autem dominativa potestate Instituta regere videntur.

Quid de Papa ? De SS. Congregationibus ?

In Institutis dioecesanis existimant etiam communiter esse ex voto Episcopo parendum. Haec omnia potius ex receptis moribus sunt diiudicanda : namque formulae votorum plerumque de solis Superioribus internis verba faciunt.

De Episcopo ?

Ex Concilio plenario Americae latinae, art. 331 [2], debent Instituta votorum simplicium ex voto oboedientiae parere etiam Sacris Congregationibus Romanis quando alumnis Institutorum regularium qua talibus quidpiam praecipiunt.

Observes denique, praecepta in virtute oboedientiae non semper referri ad votum prius factum. Huiusmodi praecepto exigitur quaevis debita oboedientia. Atque ita, S. Congregationis Concilii decretum *Vigilanti studio*, 23 maii 1893, de Missarum stipendiis, grave continet oboedientiae praeceptum etiam laicis intimatum.

Praeceptum in virtute oboedientiae non denotat votum necessario.

3. Regulis et propriis Regularium legibus, si ita votum accipitur.

Quid de regulis ?

Numquam autem est *ex voto oboedientiae* parendum ei qui non potest praeceptis suis vitam *regularem* seu *religiosam* dirigere. Ita Episcopus quod ad Ordines et Instituta ecclesiastica virorum.

De iis qui ecclesiastica tantum ferunt praecepta.

---

[1] Minus nobis placet quod habet de hoc argumento P. Biederlack, qui n. 62 videtur vim *per se* ligandi conscientiam agnoscere etiam iis Superioribus qui iurisdictione carent, nec praecipere possunt ex voto.

[2] Cfr. t. 2, n. **76**, p. 381.

De his optime scribitur in actis Concilii Americae latinae : « Tenentur tandem oboedire, *in vim ecclesiasticae iurisdictionis*, Ordinariis locorum, tenore sacrorum canonum et Constitutionum Apostolicarum. »

Materia voti remota.

291. Materia remota [1] voti continetur iis omnibus quae vel *explicite* regula exhibentur, vel *reductive* ad eam pertinent, quatenus ad observantiam regulae saltem valde sint convenientia : ita mutua obsequia, congrua poena delictis. Vovent enim religiosi oboedientiam *secundum suam regularem conversationem*. S. Thomas, 2, 2, q. 104, art. 5, ad 3.

Excluduntur ergo :

a) *Inhonesta,* quae divinae legi repugnant ;

b) *Contraria regulae,* ut praedicatio in religione contemplativa, nisi Superior valeat dispensare ;

c) *Nimis heroica* quae sint *supra* vel *extra* regulam : ut religioso non hospitalari cura infirmorum pestilentiae contagio afflictorum, nisi sint eiusdem familiae vel extrema sit necessitas spiritualis subsidii [2] ; militia extra ordinem militarem ; missiones ad exteras gentes quae Instituti fine non contineantur ; macerationes extraordinariae.

d) Plane *inutilia* vel *ridicula,* quatenus infra sunt regulam. Huiusmodi quidem postulari possunt ad exercendam oboedientiam ; pertinebunt tamen regulariter ad oboedientiam perfectam, potius quam ad necessariam. Cfr. Palmieri, l. c. n. 175. 176 ; severius Piat, t. 1, p. 293.

Perspicitur, pro vario fine Instituti, haec latius vel minus patere.

Quid si regula dicat parendum in omnibus ?

292. Quaeres, quid si regula, ut S. Francisci et Societatis Iesu, dicat parendum esse in omnibus ubi peccatum non cerneretur ?

R. Etsi verba tam gravia aliquid plus sonare videntur, nihilo minus, ut plerique volunt, intellegenda sunt *intra fines Instituti* et *regularum,* ita ut de reliquis mere detur *consilium* obtemperandi. Ita Suarez, *De Religione*, tr. 10, l. 4, c. 12 ; Sanchez, l. c. c. 2, n. 16 ; Lehmkuhl, *Theol. mor.* 1, 537 ; Palmieri, l. c. 1, 176. Sunt tamen qui strictius huiusmodi interpretantur constitutionem. Ita Lessius, c. 41. n. 77 ; Piat, t. 1, p. 293.

De actibus internis.

293. Actus interni stricte praecipi non consueverunt. Praecipi posse, contendunt multi [3] ; quod alii tamen, non minoris subsellii, negant [4], et melius quidem, ut nobis vide-

---

[1] De hac cfr. potissimum Sanchez, l. c. c. 2.

[2] S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 40.

[3] Suarez, *De legibus*, l. 4, c. 12, n. 16 ; Schmalzgrueber, in l. 3, t. 35, n. 67. 68 ; Lehmkuhl, 1, 537 ; Palmieri, l. c. n. 183 ; Piat, t. 1, p. 288.

[4] S. Thomas, q. 104, art. 5, c. fine ; Sanchez, l. c. c. 2, n. 6 ; C. de Lugo *Responsa moralia*, l. 6, c. 7, n. 11.

tur ; cum oboedientia quae homini debetur, qualis est religiosorum (cfr. n. **288**, 2) non videatur excedere posse mutuam hominum conversationem, quae externis actibus circumscribitur. « Possunt tamen, addit C. de Lugo, l. c. actus interni ut oratio mentalis, examen conscientiae, esse materia oboedientiae minus rigorosae, nempe non obligantis sub rigoroso praecepto, sed dirigentis et regulantis actus subditi, quod sufficit ad exercendum actum virtutis oboedientiae circa illa opera, ut explicat Suarez, tr. 10, l. 4, c. 13, n. 3 ; et c. 14, n. 16. »

Quaenam imponi possit restitutio disciplinae.

294. Restitutio collapsae disciplinae : 1. Si eo spectet ut exigantur ea quae necessaria sunt ut vota observentur aut Instituti finis obtineatur, omnibus imponi potest. Unusquisque enim existimatur promisisse id quod requireretur ad ipsam Ordinis conservationem. Immo contraria consuetudo, utpote non rationabilis, nullam vim habere potest [1].

2. Peculiaria quaedam puncta, ut alicuius regulae neglectae innovatio, semper exigi possunt nec transcendunt consuetam Praelati vim praeceptivam. Similiter fas erit tollere licentias quasdam de se revocabiles, v. gr. habendi peculium.

3. Non autem videntur ii qui secundum mitiorem observantiam professi sunt cogi posse ad severiorem tenorem vitae qui ad substantiam religiosi status non pertineat [2].

4. Immo, ut prudens sit ratio agendi, mitior saepe suadetur usus. Quandoque S. Pontifex paulatim exstinguit conventus ubi collapsa est disciplina, prohibendo ne admittantur novicii. Cfr. etiam decretum de vita communi 22 april. 1851. (T. 2, n. **38**, p. 302. ed. 2 vel 3.)

5. Maiorem tamen habet facultatem S. Sedes praecipiendi regularibus quae ad bonum Ecclesiae videntur postulari dummodo ne nimis sint heroica. Cfr. Biederlach, n. 71.

Quid in dubiis de potestate Superioris,

295. 1. **In dubiis** de *potestate Superioris*, praesumptio stat pro Superiore ; saltem cum res pertinet ad genus in quo constet Superiorem praecipere posse. Si autem gravis ratio suadeat Superiorem nihil in eo genere posse, non videtur ratio cogens stricte obligandi subditum. Sic Lehmkuhl, 1, 537.

De honestate rei.

2. In dubiis autem *de honestate rei*, si Superior praecipit quod *probabiliter* est honestum, parendum est, quia ipsi certum competit ius praecipiendi. Contra Lessium tamen, c, 41, n. 76.

---

[1] Si quidem benigniore usu ea tantum invalescere possunt quae nullam legem naturalem vel divinam, nulla itaque vota vel obligationes religiosorum pessumdant. Consuetudini illegitimae, dummodo ne sit in se peccaminosa, licebit *singulis* religiosis morem gerere, dummodo pro viribus eam abrogare studeant. Cfr. Biederlach, n. 50.

[2] Alii tamen aliter distinguunt. Cfr. Sanchez, l. c. c. 2 ; Lehmkuhl, t. 1, n. 538 ; Piat, t. 1, p. 286 sq.

Et in dubiis *negativis*, ex prudentia et religione qua pollere solent Superiores et auxilio divino quod ipsis adesse merito speratur, est cur subditus se simpliciter committat gubernationi Superiorum, ita ut, nisi appareat peccatum, oboediat absque ulteriore examine. Cfr. Suarez, op. c. tr. 7, l. 10, n. 8. 9 ; C. de Lugo, *Responsa moralia*, l. 3, d. 19 ; Palmieri, l. c. n. 188.

Voti oboedientiae materia proxima.

296. Materia proxima voti oboedientiae complectitur *praecepta stricte talia* quae regularibus *qua talibus* imponuntur vi *potestatis dominativae* vel *iurisdictionis*. Cfr. dicta n. **16** et **288**.

Praecepta stricte talia, i. e. quibus velit Superior teneri conscientiam, ita ut omitti nequeant sine peccato.

Regularibus qua talibus, seu quae ad proprium ipsorum statum seu disciplinam referuntur, non mere ad communem civium vel christianorum condicionem.

Exempla.

Itaque, *contra votum non facit* religiosus :

Qui praetermittit *consueta* Superiorum mandata. Solent enim esse monita tantum, quibus plerumque ad strictum praeceptum non devenitur.

Qui rumpit *communia* fidelium praecepta sive Dei sive Ecclesiae.

Qui regulam neglegit sub peccato praescriptam, erit vel non reus *violati voti*, ex modo quo, ex Instituti usu, votum existimatur vel non etiam ad regulam referri. Si tamen regula mere idem proponat quod praeceptum commune iuris divini vel ecclesiastici, per se putatur nullo novo astringere nexu et monere dumtaxat de officio iam praescripto.

Notae praecepti stricte talis,

297. Ex Ordinum vario usu colligendum est quandonam Superior putandus sit stricte, i. e. sub peccato, praecipere.

Per se,

1. Haec traditur regula sat generalis. *Levem* imponit obligationem Superior qui voluntatem suam significat per verba : *Iubeo*, *Praecipio*, vel similia ; *gravem* autem, si cum fert materia, praecipiat *In nomine D. N. I. C.* vel *In virtute oboedientiae*, vel *Sub excommunicatione sine nova monitione incurrenda*, vel sub alia poena gravem inferente culpam. R. P. Lehmkuhl tamen, 1, 536_5 putat voluntatem obligandi sub peccato etiam ex adiunctis damni gravis vitandi, aut perturbationis domesticae impediendae, satis constare posse.

Ex usu quarundam Religionum.

2. In *Societate Iesu* et in aliis quibusdam Religionibus non censetur Superior proprie praecipere ne *sub levi* quidem, per verba : *Stricte praecipio*, *Sub praecepto iniungo*. Sed oportet ut iubeat *In nomine D. N. I. C.*, vel *In virtute oboedientiae*, aut saltem alia ratione clare suam voluntatem exprimat, per appositam poenam exigentem peccatum mortale, vel diserte dicendo se obligare sub peccato. Cfr. Sanchez, *in Dec.* l. 6, c. 4, n. 70 ; Laymann, l. 4, tr. 5, c. 9, n. 3 ; Mélot, n. 43.

298. Peccat contra votum oboedientiae:

Peccata contra votum. Exempla:

1. Qui in universum *se exuere conatur ex superiorum dominatu*, v. gr. per apostasiam, fugam; illicite procurando suam expulsionem. Quod grave esse per se patet.

De violatione ex contemptu.

2. Qui *contemnit* formaliter superioris auctoritatem, dum v. gr. Superiori iubenti respondet : *Nolo oboedire*, *Nolo facere*, *Non faciam*. Oportet tamen ut simpliciter et absolute contemnat iussum superioris. Nam si neget oboedientiam quia res ipsi videatur inutilis, ridicula, iam non est contemptus totius potestatis [1].

Contemptus ille formalis inducit mortalem reatum etiam si res levis agatur, aut responsum detur illi qui non potest proprie praecipere sub peccato. Ratio est, quia gravitas desumitur ex contemptu auctoritatis, quae aeque in re parva atque in magna, in delegato atque in Superiore ipso contemnitur. Cfr. dicta de contemptu regulae, n. **232**.

3. Qui *violat praeceptum* Superioris obligans sub peccato.

De iure appellationis.

N. B. A mandatis Superiorum, non potest aliquis, saltem in casibus ordinariis, appellare ad Praelatum maiorem, ita ut interea immunis sit ab obligatione exsequendi. *Recursus*, seu impropria appellatio, semper permittitur. Cfr. Palmieri, 189, fine; et infra, ubi de Praelatis.

De malitiis specificis peccati contra votum.

299. 1. **Peccatum contra votum** oboedientiae est necessario *sacrilegium*.

2. Adversatur praeterea virtuti *humilitatis* quae colitur oboedientia religiosa. Quod confirmatur dicto S. Alphonsi l. 4 (5), n. 46, cum affirmet peccari simul contra virtutem oboedientiae. Haec enim non est specialis, sed re eadem atque humilitas.

Quamvis inoboediens violet foedus quoddam initum cum religione et praelato, causa religiosa istius pacti id efficit ut haec malitia in priorem contra Religionem recidat atque existimetur ab ea non differre. Cfr. Suarez, t. 10, l. 4, c. 12, n. 4 ; Palmieri, l. c. n. 165. 166.

3. Per contemptum formalem Praelati, committetur in *specialem* oboedientiae virtutem.

4. Si praeceptum oriatur ex potestate *iurisdictionis*, v. gr. si proponatur per regulam, accessio fit malitiae contra virtutem in cuius materia praeceptum versetur.

Observes tamen, eo quod Praelatus praecipiat *sub censura*, non continuo colligi posse se in *praecipiendo* usum esse iurisdictione. Valet enim praecipere ex dominativa potestate et uti iurisdictione dumtaxat ad addendam sanctionem censurae. Cfr. Suarez, tr. 7, l, 10, c. 7, n. 6.

---

[1] Quare, salva Superioris reverentia, culpa de se non transcendit gravitatem praecepti.

Cur non praestat frequenter praecipere sub peccato?

300. Quaeres, *nonne praestaret frequentius reatum inducere peccati*, ne religiosus careat merito voti?

R. Minime. Etenim: 1. Etsi votum non respicit directe nisi praeceptum obligans *sub peccato*, sine negotio tamen, etiam cum Superior stricte non iubet ex voto, religiosus sibi, ex intentione qua movetur, comparat meritum *religionis*. Idque eo facilius quo magis novit se omnem vitam ad cultum divinum ordinasse.

2. Neque exsulat omne meritum voti reduplicative talis, cum votum causa sit remota actus quem nunc facit, et in illo peragendo quasi tacite votum agnoscat et confirmet.

3. Dum Superioris praevertit praecepta, religiosus perfectioris *humilitatis* sibi comparat laudem, imitatus Christum qui ex mero beneplacito Patris mortem crucis est perpessus.

4. Ipsum beneplacitum Superioris, si consideretur ut inchoatio praecepti, expleri potest ex formali intentione oboedientiae.

5. Denique, frequentes iussiones ex virtute S. Oboedientiae non parvas cierent anxietates et perturbationes; dum suaviore disciplina inducuntur subditi ad agendum in *spiritu amoris et caritatis*, quo nihil excellentius esse possit.

ARTICULUS IV. De Nonnullis Obligationibus subsicivis

§ 1. *De Obligatione Clausurae*

***Passerini**, De Hominum statibus*, t. 3, in 1, 2, q. 189, art. 8, p. 460 sqq.; ***Sanchez**, In Decalogum*, l. 6, c. 15-17; ***Suarez**, De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 6-10; ***Pellizarius**, Manuale Regularium*, tr. 5, c. 6; tr. 10, c. 5; *Tract. De Monialibus*, c. 5 et c. 6, n. 22; ***Rotarius**, Theol. mor. regul.* t. 2, l. 2, c. 3; ***Reiffenstuel**, in* l. 3 Decr., t. 35, n. 26-79, ***Schmalzgrueber**, in* l. 3 Decr., t. 35, n. 98-131; ***Schmier**, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, p. 192; ***Bouix**, De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 5, c. 7 et 8, p. 589-619; ***Biederlack**, De iure regularium*, n. 72-77; ***Piat**, Praelectiones iur. reg*, I, p. 343-398; ***Angelus a SS. Corde**, Manuale*, etc., I, p. 398-439: ***Palmieri**. Opus theol.*, tr. 9, c. 1. n. 158-162, ***Wernz**, Ius Decretalium*, n. 658, ***Bastien**, Directoire canonique*, 272-280.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 382-405. (ed. 2 vel 3.)

I. De Communi ratione Clausurae

Clausurae formalis notio.

301 *Formalis* clausura est summa sanctionum canonicarum quibus religiosi prohibentur ne libere ipsi egrediantur vel extranei ne libere ingrediantur definitum spatium quo continetur clausura *materialiter* sumpta.

Quinam teneantur legibus clausurae?

302 1. *Communibus* Ecclesiae *legibus* et *censuris* astringuntur dumtaxat *religiones proprie dictae*. Origo porro istius obligationis repetenda est ex regulis et consuetudine, ad quas dein accesserunt decreta Conciliorum et SS. PP.

2. Quod *ad Instituta votorum simplicium,* considerandae in primis sunt uniuscuiusque Constitutiones.

Quod ad *Congregationes mulierum,* etiam quae Romae sunt approbatae, valent Episcopi clausuram inducere eamque censura munire [1]. Et recens Constitutio *Conditae a Christo,* c. 2, IV, diserte vult Episcopis sua in hac re manere iura. Immo hortatur Episcopos ut caveant ne *partialis* quidem clausura, qua quaedam utuntur Instituta, neglegentia tabescat. Partialis ista clausura huc saltem spectat, ut reservetur pars aliqua domus ex qua ceteri excludantur.

Quandam clausurae rationem, Constitutionibus pressius definiendam, omnibus Institutis iniungunt Normae [2].

N. B. Monent scriptores satis in hac re deferendum esse consuetudinibus Religionum, quae in accidentalibus saltem punctis [3] strictam vim legum rationabiliter temperare valeant. Cfr. v. gr. Reiffenstuel, in l. 3, t. 35, n. 46 et 66.

II. De Clausura virorum

303. I. Quod ad **clausurae spatium,** 1. Clausurae leges positivae afficiunt tantum *conventum* proprie dictum. *Materiali clausura afficitur conventus proprie dictus;*

Immunis itaque est: a) *Conventus nondum* exstructus. Ad Superiorem spectat definire quodnam sit, aedificato monasterio, initium obligationis.

b) Domus in qua *temporalem sedem* constituerunt religiosi suis aedibus pulsi, etsi speciem quandam habeat domus religiosae.

c) Domus *rustica* ad quam subinde se conferunt religiosi, relaxandi animi gratia. Palmieri, l. c.

Sed ex sententia communi, clausurae leges afficiunt eas domus in quibus duo vel tres religiosi semper permanent, et eo quo possunt modo vitam regularem ducunt. Quamvis enim dicantur hospitia, perpetua habitatio eas potius parvos conventus efficit. Cfr. Piat, Prael. in usum FF. M. C, t. 1, p. 344 nota 4, Wernz, n. 658, nota 479.

2. Sed *per se* clausurae obnoxium est *totum spatium* intra saepta monasterii comprehensum, i. e. omnia loca ad quae aditus non est nisi per ianuam qua patent interiora conventus. Unde ad clausuram *necessario* pertinent cellae, officinae, valetudinarium, culina, etc., horti, viridaria continua, seu quae a conventu non sunt clavi et muro separata. *Per se totus.*

---

[1] Cfr. Decl. S. Cong. Ep. et Reg. in Parisiensi, 1 aug. 1839. (T. 2, n. 88, p. 403, ed. 2 vel 3.) In Belgio nulla est *censura* episcopalis, nec sunt moniales stricte dictae. Nec etiam conventus mulierum qui *pontificia* clausura afficiatur.

[2] Art. 170. Quid Normas praeterea statuant, habes t. 2, p. 145, 146, n. 80-82. (ed. 2 vel. 3.)

Loca excepta.

Attamen : a) *Ecclesia, chorus,* et aliquando, ut verisimile est, *sacristia* (i. e. quando ab ipsa Ecclesia ad eam *immediatus* est accessus), *in odiosis,* censentur extra clausuram, non autem *in favorabilibus.* Quare ad haec sine licentia se conferre possunt Regulares.

b) *Ex consuetudine,* admitti possunt, iuxta ianuam publicam, cubicula ad colloquendum, in quibus etiam feminae admittantur, modo sint separata ab interiore parte conventus, nec ad ea religiosis sit liber aditus. Palmieri, l. c. p. 94.

Quae definitio spectet ad Superiorem.

3. Superior provincialis terminos clausurae secundum Ordinis consuetudines et loci exigentias definire debet. Non potest tamen loca quae ius vult clausura contineri, hac eximere lege.

De prohibito egressu.

304. II. De priore clausurae lege, qua vetatur **egressus**, haec sunt observanda.

Quo iure id sit vetitum.

1. Plures canones corporis iuris invehuntur contra monachos vagantes extra claustra [1] ; et C. Tridentinum c. 4, s. 25, *De Regularibus,* vult ut ii etiam qui studiorum causa adeant Universitates non habitent nisi in Conventibus.

Accuratius, decreto suo *Nullus omnino,* § 18-21, Clemens VIII imposuit diligentem ianuae custodiam, et hunc tantum permisit egressum qui fieret ob iustam *causam,* ex *speciali licentia, cum socio* a Superiore designato, et *impertita benedictione.* Verum, ut vidimus n. **185**, 3, non constat hanc Constitutionem obligare extra Italiam.

Itaque, partim ex usu, partim ex scripta lege, prohibentur religiosi e claustris egredi sine licentia. Atque ipsum schema C. Vaticani voluit socium comitari, nisi Superiori locali aliter videatur. Constit. *De Clausura,* c. 2. Cfr. *Collect. lacensis,* t. 7, c. 681.

Vis prohibitionis.

2. Prohibitio ista est *ex genere* suo *gravis ;* excusat tamen exigua materia.

Gravis autem existimatur *egressus sine licentia,* si fiat vel *noctu* vel ad *notabile tempus,* etiamsi absint prava consilia.

Quid nox ?

Quaeres, *quid sit nox ?* Nox, stricte, est spatium quod intercedit inter utrumque crepusculum. Sed videtur *moraliter* esse intellegenda praesertim in nostris mediae Europae regionibus, de tempore quo *per se* mirum sit saeculari religiosum habere obvium, vel, ut ait Génicot [2], de tempore « quo solent homines inter tenebras a diurnis laboribus quiescere. Quod si dubium esset de hora vespertina, sic ipse pergit, videtur tribuenda nocti si religiosi eius monasterii eo tempore iam se in lectum recipere soleant. » Ratio enim severitatis est periculum abusuum et scandali.

---

[1] C. Iuxta, 11, C. XVI, q. 1 ; et c. Qui vere, 12, ibid. ; c. Quanto, 7 *De officio iudicis ordinarii* (I, 31) ; c. Ne in agro, 1, Clem. *De statu monachorum* (III, 10), § 5.

[2] *Casus conscientiae,* t. 2, *De officiis religiosorum,* c. 3, § 3.

Notabile vero tempus alii existimant haberi eo quod religiosus velit extra monasterium pernoctare, dum alii requirunt intentionem versandi extra claustra ultra duos vel tres dies, nisi severius sonet lex propria Ordinis. Ita Piat t. 1, p. 347. *Quid notabile tempus?*

305. Inter casus qui soli ab ipso Superiore reservari possunt, a Clemente VIII posita est, 3° loco, « *Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* » Itaque ad reservationem istam requiritur : *Casus Clementinus.*

1. Egressio *nocturna*, ea qua dicebamus ratione.

Quid si per diem egressus nocte non redeas? Casus non videtur incurri, etsi illud disputatur.

2. Egressio *furtiva*, seu quae fit Praelato inscio vel invito. Furtiva non videtur, si sincere praesumpta sit licentia.

Quid si Praelatus ipse vel illicite egressus sit vel illicite annuerit? Arbitramur, contra multos tamen, non committi casum.

3. Egressio e *monasterio*. Monasterii ratio postulat oratorium et clausuram. Quare egressio e villa hic non plectitur.

306. III. Quod autem spectat **ingressum mulierum** : Potissimum observanda hic est C. *Regularis disciplinae* Benedicti XIV, 3 ian. 1742, qua Pontifex iste, omnes Summorum Pontificum Constitutiones innovans, tollit facultatem dispensandi et privilegia iam concessa. Excommunicatio latae sententiae confirmata est, a° 1859, C. *Apostolicae Sedis*, § 2, n. 7. *De vetito mulierum ingressu.*

Hoc igitur sanctionum genere, ad maiorem custodiam castitatis, ut scandalorum occassio amoveatur, et quieti, paci atque internae recollectioni religiosorum consulatur, feminae prohibendae sunt ingressu intra claustra. Excipiuntur *Reginae* (aut personae aequiperatae) quae decenti comitatu stipari possunt ; et aliquando, *ex indulto*, insignes benefactrices. *De puellis* septennio minoribus est quaedam controversia. Probabilius eas admittere non licet, sed excommunicatio non incurritur, cum non constet gravem esse reatum [1]. C. d'Annibale. *Summula*, t. 3, n. 227, nota 3. Immo contra atque est dicendum de clausura monialium, excommunicatio puellas *impuberes* non attingit. *Personae exceptae.*

307. 1. Feminae *ingredientes* (satis est ut toto corpore sint ingressae [2]), et Superiores vel alii *regulares* eas *admittentes*, plectuntur excommunicatione Sanctae Sedi simpliciter reser- *Sanctiones huius posterioris legis.*

---

[1] Immo in Praenotandis Schematis Conc. Vaticani de clausura, haec leguntur : « Licet C. Trid. incluserit in prohibitione feminas *cuiuscumque aetatis*, tamen non desunt qui docent puellas minime in lege comprehendi, quia non habent usum rationis. » *Collectio lacensis*, t. 7, col. 679,

[2] Severitas ista aliquantisper temperari possit ut verisimile sit non plecti excommunicatione eam personam quae vix ingressa egrediatur. Et supponit, ut nobis videtur, locum ubi rigorose observatur clausura, i. e. qui clausa ianua ab exterioribus partibus separetur. Cfr. etiam BIEDERLACK, n. 74, nota 2.

vata. Excommunicatio ergo non afficit famulos aut religiosos non stricte tales qui mulierem introduxerint; nec probabiliter religiosos qui mere causa sint cur diutius mulier intra claustra detineatur, vel qui mere suadeant ingressum aut iter demonstrent.

2. Iidem regulares plectuntur ipso facto privatione officiorum suorum, inhabilitate ad ipsa. Has tamen poenas quidam [1] negant adhuc vigere : cui sententiae alii melius contradicunt. Piat, t. 1, p. 359.

De clausura in Missionibus.

308. Decreto S. C. Prop. Fidei, 26 aug. 1780 et 5 mart. 1787, **in locis missionum** obnoxiae sunt, et quidem sub iisdem canonicis poenis, huic clausurae legi, domus quae ad missiones spectant et in quibus stabiliter commorantur duo vel tres missionarii regulares ritus latini. Intra privata ergo huiusmodi domorum curricula, mansiones, recessus, sub nullo praetextu feminae introduci possunt. Licet tamen ipsis recto tramite tendere in interna oratoria, ecclesias et loca, ut intersint sacris functionibus. Cfr. *Collectanea Prop. Fid.* n. 410. 412.

Clausurae amotio.

309. Quaeres, quomodo **finem habeat clausura** qua certa domus afficitur ?

Principia.

R. 1. Ut quaestionem istam, parum exploratam, accurate solvamus, his binis ducimus innitendum esse principiis :

a) Clausura afficit *verum conventum.* Ita omnes.

b) Conventum afficit *quatenus sedes est religiosae communitatis.* Omnis enim ratio huius legis spectat tutelam et bonum religiosorum. Notum porro est, sublata *omni* legis ratione, legem ipsam, ut saltem verisimile est, e medio tolli, ex rationabili legislatoris voluntate.

Conclusiones.

2. Hinc colligimus ipsam desinere clausuram :

a) *Materiali eversione,* qua perit conventus, donec restituatur.

b) *Penitus dissoluta communitate.* Quod si legitimo factum sit modo, res non ambigitur. Arbitramur tamen perinde esse dicendum, si, iniqua coacti vi, *religiosi omnes*, in tempus non definitum, abierint, ita ut tunc saltem clausura sit veluti suspensa. Religiosos, dico, *omnes :* per unum enim vel alterum religiosum qui, exclusis extraneis, domum insidere pergat, clausura bene retineri potest. Confirmamur ex iure missionum, n. **308.**

Quid si remanserint pauci.

Quod si, servato iure in totum, partem antiquae domus recuperaverint, dummodo satis eam a reliquis aedibus separare valeant, redibit, quod ad hanc partem, ius clausurae. De hoc postremo casu, cfr. *Monitore* x_2, p. 259.

---

[1] Avanzini, *De C. Apostolicae Sedis*, etc., not. 30.

III. De Clausura monialium

Clausura Monialium.

310. Pontificia clausura tenentur moniales presse tales.

Fontes iuris.

1. *Fontes iuris.* Bonifacius VIII, c. Periculoso, un. *De Statu Regularium in* 6, (III, 16) severa iam clausura astrinxit moniales. Confirmata dein Tridentina lege, c. 5, s. 25, *De Regul.*, clausura ista variis praeterea Constitutionibus Summorum Pontificum est imposita. Ita, de *egressu* monialium, memorandae sunt CC. S. Pii V, *Circa pastoralis*, 29 maii 1566 et *Decori et honestati*, 8 feb. 1569; Gregorii XIII, *Deo sacris* § 6, 30 dec. 1572; — de *ingressu* aliarum personarum, C. *Ubi gratiae*, Gregorii XIII, 13 iun. 1575; — de *utroque argumento*, CC. Benedicti XIV, *Salutare*, 3 ian. 1742 et *Per binas alias*, 24 ian. 1747.

Clausurae condiciones;

2. *Summa* sanctionum. a) Ut apud moniales clausura pontificia inducatur, quaedam condiciones in exstructione, dispositione aedificiorum requiruntur, quibus hodie non facile satisfit. Immo, ex usu sacrae Congregationis, requiritur interventus S. Sedis. Cfr. v. gr. decr. 7 feb. 1899, *A. S. S.* t. 31, p. 529.

Leges egressus.

b) Ex lege istius clausurae: *ipsae moniales* professae exire nequeunt, etiam in breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua *legitima* causa, ab Episcopo probanda. Ita ex C. Tridentino. Legitimae autem istius causae S. Pius V tria tantum agnovit exempla: *incendium*, *lepram* et *epidemiam*, atque, ex praesente disciplina, opus est saltem necessitate quae omnino postulaverit egressum. Cfr. mox memoratum decretum 7 feb. 1899.

Ingressus.

c) Sine debita licentia *in scriptis* danda ab Episcopo vel Superiore regulari, *nemo*, exceptis quibusdam privilegiatis, *sive vir sive femina* saepta ingredi potest. Quaedam peculiares provisiones regunt ingressum Episcopi, Superioris regularis, confessarii, medici, operariorum qui ex causa necessaria intrare debent.

Sanctiones.

d) C. *Apostolicae Sedis* § 2, n. 6. excommunicatione R. P. simpliciter reservata, plectuntur: « Violantes clauauram monialium, cuiuscumque generis aut condicionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam. »

Verisimile tamen est excommunicationem non commiti ab admittente puerulum septennio minorem. Ita plures.

e) Ut moniales recipiant puellas educandas, Congr. Ep. et Reg. exigit veniam ab ipsa concedendam et varia imponit servanda.

De hac clausura plura cfr. Piat, p. 371 sq.

N. B. De remotione clausurae ab aedibus Monialium, cfr. dicta de viris, n. **309.**

De eleemosynis quaeritandis.

311. Ad hoc sanctionum genus, sed afficiens potissimum Instituta votorum simplicium, referendum est sapiens decretum S. C. Episc. et Regul. *Singulare quidem*, 27 mart. 1896, quo modus praescribitur et forma quibus sorores circumire valeant *ad colligendas eleemosynas*. Cfr. *A. S. S.* t. 28 p. 555, vel monumenta alterius tomi, n. **200**, p. 561-563.

PARERGON. De Accessu ad claustra Monialium

Summa iurium.

312. Prohibitio accessus. Non indiscriminatim omnibus licet adire ad Monialium, presse talium, crates. Cfr. C. *Gravissimo*, Benedicti XIV, 31 oct. 1749; et decr. S. C. C. approbatum a Clemence IX die 7 iunii 1669, quorum haec est summa :

1. Accedere possunt quidam quibus ex officio id necesse est : Superior, cui cura conventus incumbit, confessarius ad munus suum implendum, visitator; — parentes et filii, semel in hebdomada extra dies Adventus, Quadragesimae et communionis, et nisi Episcopus id prohibuerit.

2. Secus requiritur *iusta causa* et *licentia* Episcopi quam, ut plures volunt, dare nequit *regularibus*, nisi pro consanguineis in 1° et 2° gradu, et quater in anno. — Et certis condicionibus haec licentia est obnoxia.

3. Indebite accedentes, si sint *laici vel clerici saeculares*, et id *frequenter* faciant, certis poenis ferendae sententiae subiacent. Singuli enim accessus, nisi specialis accedat prohibitio, putantur leves reatus. C. d'Annibale, *Summula*, t. 3, n. 228.

Si vero *Regulares* sine licentia accesserint, colloquendo etiam *per quodcumque modicum temporis spatium*, faciunt peccatum grave. Statuuntur et aliae poenae, etiam si *raro*, immo. secundum graves auctores, si *semel* accedant ; et Episcopus eos excommunicatione coercere potest. Cfr. decr. S. Congr. Concilii, v. gr. apud S. Alphonsum, l. 7, n. 236 ; Piat, t. 1, p. 391, nota, etc. Verborum tamen severitatem temperandam duxerunt probatissimi scriptores, observantes absonum fore si imputares Pontifici mentem tollendi parvitatem materiae quae etiam in divinis admittitur praeceptis. Immo cum diserte, allato decreto, reprobetur opinio permittens colloquia per quadrantem horae cum dimidio, sunt qui ad gravem reatum postulent collocutionem per quadrantem. Cfr. S. Alphonsum, l. 7, n. 236 ; C. d'Annibale, *Summula*, t. 3, n. 228.

Solent ceterum Abbatissae generali quadam facultate pollere, ad vitandos scrupulos et difficultates.

Ita quidem ex iure scripto est respondendum. Usus tamen mitiorem disciplinam inducere potest. Unde Gury, *Theol. mor.*, t. 2, n. 992, ait : « Videtur hodie regulares... licite posse accedere totiens quotiens ad colloquendum cum mo-

nialibus ex licentia Episcopi (S. Alph., l. 7, c. 2, n. 232). Immo in Hispania numquam viguit obligatio petendi licentiam Episcopi ad loquendum cum monialibus. »

§ 2. *De Obligatione gerendi habitum*

***Passerini**, De hominum statibus*, t. 3, in 2, 2, q. 189, art. 8, p. 450 sqq ; ***Sanchez**, In Decalogum*, l. 6, c. 8, n. 4. 5. 49 sqq. ; ***Suarez**, De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 5 ; ***Lessius**, De iustitia*, etc., l. 2, c. 41, n. 109 ; ***Pellizarius**, Manuale*, etc., tr. 5, c. 7 ; *Tract. de Monialibus*, c. 6, n. 21 ; ***Rotarius**, Theol. mor. reg.*, t. 1, l. 3, c. 1, punct. 1 ; c. 4, punct. 10, n. 6-12 ; ***Schmier**, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, p. 294 ; ***Bouix**, De Iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 5, c. 6, p. 585-589 ; ***Biederlach**, De iure regularium;* n. 80 ; ***Piat**, Praelectiones iur. regul.*, I, p. 300-309 ; ***Angelus a SS. Corde**, Manuale*, etc., I, p. 359-364 ; ***Wernz**, Ius Decretalium*, t. 3, n. 657 ; ***Bastien**, Directoire canonique*, n. 281.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 405, 406.

313. 1. In Ordinibus qui *proprio* utuntur habitu [1] religiosi *gravi* tenentur obligatione indutum habendi habitum. *Gravis obligatio.*

2. Immo excommunicatione latae sententiae sed nemini reservata plectuntur ii qui sine iusta causa habitum ponunt [2]. Iusta causa est, v. gr. si, ad iter faciendum per infidelium regiones vel ibidem praedicandum Evangelium, periculosum foret gerere habitum [3]. Patet etiam eum non abicere habitum qui mere illum deponit ob praesentem aliquam necessitatem. *Lata censura.* *Causae excusantes.*

Plerique autumant excommunicationem istam non esse sublatam C. *Apostolicae Sedis,* cum spectet internum regimen Instituti regularis. Videtur autem *simpliciter professos* non afficere, quippe quos non constet esse proprie *regulares*.

3. Obligatio gerendi habitum est alumnis Institutorum votorum simplicium vel ex statu suo clericali vel ex propriis Constitutionibus eruenda. *Quid in Congr. relig.*

4. Per se *Regulares Episcopi,* nisi fuerint ex clericis vel canonicis regularibus, tenentur, sed non sub excommunicatione, ad servandum habitum sui Ordinis. Cfr. litteras Benedicti XIV ; C. *Biennium* (1754), § 3. *Quid de Regulari Episcopo ?*

5. A delatione habitus *directe* dispensat solus Papa ; *indirecte* Praelatus regularis, cum vel eicit Religiosum, vel iustam ob causam praecipit actum exigentem hanc habitus dimissionem. *Dispensatio.*

---

[1] Societas Iesu communem induit vestem clericalem.

[2] C. Ut periculosa, 2, *Ne clerici vel monachi* etc., in 6 (III, 24.)

[3] Cfr. resp. Prop. Fid. 1 iul. 1752, *Collectanea*, n. 279.

§ 3. *De Obligatione Officii divini et Missae conventualis*

Lessius**, De iustitia*, etc., l. 2, c. 37, d. 9 et d. 12; c. 41, n. 23; ***Pellizarius**, Manuale*, etc., tr. 5, c. 8; *Tractatus de Monialibus*, c. 6, n. 11-19; ***Rotarius**, Theol. mor. regul.*, t. 3, l. 2, c. 1; ***Schmalzgrueber, in l. 3 Decr., t. 41, n. 77-85; ***Bouix**, De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 5, c. 9, p. 619; ***Biederlack**, De iure regularium*, n. 78, 79; ***Piat**, Praelectiones iur. reg.*, I, p. 309-343; ***Angelus a SS. Corde**, Mannale* etc., I, p. 365-397; ***Wernz**, Ius Decretalium*, t. 3, n. 659; ***Bastien**, Directoire canonique*, n. 282-287.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 406-420.

I. De Obligatione Chori

De Horis canonicis in choro.

Obligationis subiectum.

314. 1. **De Horis canonicis.** *Communi iure* [1], *Ordines Religiosi* astringuntur *psallendis* horis canonicis *in choro*.

2. Quod ad *subiectum*, obligatio ista *graviter* [2] premit communitatem ubi et quam diu adsunt numero sufficientes *Religiosi expediti*. Ut communis habet sententia, *quattuor* sunt satis; *expediti* autem existimantur qui viribus valent nec legitimis occupationibus praepediuntur [3].

Graviter itaque in huiusmodi domo culpandus erit Praelatus cuius neglegentia notabilis pars officii fuerit in choro omissa. *Singuli* autem religiosi vel moniales videntur, post vota, *levi* teneri obligatione frequentandi chorum. Quae obligatio aeque afficit *simpliciter* ac *sollemniter* professos, Ordinum tamen regularium.

Obligatio evadet *per accidens* gravis, accedente gravi praecepto, vel si aliquorum praesentia requiratur ad habendum chorum, vel denique ne grave oriatur scandalum.

Potest ceterum per ipsos *Novicios* obligatio chori expleri. Verum hi, cum lege ecclesiastica non teneantur, non peccabunt si propter ipsos absentes chorus non habeatur.

3. Quod *ad obiectum*, obligatio complectitur: a) Officium diei secundum calendarium Ordinis proprium, si habeatur, sin minus commune Dioecesis, additis officiis quae Regularibus in illa dioecesi commorantibus sunt peculiariter concessa [4];

---

[1] Societas Iesu hac obligatione est immunis; Moniales Ordinis Visitationis recitant tantum Officium B. M. V.

[2] Rara omissio unius parvae horae in choro non videtur gravis. Ballerini-Palmieri, t. 4, p. 253 (ed. 1.)

[3] Verum legitimas istas occupationes non licet, *sine Indulto apostolico*, assumere nisi propriae Instituti rationi respondeant. Nefas, v. gr. fuerit, Instituto quod scholas habere non solet, scholam aperire et se, quasi impeditum, a choro existimare immune. Communi enim lege vetamur opera suscipere quibus status obligationes *plerumque* observari non poterunt.

[4] Ita S. Rituum Congregatio, 22 iul. 1848. *Decreta auth.*, n. 2964. Prae-

b) *Officium defunctorum*, in eorum commemoratione, *litaniasque* in festo S. Marci et in tribus Rogationum diebus ;

c) *Officium parvum Beatae Mariae Virginis, Psalmos graduales, Officium defunctorum*, diebus qui indicantur in Breviario, hac tamen ratione :

α) Obligatio *chori* per se adest si, aetate S. Pii V, usus erat recitandi haec officia vel Psalmos ; β) Pro iis tamen qui *Romano Breviario* utuntur, obligatio circumscribitur Officio *B. M. V.* γ) Si postea consuetudo obligans inducta est, haec servari debet secundum consuetudinis ambitum. Sic fere Lehmkuhl, II, 622, ex Const. S. Pii V, *Quod a nobis*, 2 maii 1568.

Dispensatio.

4. Quod ad dispensationem, plures scriptores [1] innixi Const. *Nullus omnino*, Clementis VIII [2], affirmant a Superioribus regularibus etiam singulos subditos chori obligatione levari non posse, nisi a) lectores professores et praedicatores iis diebus quibus eos praelegere vel praedicare contigerit ; b) aegrotos ; c) studiorum causa legitime impeditos. Quos inter numerantur etiam ii qui utiles libros conscribunt.

Sed cum C. Clementis VIII regiones extra Italiam positas non afficiat, potius hoc modo dicendum videtur. Cum nullo privilegio communi fruantur ad dispensandum in hac obligatione, Superiores regulares uti nequeunt nisi generali facultate dispensandi in legibus Ecclesiae propter casus qui frequenter recurrunt. Casus autem isti fere sunt quos indicat Clemens VIII.

De Missa conventuali.

II. **De Missa conventuali.** Recens decr. S. Rit. Congr. [3] hoc modo declaravit hanc obligationem :

Cotidiana.

1. Secluso iure consuetudinis vel Constitutionum, Regulares tenentur *legenda*, tempore a rubricis praescripto, *una* Missa conventuali quae respondeat Officio diei.

---

terea, in comperto est Regularibus celebrandum esse, sed sine octava : sub ritu duplici 1 classis, praecipuum loci vel dioecesis patronum, si particularis non habetur, necnon titularem Ecclesiae cathedralis ; et, in urbe episcopali, sub ritu duplici 2 classis, dedicationem Ecclesiae cathedralis. Si in loco plures fuerint patroni aeque principales, singuli sunt a Regularibus celebrandi ; si vero de uno sint plura festa, Regulares unum sollemnius, i. e. natalicium recolent, nisi sub utroque praecepto (Missae et requietis) sint servanda ; tunc enim ad illa celebranda ipsi Regulares adiguntur. Denique, quod ad dedicationem propriae Ecclesiae, distincta celebratio anniversarii consecrationis vel benedictionis ipsis aufertur, si, ut in Belgio et in Gallia, comprehenduntur Indulto quo dioecesi vel Instituto communis conceditur celebratio dedicationis Ecclesiarum. Haec nunc, suppressis prioribus Decretis, habemus ex Decr. gen. S. R. C. 9 iul. 1895. *Decreta authentica*, n. 3863.

1 PIAT, Prael. iur. reg. F. M. C. t. 1, p. 314 ; Wernz, n. 659.

2 Cfr. t. 2, n. 421, p. 308 (ed. 2 vel 3).

3 *Decreta authentica*, n. 3757. De vi istius decreti, cfr. *Monitore*, XII, p. 274

In hac Missa omittitur, diebus festis 2ae classis, commemoratio simplicis vel diei infra octavam.

2. Obligatio non tollitur aliis Missis quae ob fundationes vel ex peculiari S. Sedis indulto essent canendae.

De Missa Rogationum.

3. Missa Rogationum celebranda est a Regularibus, si publica habeatur supplicatio.

Obligatio Monialium in Belgio.

315. Moniales quae ad **antiquos Ordines** pertinent, sed in nonnullis regionibus, ut in **Belgio** et in **Gallia,** non iam faciunt sollemnem professionem, ea tantum chori obligatione tenentur quam propriae imponunt Constitutiones. Ita S. Paenitentiaria, 26 nov. 1858. Cfr. Gury, II, 185.

Monialium a Visitatione.

316. Moniales dictae a Visitatione, et si quae aliae recitare tantum debeant Officium B. M. V., licet habeant vota sollemnia, sub gravi ad hoc officium non censentur obligari.

II. De privata Officii recitatione

Notio et vis obligationis.

317. 1. Gravi tenentur **obligatione recitandi Officio divini** *omnes utriusque sexus sollemniter professi et simul deputati choro.*

Obligationis subiectum;

Initium obligationis est *a momento* professionis. Quare partes quarum proprium tempus est ante horam professionis non sunt in professionis die recitandae. Si quis iam *ante professionem* recitaverit Breviarium diei, non videtur illud debere repetere. Sunt tamen qui severius respondeant. Cfr. S. Alphonsum, l. 4 (5), n. 140.

Initium;

Privata recitatione non tenentur Novicii, nec Conversi, nec Religiosi Societatis Iesu (qua Professi, tenentur enim ex ordine sacro suscepto), nec Professi votorum simplicium [1].

Obiectum,

2. Obligatio autem, *per se,* seu nisi aliud constet ex iure speciali, non complectitur nisi Officium diei et praeterea Offic. defunctorum die 2 nov., et litanias tam in festo S. Marci quam diebus Rogationum [2]. Litaniae non possunt pridie recitari.

De commemoratione Fundatoris.

N. B. Ex S. Rit. Congr. 27 ian. 1899, Regulares in suffragiis communibus *debent* commemorare Ordinis sui fundatorem. Cfr. *Decreta auth.*, n. 4043.

Quo Calendario sit utendum Domi.

318. 1. In *propria* Regularis *domo* observandus est, ut patet, ordo legitime illi domui descriptus.

In alia domo.

2. Regularis autem qui *extra domum* versatur :

a) Si choro est astrictus, debet, in *alia* sui Ordinis

---

[1] S. Congr. super statu Regularium, 6 aug. 1858. Bizzarri, p. 908; S. Congr. Episc. et Regul. 14 mart. 1882. Cfr. *Nouv. Rev. théol.* t. 14, p. 238.

[2] Cfr. S. Rit. Congr., 31 aug. 1839, n. 2801.

domo, huius sequi calendarium [1]. Deficiente choro in sua Religione, ille qui *ad breve tempus* commoratur in aliena domo servet propriae domus ordinem [2]; qui vero *ad notabile tempus*, utputa ultra mensem, sequatur ordinem domus ubi est.

In itinere.

b) *In itinere*, servet religiosus ordinem domus unde discessit; si vero per notabile tempus versari debeat extra omnem sui ordinis conventum, observet commune Provinciae calendarium [3]. Quod etiam ei videtur faciendum qui ad nullam pertinet domum.

Extra claustra.

c) Religiosus qui ad tempus permittitur *extra claustra* degere, vel qui munere defungitur *parochiali*, proprium servat calendarium [4], Is tamen debet Ecclesiae publicae cui est addictus commemorare titulum inter suffragia communia [5] eiusdemque celebrare officium [6]. De *saecularizato*, cfr. n. **329**, 5.

d) Contra, qui fit *Episcopus* dioecesanus, Ecclesiae cui praeficitur recitare debet Officium [7].

PARERGON. De praestitutis exercitiis pietatis

Pietatis exercitia quae plerumque praescribuntur.

318bis. Praeter strictam Officii divini obligationem, inter alia pietatis exercitia nominatim oratio mentalis commendatur [8], indulgentiis ditatur [9], et non raro Constitutionibus praecipitur facienda.

Normae recentiorum Institutorum praescribunt [10]:

a) Quotannis *exercitia spiritualia* per octo saltem dies (plenos) frequentanda.

b) *Confessionem* hebdomadariam.

c) *Communiones*, ad prudens Confessarii arbitrium, faciendas diebus quos Constitutiones eligunt, et etiam cotidie.

d) Orationem *mentalem*, eamque, ut plurimum, per dimidium horae spatium, mane et vespere; orationem *vocalem*: tertiam partem rosarii, recitationem saltem partialem Officii B. M. V. eamque, ut optant, communem: cotidianam Missam, et conscientiae discussionem.

---

1 S. Rit. Congr. 25 sept. 1852, *Decreta*, n. 3001.
2 S. Rit. Congr. 27 iun. 1896, ad 13, *Decreta*, n. 3919.
3 S. Rit. Congr. 31 aug. 1839, *Decreta*. n. 2801.
4 S. Rit. Congr. 27 sept. 1873, 13 maii 1892, *Decreta*, n. 3310, 3772.
5 S. Rit. Congr. 27 iun. 1899, *Decr.*, n. 4043.
6 S. Rit. Congr. 13 maii 1892, *Decr.*, n. 3772.
7 S. Rit. Congr. 11 iunii 1605, *Decreta*, n. 181. Et suae obligationi satisfacit Episcopi cappellanus, etiam Regularis, qui cum Episcopo recitat Officium. Ibid.
8 Cfr. CC. *Nullus omnino*, n. 38; *Cum ad regularem*, 16. 17. 22; Decr. 22 aug. 1814. (T. 2, p. 312, 315, 316, 501).
9 V. gr. C. *Romanus Pontifex*, Pauli V, 23 maii 1606. (T. 2, p. 531).
10 Cfr. t. 2, n. 83-93, p. 146-149 (ed. 2 vel 3.)

SECTIO IV. **DE DISCESSU RELIGIOSORUM**

Discessus varia ratio.

319. Discessus religiosorum potest esse : 1. *Voluntarius :* transeuntis ad aliam religionem, dispensati, et, per se, saecularizati ; vel *coactus :* promoti ad dignitatem, dimissi et eiecti.

2. *Licitus* vel *culpandus* fugae aut apostasiae.

3. *Perfecte* vel *imperfecte* rumpens vinculum ad religionem.

Variis articulis dicemus de his causis earumque efficacia, excepta promotione, de qua commodius agemus in parte 8, ubi de Regularium ministeriis.

ARTICULUS 1. **De transeuntibus ad aliam religionem**

S. Thomas, 2, 2, q. 189, art. 8 ; ***Passerini***. *De hominum statibus*, in h. art. t. 3, p. 339 sqq. ; ***Sanchez***, *In Decalogum*, l. 6, c. 7; ***Suarez***, *De Religione*, tr. 8. l. 3, c. 8-15 ; ***Lessius***, *De iustitia*, etc., l. 2, c. 41, n. 100-105 ; ***Pellizarius***, *Manuale regularium*, tr. 3, c. 5, s. 3; ***Rotarius***, *Theol. mor. regul.*, t. 1, l. 3, c. 3; ***Tamburini***. *De iure abbatum*, t. 3, d. 7 ; ***Reiffenstuel***, in l. 3, t. 31, n. 260-277 ; ***Schmalzgrueber***, in l. 3, t. 31, n. 224-244 ; ***Bouix***, *De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 4, c. 5, p. 519-535 ; ***Mélot***, *De Ordinibus*, etc., n. 112-115 ; ***Biederlack***. *De iure regularium*, n, 85-89 ; ***Piat***, *Praelectiones iur. reg.*, 1. p. 177-188 ; ***Angelus a SS. Corde***. *Manuale*, 1. p. 198-202 ; ***Palmieri***, *Opus. theol.*, tr. 9, c. 1, n. 234-242 ; ***Wernz***. *Ius Decretalium*, n. 679 ; ***Bastien***, *Directoire canonique*, n. 196-198.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 421-426. (ed. 2 vel 3.)

Legitima transeundi ratio.

320. Primus, ut vidimus, firmo vinculo monachos ad Monasterium applicavit S. Benedictus, imposito voto stabilitatis. Nihilo minus,

Ad Ordinem strictiorem.

1. Ex c. Licet, 18, *De Regularibus* (III, 31) iure communi, fas est Religiosis, qui recto moventur fine, transire *ad Ordinem strictiorem*, nisi obstet notabile detrimentum Ordinis in quem sunt asciti. Impetrandae sunt litterae dimissoriae proprii Praelati, eius, inquam, quem volunt adiri Constitutiones vel usus Ordinis. Quas dimissorias si neget sine causa vel talem afferat causam quam constet esse vanam, religiosus

transire potest sine proprii Praelati licentia in Ordinem strictiorem in quem *certo noverit* se cooptatum iri [1].

Ad aequalem,

Ad laxiorem.

Ad Ordinem aequalem, id fas est, *annuente utroque Superiore*, Ordinis *a quo* et Ordinis *ad quem*.

Transitus ad *Religionem laxiorem* a Praelato concedi nequit sine iusta causa : continet enim dispensationem a votis. Atque etiam si iusta causa fuerit, videtur C. Trid. c. 19, s. 25, *De Regul.* obstare ne fiat auctoritate solius Praelati, nisi is, ut Praepositus Generalis Societatis Iesu [2], privilegio fruatur *incommunicabili* id concedendi. Transitus tamen ab Ordine ubi viget claustralis et regularis observantia ad alium ubi non viget ; similiter transitus ad Religionem *militarem* vel *hospitalarem* semper postulat licentiam S. Sedis, ex C. *Licet Sacra,* Benedicti XIII, § 2-4.

Privilegia Ordinum.

2. Sed fere nullus est Ordo Regularis quin habeat privilegium vi cuius religiosi ad alium Ordinem transire non possint nisi annuente Superiore vel ex facultate Apostolica. Olim quidem libere patebat transitus ad Carthusianos, sed privilegia a pluribus Ordinibus obtenta et quae videntur *communicari* cum aliis, hanc exceptionem aboleverunt. Cfr. v. gr. C. *Iniuncti Nobis* § 2, Urbani VIII, 9 aug. 1628, ad PP. Cappuccinos.

De transitu Monialis.

3. *Monialis* praepeditur clausura quominus, inconsulta S. Sede, transeat ad aliam Religionem. Palmieri, l. c., n. 235.

De transitu a Congregatione ad Ordinem,

321. **Quaeres** utrum necne liceat transire **a Congregatione** religiosa ad **Ordinem presse talem,** vel ab una **ad aliam Congregationem.**

R. 1. Quia ob hanc rationem videtur concedi transitus ad strictiorem Religionem, quod fas est votum in melius opus convertere, Religioni autem presse dictae, ex magis authentica approbatione, competit perfectio qua caret Congregatio, autumamus huc, nisi obstent privilegia, transferri posse c. Licet.

Ad aliam Congregationem.

2. Sed ne ab una ad aliam Congregationem transeas, deficiente omni positiva legis concessione, obstare videtur ius quaesitum Congregationis in qua aliquis est professus, ne, sine proprii Praelati competentis assensu, aliud ingredi possit Institutum. Confirmamur Normis S. C. Ep. et Reg. quae (art. 61) vetat ne, sine S. Sedis licentia, admittatur aliquis qui votis sit alii Instituto obstrictus.

Condicio transeuntium. Si Professi.

322. 1. *Professi transeuntes* ad aliam religionem :

a) Manent inhabiles ad beneficia saecularia, etsi forte

---

[1] Quo iure, stante hac lege, Nervegna in suo opusculo *De iure practico*, etc. (208-219) requirat licentiam S. Congregationis, omnino nos fugit.

[2] C. Gregorii XIII, 22 sept. 1582, *Cum alias*.

transeant ad religionem non incapacem. Trid. s. 14, *De Ref.* c. 11.

b) Servant votum de non procuranda vel acceptanda dignitate extra Ordinem, C. Urbani VIII. *Honorum dignitatumque,* 24 feb. 1643.

c) Debent novum probationis annum peragere. In quo nisi permanserint, redire debent ad pristinum Institutum.

d) Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes, ex Clem. 1. *De Regul.* (III, 9), carent voce activa et passiva in capitulis (exceptis quae pro correctione et disciplina regulari congregantur), nec possunt fieri Superiores. Palmieri, l. c., n. 237.

Nominatim quod ad bona.

Quod *ad bona,* a) Religio unde discedit conservat bona quae ad ipsam iam pervenerunt. Per se videtur aequitas, et ipsa intentio qua pecunia est sic constituta, suadere, ut annuae pecuniae quae ad religiosi vitam eius intuitu solvuntur monasterio, ipsum in alterum sequantur Ordinem.

b) Quae res hereditate vel alio titulo tribuuntur religioso *post novam* in Instituto ad quod transiit *professionem*, idem ferunt regimen quod tulissent si ab initio in hoc fuisset ascriptus.

c) Quid autem ante istam professionem, dum professus in altero Instituto probatur? Satis constat fructum personalis industriae pertinere ad Religionem ubi probatur. De hereditatibus autem, plures, cum Schmalzgrueber, l. c., n. 243, contendunt etiam ad huius Religionis regimen esse respiciendum, quae proinde, si fuerit capax, has hereditates pro novicio adire posset. Nobis potior videtur alia sententia quae Religionis a qua discessit intacta vult iura donec, nova professione, ruptum sit vinculum quo illi coniungebatur Religiosus transiens [1].

Quid de non professo.

2. Religiosus non professus vel sodalis Instituti votorum simplicium, plerumque prius a votis dispensabitur quam ingrediatur aliud Institutum. Quod ad bonorum regimen, cfr. dicta de dote, n. **182**.

Iudicium de transitu.

323. Quaeres an **transitus sit commendandus?**

R. Etsi transitus ad Ordinem strictiorem per se censeatur commutatio voti in melius, « Transire de religione ad religionem, nisi propter magnam utilitatem vel necessitatem, non est laudabile ; tum quia ex hoc plerumque scandalizantur ii qui relinquuntur ; tum quia facilius proficit aliquis in religione quam consuevit, quam in illa quam non consuevit, ceteris paribus. » S. Thomas, 2, 2, q. 189, a. 8.

[1] Cum utrique sententiae suae non desint rationes, Biederlack, n. 89, suadet ante transitum amicam inter duos Ordines faciendam compositionem.

ARTICULUS II. De egressu eius cuius invalida est Professio, vota sunt elapsa vel dispensatione sublata, vel cui indulta est Saecularizatio

Suarez, De Religione, tr. 8, l. 3, c. 7, tr. 10, l. 3, c. 9, n. 3-5; ***Pellizarius, Manuale***, etc., t. 3, c. 5, n. 8, 20 sqq.; tr. 4, c. 1, n. 25; ***Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis***, l. 3, p. 289, 290; ***Bouix, De iure Regularium***, t. 2, p. 6, s. 3, c. 1-3, p. 481-494; s. 4, c. 4, p. 517. 518; ***Mélot, De Ordinibus***, etc., n. 101. 102. 124; ***Biederlack, De iure regularium***, n. 82, 83, 90, 91; ***Piat, Praelectiones iur. reg.***, I. p. 172-177; ***Angelus a SS. Corde, Manuale***. I, p. 186-197; ***De Angelis, Praelectiones***, etc., II. p. 183; ***Palmieri, Opus theologicum***, tr. 9, c. 1, n. 261; ***Santi, Praelectiones***, etc., in l. 3, t. 35, n. 15. 16; ***Nervegna, De iure practico***. p. 164-192, ***Wernz, Ius Decretalium***. t. 3, n. 677, 678; ***Bastien, Directoire canonique***, n. 199-208.
Monumenta, cfr. t. 2, p. 426-442.

324. 1. **De egressu ob professionem invalidam.** De actione qua probanda est nullitas, supra est actum. Cfr. n. **215.** Quid autem, si in foro externo valida declaretur professio quam professus certo noverit nullam. Suppresso gravi scandalo vel maiore damno, non constat ipsum debere in claustris manere. Id disputatur. Cfr. Bouix t. 1, p. 631, vel Biederlack, n. 82.

Quid si retecta nullitas in foro exteriore.

325. 2 **Elapso spatio** ad quod facta est professio, per se non minus tali religioso quam novicio fas est a Congregatione discedere.

Per se, adveniente die, fas est discedere.

Decreto tamen *Auctis admodum*, 4, nov. 1892, detractum est de illa facultate quod ad alumnum qui sit *in sacris*. Etenim vis istius Decreti huc spectat, ut Congregatio in quam cooptantur religiosi sit ipsis, quatenus sunt clerici, loco Dioecesis. Itaque, sicut nefas fuerit clerico in Sacris deserere propriam dioecesim nisi ascribatur alteri, pari modo statutum est simpliciter professos, qua demum cumque causa desierit votorum obligatio, non posse, si fuerint in sacris, e claustris discedere nisi prius « Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint ». Quod si secus exierint, suspensi manent ab exercitio susceptorum ordinum. Cfr. tamen, infra, harum sanctionum declarationem, vel temperamenta.

Ius speciale eorum qui sunt in sacris.

326. Quaeres, utrum liceat facere vota **ad diem**, ei qui animum habeat discedendi elapso tempore?

Non licet facere vota temporalia cum animo discedendi.

R. Id per se non licet, nisi Superior de hac intentione sit certior factus. Etsi enim obligatio ad paucos contrahitur annos, neque ad ista vota neque ad primam quidem probationem existimanda est Congregatio admittere velle nisi eos quibus propositum est in Instituto permanere. Temporalia fiunt vota ad probationem et in prae-

sidium fragilitatis, non autem ut sodales brevi hospitio potius quam perpetua domo videantur recepti.

Praeterea periculum esse solet ne aliis noceat conversatio eorum quibus in animo destinatum est repetere saeculum. De iis enim non agimus qui mere cogitant transire ad perfectius Institutum.

Benignius tamen responderi posse putamus et praesumi Instituti assensum, si constiterit aliquem, permanendo, nulli fore oneri vel damno.

Multo magis ii sunt improbandi et, ut damnosae fraudis rei, *per se* damna sarcire debent, qui eo animo Institutum ingrediuntur ut sibi viam sternant ad sacerdotium capessendum, quo suscepto, demissionem petunt ab Instituto.

Dispensatio a voto professionis religiosae.

327. II. Quod ad votorum **dispensationem**, 1. A votis emissis in *Ordinibus* regularibus et quae pertinent ad professionem sellemnem vel simplicem, *dispensat sola S. Sedes.*

In Ordinibus,

2. Haec etiam sibi reservat vota *Congregationis iuris pontificii* [1]. Religiosus autem qui in sacris ordinibus constitutus dispensationem a votis obtinuerit, e claustris discedere non potest nisi eo modo quo discedere permittitur cuius vota sunt elapsa.

In Congregatione religiosa,

In Instituto episcopali.

3. Quod ad vota Instituti *episcopalis*, dispensare potest *Episcopus*, sed : **a**) Excepto voto perpetuae castitatis, nisi fruatur potestate delegata (Sed cfr. n. **327**) ; **b**) Nisi amplior facultas facta sit per Constitutiones, requisito communitatis consensu, quatenus huius ius laedatur. « Cavendum ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur ; laedetur autem si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus. » Ita C. *Conditae a Christo,* c. 1, n. VIII. Cfr. *Acta Conc. Amer. Lat.* n. 330.

Apud Moniales antiquorum Ordinum.

4. Quod ad *Moniales* quae, etsi *ad antiquos Ordines pertinent,* carent tamen, in nostris partibus, votorum sollemnitate, dispensatio per se spectat ad Summum Pontificem. Facultatem quidem concessit Episcopis Galliae [2], ea tamen uti nequeunt Episcopi Belgii [3].

Quid de voto castitatis facto condicionate.

328. **Quaeres** quid si constet *votum castitatis perpetuae* non fuisse ab alumno vel sorore Instituti dioecesani *absolute* emissum, sed *sub condicione*, v. gr. nisi legitime dimittar vel ab *aliis* votis dispenser, vel ut annexum tantum vitae religiosae.

Videtur tunc Episcopus auctoritate sua ordinaria super hoc voto dispensare posse. Ita S. Officium, 2 aug. 1876 [4]. quod citant etiam *Acta C. Am. Lat.* n. 330. Quare arbitramur

---

[1] C. *Conditae a Christo,* c. 2, n. 1 ; *Acta Conc. Americae latinae*, n. 330.

[2] Resp. S. Paenitentiariae ad Ep. Cenomanensem 23 dec. 1835. (T. 2, n. 112, p. 427, ed. 2 vel 3.)

[3] Dec. S. Cong. Ep. et Reg. 23 aug. 1867. (T. 2, n. 115, p. 430, ed 2 vel. 3.)

[4] T. 2, n. 116, p. 431 (ed. vel. 3.)

fas esse ut ita interpretemur C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. 8. Immo videtur tunc ipsa dimissione cessare ; idque erit hodie frequentissimum.

Indulti saecularizationis.

329. III. **De Indulto saecularizationis.** 1. *Notio.* Hoc Indulto, quod conceditur per S. Congr. Ep. et Regular. vel Super disciplina regularium, permittitur religiosus degere extra claustra et dominatum suorum Praelatorum. Indultum istiusmodi est stricte interpretandum. Mélot, p. 112.

Notio,

Genera,

2. *Species.* Est *temporale* vel *perpetuum*. Posterius interdum est loco decreti *eiectionis*. *Temporalis* saecularizatio est variae rationis. Vel enim est *ad statum diem :* annum, biennium, quinquennium ; vel *donec causa aliqua permaneat :* durante Parentum necessitate, munere suscepto, actione creditorum quibus est satisfaciendum ; vel *ad nutum S. Sedis*.

Forma,

3. *Forma.* Indulta ista concedi consueverunt in *forma commissoria*, qua Ordinis Generali facultas fit concedendi ut Religiosus degat extra claustra, *ad annum*, — *quoad vixerit*, — *quoad vixerit, per modum expulsionis* [1].

Impetratio.

4. *Quinam impetrent haec Indulta ?* Plerumque soli sunt sollemniter professi. Aliis enim praesto est facilior via dimissionis.

Nunc tamen, post decretum *Auctis admodum*, *sacerdos* simpliciter sed perpetuo professus fere assimulatur quod ad hanc disciplinam sollemniter professo. Cfr. Nervegna, p. 178.

Diacono et *subdiacono* conceditur *perpetua saecularizatio*, ea lege ut suspensi maneant ab exercitio Ordinis donec invenerint Patrimonium et Episcopum.

Ii qui temporalem petunt concessionem, v. gr. ut opitulentur Parentibus, demonstrare debent sibi suppetere quae ad victum cultumque sint satis.

Vis saecularizationis perpetuae vel temporalis.

330. 1. Saecularizatus *manet religiosus*, nec votis solvitur, quae servanda sunt quantum in novo statu commode fieri potest. Subditur autem Ordinario etiam in vim voti sollemnis oboedientiae ; nec, durante Indulto, Religionem repetere debet.

Saecularizatus *in perpetuum*, contra atque ille qui *temporali* fruitur Indulto, est plene separatus a sua Religione.

2. Habitum Ordinis proprium iubetur ponere, saltem quod ad exteriorem formam, si saecularizatio sit *perpetua*. Si fuerit *ad tempus*, variat disciplina.

3. Regula *perpetuo* saecularizatus (Bizzari, p. 774. 775. nota) non videtur teneri.

4. Ordo autem eum qui *in perpetuum* saecularizatur iam non debet recipere, nec alimentis providere. Contra, ei qui *ad tempus* est saecularizatus competit ius repetendi claustra.

---

[1] De formis Indulti, cfr. t. 2, n. **118**, p. 443 (ed. 2 vel 3).

5. Quod ad *beneficia* obtinenda et iura *in bona* fortunae, ea tantum facultate fruitur saecularizatus quae indulto est diserte concessa [1]. Quare, bonis quidem acquisitis uti potest ad usus necessarios, sed neque ex testamento succedere, neque testari sine novo Indulto S. Sedis.

6. Bona autem eius qui saecularizatus sit ad *tempus* pertinent ad monasterium ; si vero *perpetua* fuerit saecularizatio, ad monasterium redeunt tantum bona in egressu accepta et quae horum ratione postea acquisivit saecularizatus. In reliqua succedit Camera Apostolica [2].

7. Saecularizatus *in perpetuum* observat, in horis canonicis, ordinem dioecesanum ; immo, *qua professus*, iam nullas recitare debet. Saecularizatus *ad tempus*, una cum obligatione Officii divini, servat proprii Ordinis calendarium. Cfr. Piat, t. 1, p. 331. 335. De calendario, dissentit *Monitore*, XI, p. 380; sed nobis prodest Decr. S. R. C. 27 sept. 1873. (*Decr. auth.* n. 3310.)

8. Tandem, ex decl. Pii IX, 27 aug. 1852, saecularizatus, etiam ad tempus, confiteri debet apud Confessarios approbatos ab Ordinario loci, a quibus etiam a casibus reservatis in Ordine absolvi poterit, si minime in dioecesi sint reservata [3]. (T. 2, n. **123**, p. 440, ed. 2 vel 3.)

N. B. 1. Si Indultum fuerit *pro expulsione*, non potest saecularizatus, nisi ex auctoritate S. Congregationis, claustris rursus recipi. Cfr. resp ex congressu S. Congr. 22 ian. 1886. (T. 2, n. **128**, p. 445, ed. 2 vel. 3.)

2. Denuo receptus, numquam, nisi aliter ferant Ordinis consuetudines, repetere debet professionem. Hunc tamen inter professos obtinet locum is qui *perpetuo* fuit saecularizatus, quasi a die reditus initium duxisset eius vita religiosa. S. C. 30 apr. 1838. (T 2, n. **122**, p. 439, ed. 2 vel. 3.)

3. Graviter peccat qui, neglecta Indulti prorogatione, manet in saeculo post statum diem : nullam tamen ex iure communi committit poenam. Cfr. *Monitore*, X, p. 234.

ARTICULUS III. De Expulsione et Demissione

Passerini, De hominum statibus, in 2, 2, q. 189. art. 8, t. 3, p. 532 sqq. ; *Sanchez, In Decalogum*, l. 6, c. 9 ; *Suarez, De Religione*, tr. 8, l. 3, c. 4-6 ; tr. 10, l. 3, c. 9 ; et l. 7, c. 2 n. 11 ; *Lessius, De iustitia*, etc., l. 2, c. 41, n. 106-108 ; *Pellizarius, Manuale regul.*, tr. 3, c. 5, n. 3-5 ; tr. 7, c. 3, n. 81 ; tr. 8, c. 8, n. 1-42 ; *Rotarius, Theol. mor. regul.* t. 1,

---

[1] Cfr. C. Super discipl. regul. 31 ian. et 21 feb. 1899, t. 2, n. **125**, p. 441.

[2] Cfr. decreta super successione regularium 26 iun. 1829 et 6 iun. 1836. T. 2, n. **120, 121**, p. 437 (ed. 2 vel 3).

[3] Exemplum decreti saecularizationis *perpetuae* vel *temporariae* habes T. 2, n. **118**, p. 433 (ed. 2 vel 3).

l. 3, c. 2; **Reiffenstuel**, in l. 3 Decr., t. 31, n. 226-246; **Schmalzgrueber**, in l. 3 Decr., t. 31, n. 245-265; **Bouix**, *De iure regularium*, tr. 2, p. 6, s. 4, c. 2 et 3, p. 509 sqq.; **Mélot**, *De Ordinibus*, etc., n. 94-100; **Biederlack**, *De iure regularium*, n. 92-95; **Piat**, *Praelectiones iur. reg.*, t. 1, 207-209; 219-229; **Angelus a SS. Corde** *Manuale*, etc., t. 1, p. 219-227; **Palmieri**, *Opus theol.*, tr. 9, c. 1, n. 249-269; **Nervegna**, *De iure practico*, etc., p. 196, sqq.; **Wernz**, *Ius Decretalium*, t. 3, n. 676; **Bastien**, *Directoire canonique*, n. 211-228.

Monumenta, cfr. p. 442-455.

§ 1. *De expulsione vel eiectione*

Quid eiectio,

Dimissio; discrimen cum dispensatione.

331. 1. *Eiectio* presse dicta est sollemnis religiosi expulsio servatis votis. *Dimissio*, contra, est minus sollemnis ratio exauctorandi religiosum, cum vota dispensari consueverunt. *Dimissio* hac ratione differt a *dispensatione*, quod haec, non illa, immediate vota attingit, et quod per dimissionem bono Ordinis vel Instituti consulitur, dum dispensatio aeque privatae religiosi utilitati prospicit.

Utriusque subiectum.

Itaque *eiciuntur* potissimum sollemniter professi; *dimittuntur* ii qui votis simplicibus quodammodo probantur.

332. Ad legitimam eiectionem:

Leges eiectionis apud regulares,

1. *In Ordinibus virorum* opus est: **a**) Ut religiosus sit *incorrigibilis*. Is est qui, commisso delicto gravi, publico, cedente in damnum religionis, non resipiscit per solita media correctionis adhibita; **b**) Ut, per sex saltem menses, probetur in ieiunio et carcere [1], intra saepta monasterii. Sin minus, non putatur incorrigibilis; **c**) Ut eiectio fiat a Superiore Generali, vel saltem a Provinciali, exstructo processu, causisque eiectionis canonice probatis.

Sententia expulsionis significanda est Episcopo in cuius dioecesi expulsus considere debeat, seu potius Ordinario originis.

Forma iudicii et methodus servanda magis definiuntur binis decretis S. Congregationis Concilii: *Sacra Congregatio* (iussu Urbani VIII), 21 sept. 1624; et *Instantibus* (iussu

[1] Haec *carceris* probatio hodie communiter fieri nequit. Quare videtur nobis omitti posse. Ita iam Bouix, t. 2, c. 2, q. 3. Non enim verisimile est a S. Pontifice hinc quidem concedi facultatem, illinc vero praecipi viam expellendi *per se* seu plerisque imperviam. Et confirmamur decreto *Auctis admodum* quod, memorando praescriptum ordinem, silet de carcere. Satius nihilo minus erit, impetrato indulto, ansam omnem amputare dubitandi de valore expulsionis, etc. Cfr. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 251. Immo, utique ante Decr. *Auctis admodum*, 22 ian. 1886, a « Congressu » Cong. Super discipl. regulari, declaratum est opus esse Indulto pontificio, ut carceris probatio omittatur. MONITORE, IX, 1, p. 81. 82, vel N. R. T. t. 26, p. 255.

Innocentis XII), 24 iul. 1694. (T. 2, **n. 126**, p. 444, ed. 2 vel 3).

Hodie vero, cum fere non sit copia hanc servandi methodum, solent Superiores adire ad S. Congr. Episcoporum et Regularium vel Super disciplina regulari, quo valeant breviore via religiosum expellere. Cfr. resp. 22 ian. 1886, T. 2, **n. 128**, p. 445 (ed. 2 vel 3).

Moniales, 2. *Moniales* presse tales non expelluntur sine S. Sedis auctoritate.

In Congregatione religiosa. 3. *In Congregationibus religiosis* proprie dictis eiectio non usurpatur a Superioribus Instituti nisi quatenus Constitutionibus diserte permittitur.

Effectus eiectionis. **333. Eiectionis effectus.** Religiosus eiectus :

Regimen. 1. *Quod ad regimen*, **a**) Subditur Ordinarii loci iurisdictioni et dominatui; **b**) Proprium Religionis habitum exuere debet, induere vero vestes clericales ; **c**) Astrictus manet votis substantialibus ; mitiore tamen, ex ipsis adiunctis, utitur disciplina paupertatis, oboedientiae et vitae cultus ; **d**) Minime solvitur eius votum non acceptandi dignitates extra Ordinem ; **e**) Privilegiis suae religionis non fruitur ; **f**) Quod ad confessiones et forum internum assimulandus videtur saecularizato nec iam, ut verisimile est, cum separatus sit a religione, videtur, titulo *professionis*, teneri ad recitandum Officium. Quod si fuerit in sacris dioecesis sequi debet ordinem. **g**) Debet corrigere mores et ad religionem redire.

Poenae. 2. Quod ad *sanctionem poenalem :* Ex C. *Apostolicae Sedis*, inter *Suspensiones* Sedi Apostolicae *reservatas*, n. 5, « Suspensionem *perpetuam* ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi *eiecti, extra Religionem* degentes. »

Poena ista ii afficiuntur qui, cum *incorrigibiles* sint, secundum formam ab Urbano VIII praescriptam eiciuntur. Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum*, tr. II, c. 2, n. 535.

Requiritur ut *iuste* sint eiecti ; i. e. ex causa iusta et servato ordine iuris. Sin minus, exercitio ordinum abstinere non debent, nisi quatenus vitetur scandalum. Cfr. Ballerini-Palmieri, eod. loco.

Si religionem eandem vel aliam rursus ingressi fuerint, tollitur suspensio. Ballerini-Palmieri, l. c.

Ius decreti Auctis admodum. In saeculo autem degentes a suspensione dispensari nequeunt, nisi a S. Sede, quae praeterea exigere solet ut eiectus Episcopum invenerit qui velit eum in suam dioecesim cooptare, et ut perpetuae sustentationis sufficientem afferat cautionem. Decr. *Auctis admodum*, 4 nov. 1892, n. IV.

Utriusque iuris concordia. Ex citato n. IV, videtur suspensio tolli non posse sine S. Sedis interventu. Sed ex additis verbis « ac donec... Episcopum... invenerint... » apparet eius agi casum qui in saeculo permaneat. Quare, quia iura sunt concordanda nec sine cogente ratione iurium contrarietas est admittenda, arbitramur intactam manere disciplinam

superiorem pro eo qui in regularem Ordinem fuerit legitime admissus.

Sanctio ista n. IV non pro censura sed pro poena habenda est, ita ut eam violantes non fiant irregulares.

3. Quod *ad resipiscentiam*, a) Nisi obstet iusta causa gravis scandali, permanentis infamiae etc., eiectus plene emendatus, qui suam in integrum restitutionem postulaverit, est a proprio Ordine recipiendus. Palmieri, op. cit. tr. 9, c. 1, n. 256. Denuo receptus non debet iterum noviciatu probari et rursus profiteri, quamvis non a die professionis sed reditus locum inter professos obtineat. Si tamen in causa expulsionis intercesserit S. Sedes, huius requiritur facultas ut paenitens religiosus denuo admitti queat. Ita « Congressus » S. Cong. Super disciplina regulari, 22 ian. 1886. Cfr. t. 2, n. **128**, q. 445 (ed. 2 vel 3). *Eiecti restitutio.*

b) Potest etiam impetrare a S. Sede indultum perpetuae saecularizationis. *Saecularizatio.*

§ 1. *De Dimissione*

334. I. **Dimittendi facultas.** *Facultas dimittendi.*

1. *Facultas dimittendi* sodales proprie concessa est *Ordinibus regularibus*, quod ad alumnos qui eam fecerint professionem *simplicem* sed perpetuam, qua sollemnis praeparatur. Cfr. Decr. *Sanctissimus*, 12 iun. 1858. T. 2, n. **61**, p. 354. *Ordinum regularium, quod ad viros,*

Facultas ista ad Superiorem Generalem spectat cum suo Consilio. In casibus tamen extraordinariis potest Generalis, praesertim in dissitis regionibus, permittere ut a probis et prudentibus religiosis, qui tres saltem numero esse debent, dimissio decernatur.

Dimissio *monialium* etiam quae simpliciter tantum sunt professae. S. Sedi reservatur. Decr. *Perpensis*, 3 maii 1902, T. 2, n. **64**, p. 361 (ed. 2 vel 3). moniales.

2. *Congregationibus religiosis* iam hac alia ratione prospicitur quod, per certum temporis spatium, vota facienda sunt temporaria antequam admittantur perpetua. *Facultas Congregationum religiosarum.*

Facultas tamen alumnos dimittendi est nihilo minus quibusdam Institutis *ex privilegio* concessa. Immo, deminuta tamen ratione, recentes *Normae* S. C. Ep. et Regul. art. 192 sq. facultatem istam tamquam communem agnoscunt Institutis virorum et mulierum. Exercetur autem a Superioribus Instituti, variis observatis sollemnitatibus.

335. II. **Dimissionis causa.** *Dimissionis legitima causa.*

Requiritur legitima causa quae *gravis* esse debet; et eo gravior quo firmiore nexu vinciatur religiosus.

1. In *Ordinibus* tamen *regularibus*, causa committitur iudicio et conscientiae Superioris regularis [1].

Hinc duo ista videntur ante oculos habenda : ut nihil faciat contra aequitatem, nec proin dimittat *invitum* quempiam ob defectum v. gr. ingenii qui iam ante professionem satis apparebat ; dein ut respiciat ad utilitatem Instituti potius quam ad professi bonum. Ex ipso fine cur data sit facultas perspicitur a Praelato eum tantum dimitti posse (etiam consentientem) de quo pronuntiat : ad bonum Instituti refert talem non servari.

Iudicatum est non esse satis, sine alia causae cognitione, si simpliciter professus a maiore consilii parte vel secretis capituli suffragiis sit reiectus; nec si ipse professus affirmet obstinate sibi deesse vel defuisse animum et vocationem ducendi vitam religiosam. (Cfr. t. 2, p. 450 ed. 2 vel 3.)

Quid de dispensatione ?

Haec facilius ratio esse possunt *dispensandi*. Antequam autem de his rebus detur consilium, maturo opus est iudicio et prudens adhibenda discretio.

De eius opportunitate,

Non desunt enim qui, deposito languore et haesitatione, alacres iam et laeti in sanctitate procederent, si prorsus abicerent omnem spem vel remotum respectum exuendi per dispensationem graves status sui obligationes. Nullam autem neglegere oportet ansam erigendi animum iis qui, in via consiliorum, ad nobilia Christi praemia contendunt. Fieri tamen etiam potest, ut iam ita invaluerit phantasiae morbus, ut veram suppeditet causam tollendi vota per dispensationem.

Et securitate.

De securitate porro conscientiae, de qua praeterea hic quaeri solitum est, ut breviter dicamus, videntur nonnulli scriptores bono animo nimias inicere formidines. Qui enim, reiecta fictione, auctoritati ecclesiasticae sincere pandit difficultates, anxietates, quibus ad petendam votorum solutionem impellitur, causamque suam, oboedire paratus, permittit Praelatis Ecclesiae : is non peccat postulando dispensationem, idemque Ecclesiae iudicio tuto stare potest. Quod si deinceps deprehenderit se errasse, est cur ipsum amissi thesauri paeniteat, non autem cur animo cadat quasi a Deo sit deserendus, hisque destituendus gratiis quibus praesentis status explere officia animamque ad salutis portum perducere valeat.

Infirmus dimitti nequit invitus.

Nemo, ob *infirmitatem* quae post vota inciderit, dimitti potest *invitus*. Decr. *Sanctissimus*, n. v., 12 iun. 1858. Itaque dimitti non poterit professus qui mentem amittat, cum assentiri nequeat.

2. In Congregationibus religionis.

2. In *Institutis votorum simplicium*, perinde est de dimissionis causis dicendum, quotiens de alumno agitur qui perpetua non fecerit vota nec in sacris ordinibus sit constitutus.

[1] S. Congr. super Statu Regularium, 15 dec. 1893. T. 2, n. **130**, p. 450 (ed. 2 vel 3.)

Si autem alterutrum obtigerit, alumnus dimitti nequit invitus nisi ob culpam gravem, externam et publicam, et nisi fuerit incorrigibilis. Incorrigibilis autem nemo esse putatur, nisi, distinctis temporibus, Superiores eum ter admonuerint et corrigere studuerint. Ita ex decr. *Auctis admodum*, 4 nov. 1892, n. III. (T. 2, n. **129**, p. 448, ed. 2 vel 3.)

De religioso in sacris vel perpetuis votis astricto.

Sororis incorrigibilitas debet etiam experimento esse comprobata (*Normae*, art. 195).

336. III. **Dimissionis forma.**

Dimissionis forma.

1. In *Ordinibus religiosis* nulla forma iuridica requiritur. Sed ex ipso naturae iure cavere debet Superior ut nihil temere decernat, sed causae veritatem prudenter indaget, et summa agat caritate.

In Ordinibus religiosis,

2. In *Institutis votorum simplicium :* a) Idem *per se* est dicendum, nisi Constitutiones quandam statuant servandam formam.

In Institutis virorum.

Recentes *Normae* (art. 193, 201), postulant ut causae sint maiore parte suffragiorum Consilii generalis probatae.

b) Si vero agitur de religioso qui perpetua fecerit vota vel in sacris constitutus sit, debet in Instituto virorum fieri processus. Quae in hoc processu contra religiosum probantur, a Superioribus cum reo communicanda sunt, congruo concesso temporis spatio, ut sive per se sive per alium reus causam suam tueri possit. Immo, nisi ipse se defendat, debet Superior vel tribunal ipsi ex officio constituere defensorem inter sui Instituti alumnos. Post haec poterit Superior cum suis consiliariis sententiam dimissionis pronuntiare, a qua, *in suspensivo*, appellandum permittitur ad S. Congregationem. Quod si iusta sit causa aliter agendi, adeunda est S. Congregatio, quae summariam permittet actionem. Haec ex decr. *Auctis admodum* deprompta etiam Normis confirmantur. (Cfr. t. 2, p. 448 et p. 150-152, ed. 2 vel 3.)

De religioso in sacris vel perpetuis votis astricto.

c) Soror autem votorum perpetuorum dimitti nequit ab Instituto quod recentibus Normis S. C. Ep. et Reg. regitur, nisi ad consensum Superioris et maioris partis Consilii generalis, per secreta suffragia decernentis, accedat S. Congregationis confirmatio. (*Normae*, art. 194-196.)

De Sorore votorum perpetuorum.

Quaeres, quaenam causa et forma dimissionis sint necessariae, si religiosus ordines sacros extra Institutum susceperit ?

Quid si religiosus extra Institutum sacros susceperit ordines ?

Ideo, per decretum *Auctis admodum* severa ista est inducta disciplina, ne dioeceses nimis grave subirent onus recipiendi et alendi sacerdotes temere fortasse a Superioribus religiosis ad sacram ordinationem coptatos. Ratio ista prorsus in iis deficit qui, ante ingressum, Ordinarii auctoritate ordinati sunt. Et non minus quam simplex regularium professio,

temporaria vota religiosorum constituta sunt ut recens factis religiosis facilior suppeteret copia discedendi. Quare praesens votorum disciplina postulat, ut decretum *Auctis admodum* ad eos qui in saeculo sunt ordinati non transferatur, nisi postquam *perpetuis* votis Instituto sint incardinati.

Quid si Ordo votorum sollemnium simpliciter professos sacris ordinibus augere possit?

Quaeres, quid si Ordo votorum sollemnium possit ex privilegio simpliciter professos sacris ordinibus augere?

Decretum *Auctis admodum* de huiusmodi ordinatis nihil habet. *Per se* itaque, ius pristinum dicendum est vigere.

Quod si tamen, ob similem rationem similem inculcaverit S. Sedes disciplinam, haec erit peculiaris provisio, non autem mera interpretatio Decreti *Auctis admodum.*

Quid si res urgeat?

N. B. Si periculum fuerit in mora, praecipue si scandalum exterius timendum, poterit ilico decerni et exsecutione compleri dimissio, modo deinde certior fiat S. Congregatio. Quod, ad vitandum scandalum, ipsis Sororum Institutis concedunt *Normae* (art. 198), dummodo res fuerit Episcopo loci probata [1].

Dimissionis effectus.

337. IV. **Dimissionis vis et effectus.**

1. *In Ordine Regularium:*

In Ordine regulari. Vis in vota.

a) Per dimissionem tolluntur vota religiosi, sive is invitus fuerit sive dimissionem petierit. Cfr. Decr. *Sanctissimus,* 12 iun. 1858, III. (T. 2, n. **61**, p. 354, ed. 2 vel 3).

Hanc votorum disciplinam, qua ipsa dimissione solvuntur, putatur quilibet professus respexisse dum vota faciebat. Et quatenus opus sit pro ignorante vel persona cuius casus sit similis, Ecclesia indit dimissioni vim virtualis dispensationis, ut de effectu ambigi nequeat. Sed nihil demonstrat tantam esse istius modi dispensationis efficaciam, ut etiam vota solvat alicuius qui positiva intentione voluerit se votis teneri etiamsi dimittatur. Si istud satis clare constet, videtur pro dispensatione adeunda S. Sedes [2].

In facultatem egrediendi.

b) Dimissus libere egredi potest e monasterio, et in dioecesi quae ipsius erat ante ingressum, pristinum recuperat locum et condicionem. Decl. 20 ian. 1860, ad 4. (T. 2, n. **62**, p. 356.)

Hoc certe cadit etiam in eos qui in ordine sacro constituti Religionem sint ingressi. Hi ergo nec propter defectum tituli ordinationis dicendi sunt suspensi [3], nec proprio carent Episcopo. Et

---

[1] Nec videtur repugnare S. Sedes quin discolus alumnus, qui praesens in conventu nimia facessat negotia, sinatur extra claustra degere; et, quasi mutuo consensu dimissus, permittatur suae conscientiae. Cfr. in causa Montis Pesulani, S. C. EE. et RR. 1 iul. 1898. MONITORE, XII, p. 385.

[2] Ita enucleandum putamus dubium P. BIEDERLACK, in nota ad n. 36, p. 54, 55.

[3] Si quidem titulus requiritur ut ordinari queas. Ordinatus autem, non eo quod titulum amiseris incurris in suspensionem. In hac re plures errant innixi Benedicto XIV, *De Synodo,* l. 13, c. 2, n. 22-25. Sed cfr. Instructionem S. C. Prop. Fidei, 27 april. 1879. *Collectanea,* 1 ed. n. 1179.

contra mentem foret Conc. Tridentini et Decretorum Pii IX de simplici professione hos egressu prohibere. Sic etiam *Bastien*, n. 206.

Quod si, ex privilegio, Ordo possit simpliciter professos sacris augere, recurrunt dicta superiore numero, ad *Quaeres*. Quare, si re vera sacerdotes Societatis Iesu, simpliciter professi, qui sua ipsorum sponte dimissi fuerint, nequeant, non reperto Episcopo, discedere quin suspensione afficiantur, id non videtur ex decr. *Auctis admodum* esse repetendum, sed ex peculiari dispositione ob similem utique causam lata.

Ingressus in Seminarium.

In Seminarium tamen dimissos ne admittat Episcopus priusquam per secretas litteras moderatorum Instituti compererit nihil in iis esse quod statum sacerdotalem minus deceat. (Decr. S. C. C. 22 dec. 1905. PERIODICA, n. **109**, t. 2, p. 65.)

Quid si denuo recipiatur ?

c) Si claustra repetat, condicionem sortitur novicii qui tunc primum probatur.

In Congregatione religiosa.

2. *In Institutis votorum simplicium.*

Vis in vota.

a) Dimissione solvuntur *vota*, si speciali privilegio [1] id est Instituto concessum. Quamvis enim vinculum cum Instituto rumpatur, per se tamen vota dimissione ista non auferuntur. Ita est responsum, anno 1896 (T. 2, n. **132**, p. 453), de iis alumnis qui post vota perpetua dimittebantur, et generaliore ratione statutum recentibus Normis, art. 197.

Petenda itaque superest dispensatio a votis. Quam petere per se ad ipsum religiosum spectat ; ex *caritate* tamen saepe inducetur Superior generalis ut operam suam praestet.

De *ingressu in Seminarium*, redeunt dicta n. **337**, 1, b in fine.

Suspensio incorrigibilium.

b) Qui, in sacris constituti, dimissi fuerint ut incorrigibiles, suspensionem committunt perpetuam et S. Sedi reservatam. Haec non solvetur nisi dimissus Episcopum repererit benevolum receptorem et de ecclesiastico patrimonio sibi providerit. Quia edicitur ut perpetua, poenae proprie dictae non autem censurae indolem habet. Cfr. n **333** fine.

Prohibitio facta iis qui sponte dimissionem petierint.

c) Qui, in sacris constituti, sponte sua dimissionem impetraverint, e claustris discedere prohibentur donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus *suspensi* manent *ab exercitio susceptorum Ordinum*.

Haec ut paulisper declaremus :

a) Videtur esse *censura* presse talis. Sic enim in dubio de poenae natura est dicendum. Quocirca, hinc qui, sanctione ista neglecta, ordinem exercuerit, fit *irregularis ;* illinc vero non incurritur ab eo qui non fuerit contumax.

---

[1] Quod expressa Constitutionum approbatarum dispositione contineri potest.

b) Factum quod plectitur censura est *egressus* e claustro antequam invenerint Episcopum benevolum receptorem, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

Benevolus receptor is est qui religiosum in suam dioecesim *stabiliter* cooptare voluerit.

Vetantur autem religiosi in sacris redire in dioecesim e cuius seminario olim fortasse fuerint dimissi [1].

Ecclesiasticum patrimonium est cautio de perpetuis alimentis, ea copia quae ex synodali definitione iudicatur congrua, seu, brevius, est idem ac titulus legitimus ordinationis.

Duo ergo requiruntur ut discedere possint : ut Episcopus eos velit asciscere in clerum dioecesanum et vel Episcopus vel alii ipsis tribuant titulum quo valeant ordinari : puta conferri beneficium, deponi summam quandam pecuniae.

c) In foro interno censura non committitur ab illo qui ignorans id fecerit. Nec legitur reservata. Sed quia per se est iuris publici et facile ad forum externum perventura, prudenter utendum est facultate dispensandi in foro interno, etiam si iam non stat per religiosum reum quominus redeat vel inveniat Episcopum, etc., quod videtur requiri ut auferatur contumacia.

d) Eos non afficit religiosos qui ante ingressum in Institutum ordinati, nondum per vota perpetua ei sunt incardinati.

e) Tollitur suspensio eo ipso quod religiosus redierit in conventum, vel utrique satisfecerit condicioni.

Quid si benevolus receptor dispensare possit in titulo?

338. I. **Quaeres,** quid si alumnum *sponte egredientem recipere velit* Episcopus qui ex Indulto subditos *ordinare queat sine titulo ?*

R. Videtur Episcopus uti posse sua facultate dispensandi in titulo, erga religiosos quos velit in dioecesim cooptare. Qua dispensatione alumnus de quo agitur levabitur onere quaerendi patrimonium.

Quid si Episcopus recipiat tantum ad probationem quandam ?

II. **Quaeres,** quid si Episcopus prius per aliquod tempus religiosum probare velit antequam eum plene in dioecesim cooptet ?

R. Non modicam experiri solent Religiosi difficultatem in inveniendo benevolo receptore, praesertim si observes minime satis esse receptione condicionata, hac v. gr. forma : « si dignum vel aptum te reppererim. » Atque ipsae leges Conciliorum provincialium vetant interdum ne Episcopus alienum clericum recipiat quem per certum spatium, trium v. gr. annorum, prius non probaverit.

[1] Decretum S. C. C. 22 dec. 1905 (Periodica, n. **109**, t. 2, p. 64), cuius sanctio ad omnes spectat quotquot, dimissi ex Seminario, religiosum quodpiam Institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt.

Ideo inducta erat saecularizationis forma quae dicebatur *ad annum et interim*. Per eam si quidem poterat religiosus per annum versari extra claustra et, permittente episcopo, sacra exercere ministeria quibus sibi consuleret et se probaret idoneum. Verum indulta huiusmodi erant plerisque per infinitum annorum numerum confirmanda. Quocirca facultatem istam iam negare consuevit S. Congregatio, et petenti vel discessum ab Instituto vel saecularizationem, respondere consuevit : Prius quaerat episcopum et deinde rursus recurrat.

Itaque si religiosus non invenerit nisi episcopum qui post congruam probationem tantum voluerit vel potuerit recipere, nihil superest nisi ut recurrat ad S. Sedem, si forte, omnibus perspectis, haec existimet esse extraordinariae concessioni locum.

Num Decr. Auctis admodum *Instituta episcopalia afficiat.*

339. Quaeres utrum sanctiones decreti *Auctis admodum* ad Institutum etiam dioecesanum dicenda sint pertinere ?

R. Instituta ista, cum in potestate sint Episcopi, distinctam a dioecesana incardinationem re vera suis alumnis non conferunt. Quocirca ratio decreti ad ipsa non porrigitur. Ergo nec dispositio, cum iam per se noscantur proprio uti regimine. Confirmamur C. *Conditae*, ubi c. 1, n. VIII, de dimissione agit alumnorum huiusmodi Institutorum, silentio vero praeterit pontificia decreta quae commemorat quando c. 2, n. 1, sermo fit de dimittendo sodali Congregationis presse dictae.

Dimissio itaque est in potestate Ordinariorum loci eo modo quo de dispensatione votorum dictum est n. **327**, **328**. Nec aliquid obstat quin Constitutiones dicant expresse, legitima demissione omnia auferri vota.

ARTICULUS IV. De Apostasia et Fuga

Passerini, De Hominum Statibus, t. 3, in 2, 2, q. 189, art. 8, p. 242 sqq. : *Sanchez, In Decalogum*, l. 6, c. 8 ; *Suarez, De Religione*, tr. 8, l. 3, c. 1-3 ; *Lessius, De iustitia*, etc. l. 2, c. 41, n. 109-115 ; *Pellizarius, Manuale Regul.*, tr. 8, c. 8, n. 43-80 ; *Rotarius, Theol. mor. regul.* l. 3, c. 1 ; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 3, d. 8 ; *Reiffenstuel*, in l. 3 Decr. t. 31, n. 247-259 ; *Schmalzgrueber*, in l. 3 Decr. t. 31, n. 266-277 ; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 5, p. 208 ; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 4, c. 1, p. 506-508 ; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 93 ; *Biederlack, De iure regularium*, n. 96-98 ; *Piat, Praelectiones iur. reg.* t. 1, p. 195-206 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 1, p. 204-213 : *Palmieri, Opus theol.*, tr. 9, c. 1, n. 243-248 ; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, n. 674, 675 ; *Bastien, Directoire canonique*, 209, 210.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 455-458.

Apostasiae et Fugae notio.

340. *Apostasia a Religione*, est criminosa *discessio* a Religione, *regularis proprie talis*, cum *animo non redeundi*.

Fuga est discessus *ad tempus* ab Ordine vel monasterio, sine licentia, *animo vagandi aut extra oboedientiam vivendi*, postea tamen *redeundi*. Quo animo vivendi ad tempus extra oboedientiam differt religiosus fugitivus ab exeunte sine licentia, etiam *furtive*.

Quinam sint Apostatae vel non? Exempla.

341. 1. *Apostata* esse nequit qui discedit inter triennium votorum simplicium ; bene vero Scholasticus S. I.

Nec refert utrum discedens servarit an deposuerit habitum.

2. Apostata *simpliciter* dictus non est, qui discedit animo aliam religionem ingrediendi ; sed est apostata qui electus est ob falsa crimina quae sibi imposuit ut eiceretur. Contra, qui vere deliquit ut eiceretur, etsi virtualiter sit apostata, proprie tamen inter electos videtur reponendus.

Poenae : Reservatio,

342. Quod ad **poenas** quibus plectantur Apostatae :

a) Ex 2° casu *Clementino* communiter reservatur : « Apostasia a *religione*, sive habitu dimisso sive retento, quando eo pervenerit ut extra saepta monasterii seu conventus fiat egressio. » Reservatur ergo apostasia *simpliciter* talis, seu a statu religioso, quae exterius consummetur per egressum extra saepta. Si quis paucos fecerit passus et statim redierit, non videtur casus commissus. Quidam dubitant num incurratur ab eo qui in itinere hunc animum conceperit, et ideo non redierit.

Suspensio,

b) Ex c. *Consultationi* ult. *De Apostatis* (v, 9), Apostatae *suspenduntur* ipso facto ab ordinibus qui durante apostasia suscepti sunt : quae suspensio manet donec vel a Rom. Pontifice vel a Superiore regulari sublata fuerit. Disputatur sitne censura annon Quam suspensionem vigere aiunt etiam post C. *Apostolicae sedis*, cum respiciat internum regimen religionis. Mélot, p. 104.

Amissio privilegiorum,

c) Apostatae qui habitum dimiserint, post sententiam criminis declaratoriam, amittunt *omnia privilegia sui Ordinis*. Quare non iam ali debent a monasterio, puniri vero possunt ab Episcopo.

Excommunicatio.

d) Plerique Ordines habent privilegium quo excommunicantur *ipsorum Apostatae*. Sic Societas Iesu ex S. Pii v C. *Aequum*. Praeterea, in multis Ordinibus, v. gr. rursus in Societate Iesu, in poenas Apostatarum incidunt qui ipsum ordinem deseruerint, seu indebite transierint ad aliam Religionem.

De fuga ad adeundum Superiorem.

N. B. 1. Ex Trid. s. 25, *De Regul.* c. 4, puniendus est ab Ordinario tamquam desertor sui Instituti religiosus quem reppererit recedentem a suo conventu, etiam praetextu adeundi Superiores, nisi scripto mandato ostendat se ab ipsis missum aut vocatum. Excusant tamen eum quem gravis causa ad iter hoc arripiendum impulerit.

2. Praelati regulares tenentur per se solliciti esse de reductione et conversione apostatarum. Piat, 1, p. 185, 186. Patet ipsos apostatas, praeter obligationem redeundi, teneri votis et constitutionibus. *Procuranda conversio Apostatarum.*

343. Contra *fugitivos qua tales* non est poena peculiaris. Sed in pluribus Ordinibus, ut in Societate Iesu, plectuntur *excommunicatione*. *Poenae fugae.*

PARERGON. De religiosis dispersis

Bouix, De iure Regularium, t. 1, p. 3, s. 2, p. 345-385; *Mélot, De Ordinibus*, etc. n. 113-123; *Piat, Praelectiones iuris regul.*, t. 1, p. 210-219; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 1, p. 213-219; *De Angelis, Praelectiones iur. canon.* in l. 3 Decret. p. 169-183; *Palmieri, Opus theol.*, tr. 9, c. 1, n. 271-274; *Bastien, Directoire canonique*, n. 229-233. *Monumenta* cfr. t. 2, p. 459-503.

344. Vis ista exterior qua decedere coguntur suis domiciliis religiosi, ipsos quidem nullo iure, nullo privilegio privat; talem tamen solet inducere condicionem vitae quae peculiares postulet provisiones, ne disciplina religiosa atque ecclesiastica nimis turbetur et pessumeat. Quare, sicubi orta sit huiusmodi procella, S. Sedes opportuna condit decreta quibus quid iuris sit accurate definitur. In universum eo spectant, ut, quantum fieri possit, in tuto sit disciplina religiosa et, restituta pace, instauretur vita perfecte regularis; ut privilegiis nonnullis et gratiis possint et *spiritualiter* pasci et *temporaliter* sibi consulere non laeso voto paupertatis; denique ut in eos qui subtrahuntur dicioni superiorum, ampliore utantur Episcopi potestate. *Cur peculiares provisiones, et quo spectent?*

345. Ita *religiosis Italiae* provisum est Indulto S. Paenitentiariae 28 iun. 1866, una cum declarationibus 18 april. 1867 et 12 sept. 1872; *Galliae* vero per Decr. S. C. EE. et RR. 30 iul. 1881. *Exempla.*

Praecipua capita haec fere sunt:

1. Quantum fieri potest, recipiantur in alium conventum. Secus conveniant in aliquam domum a Superiore designatam, ibique, quantum fieri possit, regulam servent. Et si tres saltem ibi affuerint, habere debent suum peculiarem Superiorem (Decr. 1867, art. 1. 2).

Responso autem 12 sept. 1872, eaedem domus atque ecclesiae iurisdictione Ordinarii declaratae sunt ut antea immunes. Cfr. et S. C. EE. et RR. 26 mart. 1897. *Monitore*, x. 1, p. 122.

2. Si duo tantum simul fuerint (Palmieri, 272, 3) aut si extra huiusmodi domum vivere cogantur, habentur tamquam saecularizati ad tempus, nisi tamen cum fratribus vel fratre

relictis in claustro convenire soleant ad exercitia regularia vel ad tractandum de rebus Ordinis. Exceptio ista videtur traduci etiam posse ad eos qui simili modo frequentent domum ubi tres saltem coniuncte vivant instar communitatis.

Saecularizati itaque fere hi sunt qui cum facultate Superiorum apud saeculares degunt ab aliis segregati, fungentes v. gr. munere cappellani, paedagogi, etc.

Tales porro, quod ad politiam et disciplinam *ecclesiasticam*, subduntur Ordinario loci, a quo etiam ad munera sacri ministerii obeunda compelli possunt. Ita saltem concessum est a° 1881. Quod vero ad disciplinam *regularem* et obligationes professionis, in his quae patitur novus status, propriis subduntur Superioribus. Hi ergo poterunt huiusmodi religiosos mittere ex alio in alium locum, etiam ad exteras missiones (si secundum vocationem), nec Ordinarius id potest impedire (art. 2).

3. In praefatis domibus, si quattuor certe regulares sacerdotes ibi degant, erigi potest permissu Provincialis oratorium privatum, in quo ipsi litare et SS. Eucharistiam servare possunt. Praecepto audiendi sacri soli religiosi et oblati ibi satisfacere possunt (nisi tamen aliunde habuerint iam maius privilegium). Cfr. art. 4 et 19.

In isto oratorio omnes indulgentias lucrantur quibus gaudebant in conventibus unde sunt expulsi (art. 5).

4. Cum licentia Generalis vel Provincialis sibi eligere possunt quemlibet confessarium regularem vel saecularem, ex approbatis tamen ab Episcopo loci, a quo etiam, si opus sit, possint absolvi a casibus et censuris in proprio Ordine reservatis (art. 12). Immo qui in condicione versantur religiosi quasi-saecularizati confessionem facere possunt cuilibet sacerdoti approbato ab Ordinario. S. C. EE. et RR. 4 iul. 1862. Bizzarri, p. 169.

5. Annuentibus Episcopo loci et Superiore regulari, acceptare possunt cappellanias aut beneficium ecclesiasticum (unum tantum), etiam cum cura animarum : quod tamen statim dimittere debent atque ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint (art. 16).

6. *Moniales cum licentia Episcopi* (cui ex art. 7 subduntur mulieres expulsae, etiam quae in novas domos sint translatae), *viri regulares*, cum assensu *suorum Superiorum*, hereditates adire, testari, et similia peragere licite et valide possunt (art. 17), et pecunias legitime acquisitas, servatis servandis, caute collocare (18). Haec tamen facultas facultati Regularium in Belgio assimulari nequit. Peculiaria enim adiuncta respicit quae prohibebant quominus religiosi communem agerent vitam ; et, ut declaratum est a S. Paenit. 21 maii 1880, nullam tribuit proprietatem veram religiosis, qui, ut antea, conventui acquirere pergunt.

7. Regulares utriusque sexus, legitime in saeculo degentes, servant omnes indulgentias personales quibus in conventu fruebantur (art. 6).

Quid de praesenti procella Galliae?

345bis. De recentissima procella quae in Gallia saevit, haec pauca notasse satis sit :

1. Vigere videntur quae prius in similibus adiunctis sunt constituta, nominatim decreto 30 iul. 1881. Id e litteris eruimus Leonis XIII, 29 iun. 1901, n. 5. (Cfr. t. 2, n. **11**, p. 238, et n. **143**, p. 467, ed. 2 vel 3.)

2. Superiores Congregationum religiosarum monentur ut curent pro viribus religiosos sua sede expulsos in aliam recipere in qua ordinate vivant.

Iustas tamen ob causas commorationem extra claustra permittere possunt. Ibi vivunt sub oboedientia Ordinarii loci et etiam Superioris Provincialis, si fuerit ; si nullus fuerit, Superioris vicinioris.

Facultates istae in annum ipsis Superioribus conceduntur.

3. Prorsus simile aliquid decernitur de Sororibus. Sed commoratio extra claustra est ab Ordinario domus principis concedenda, annuente Moderatrice Generali.

Cfr. Monumenta, t. 2, n. **145**, p. 470, 471.

PARS QUINTA

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM

CAPUT I

NOTIONES GENERALES*

ARTICULUS 1. De Privilegiis in universum

Suarez, De Legibus, l. 8; *Rotarius, Theol. mor. Regularium*, t. 3. l. 3, c. 5; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 1, d. 16. 18; *Reiffenstuel*. in l. 5 Decr. t. 33; *Schmalzgrueber*, in l. 5 Decr. t. 33; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civilis*, t. 1, p. 136, sqq.; *S. Alphonsus, Theol mor. Appendix de Privilegiis*: *Bouix, De Iure Regularium*, t. 2. p. 5, s. 2, c. 1, p. 78-85; *C. d'Annibale, Summula theol. mor.* t. 1, n. 222 sqq.; *Palmieri, Opus theologicum*, t. 1, tr. 3. c. 4. n. 387-391; *Scherer, Handbuch des Kirchenrechtes*, l. 2, § 37; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 1, *Introductio*, t. 7, p. 173 sqq.; *Biederlack, De iure regularium*, n. 140; *Piat, Praelectiones iuris regul.* t. 2, p. 91, sqq.

Paucis hic notiones quasdam generales complectimur quae fusius in generali iuris canonici parte proponuntur.

Privilegiorum notio.

346. 1. Privilegium est *lex specialis favorabilis* [1]. Lex dicit ius permanens. Quare *temporalis* concessio iam minus proprie est privilegium.

Species: Clausum corpore iuris; Speciali concessum decreto; Contra et praeter ius;

2. Distinguitur: a) Privilegium clausum *corpore iuris*, i. e. concessum in lege presse tali, utputa authentica iuris collectione, decretis Concilii Tridentini; et privilegium contentum *speciali decreto vel rescripto*, ut quae reperiuntur tantum in monumentis uniuscuiusque Instituti;

b) *Contra ius*, quo conceditur aliquid adversus ius sive omnium commune, sive alicuius ordinis particulare, sive tertii: v. gr. quo sollemniter professi retinere valent sua bona; et *praeter ius*, quod

[1] Wernz, l. c. p. 175.

mere est ultra legem communem : v. gr. facultas absolvendi a reservatis ;

c) *Personale* et *reale*, prout personae coniungitur vel, contra, competit cuilibet possidenti *rem*, *dignitatem*. *Mixti* quadammodo sunt generis quae ita conceduntur communitati ut singuli sodales iis fruantur quatenus pertinent ad illam Universitatem. *Personale et reale, mixtum ;*

d) *Gratuitum*, quae est pura liberalitas ; *onerosum*, cui respondet in privilegiato pacta quaedam stipulatio ; *remuneratorium*, quod intuitu meritorum est concessum, sive ex iustitiae debito, sive ex grato animo. *Gratuitum, onerosum, remuneratorium ;*

e) Concessum *motu proprio*, si spontanea et ultronea voluntate, vel ad *alterius instantiam* ; *Motu proprio, ad instantiam ;*

f) *Scriptum* et *Oraculum vivae vocis*. Sed ut de isto constare possit in foro externo, opus est authentico documento, v. gr. testimonio Officialium Curiae qui ex officio in hoc rerum genere versantur. C. *Alias felicis*, Urbani VIII. Tales fere sunt Praefecti et Secretarii Congregationum et Cardinalis Maior Paenitentiarius [1] ; *Scriptum et oraculum vivae vocis ;*

g) *Pro foro conscientiae tantum*, cuius efficacia est ad quietem conscientiae et iustitiam coram Deo ; et *pro foro externo*, cuius usus est etiam in tribunalibus. *Pro foro conscientiae et pro foro externo.*

347. Modi comparandi privilegium, sunt : 1. Directa *concessio* eius cuius est ius ; *Privilegiorum acquisitio ;*

2. *Communicatio*, de qua dicemus infra, n. **351 ;**

3. *Confirmatio*, seu iterata concessio, quae, si est in forma *speciali*, tribuit ius novum. Haec eruitur ex verbis : *De novo concedimus, — Ex certa scientia, — Ex plenitudine potestatis.*

4. *Consuetudo* seu *praescriptio*, qua, si verae ac rationabilis consuetudinis condiciones exsistant, possunt post pacificum decem annorum usum vel possessionem, comparari privilegia praeter ius, et etiam, ut probabile est et multi contendunt, privilegia contra ius. Si vero ius tertii laedatur, quadraginta annorum spatio, ut minimum aliquid, opus est. Et saepe maior numerus requiritur, vel etiam consuetudo immemorabilis, si tertii ius speciali fruatur protectione legali. Cfr. **Piat**, *Prael. I. R.*, t. 2, p. 104, 105.

348. Privilegiorum interpretatio ; 1. Pro interpretationis vi, est *authentica*, quae fit a concedente vel eius superiore ; *iudicialis*, quae iudicis continetur sententia, estque etiam authentica, et *doctrinalis* quae fit a viro docto. *Interpretatio : Species ;*

N. B. Clausula prohibens *interpretationem* intellegenda est non de mera declaratione, sed de *interpretatione stricte tali*, quae variis subsidiis conetur elicere significationem reconditam, eoque praesertim spectat ut extenuetur vis decreti ; et praeterea, nisi *Clausula prohibens ;*

[1] Cfr. Rotarium l. c. punct. 5, n. 7 ; et, quod ad Card. mai. Paenit., C. *Pastor bonus* § 5, Benedicti XIV, 13 ap. 1744.

severius sonet vetitum, de interpretatione quae fiat *ex professo*, non mere obiter et per occasionem. Cfr. S. Alphonsum, l. c. n. 6.

Regulae. 2. Quod ad *eius regulas*, a) Debet esse *comprehensiva*, non extensiva, i. e. non ultra vim verborum, etsi casus sit similis.

b) *Stricta*, si fuerit privilegium *contra ius*, vel *onerosum*, vel cum *praeiudicio tertii* ; *lata*, si *clausum corpore iuris*, vel *remuneratorium*, vel concessum *motu proprio*.

Privilegiorum amotio. **349. Privilegia desinunt :**

1. De extraordinariis facultatibus quae, ubi sunt generales, i. e. pro indeterminatis personis, proxime accedunt ad privilegia et aliquando quasi-privilegia dicuntur, cfr. infra n. **415**.

2. [1] Nota facultates illas extraordinarias non contineri in revocatione Reg. 14 Conc. Apost. neque *in generali* revocatione privilegiorum, v. g. in fine Const. *Apost.* sed a Pio IX facta.

3. Quandoque morte sive *concedentis* sive *privilegiati*, si constet ea fuisse hoc modo circumscripta ;

4. *Renuntiatione*, si integrum sit privilegiato abdicare privilegium ;

5. *Non usu*, quando vel alter positive praescripserit ius contrarium, vel non usus inferat tacitam renuntiationem. Quare quae mere sunt gratiae, ut v. gr. facultas celebrandi ante auroram, vix hoc modo exstingui possunt.

6. *Abusu*, quae poena est postulans regulariter sententiam saltem declaratoriam ;

7. *Cessante contrarie causa finali*, i. e. quando privilegii usus factus est iniustus, iniquus, perniciosus ;

Nominatim de revocatione. 8. Potissimum vero *revocatione*, quae vel *tacita* est vel *expressa*.

Tacita, a) *De tacita.* α) *Lex generalis* derogat privilegio *corporis iuris* quatenus est ei contraria : inest enim in huiusmodi privilegio natura legis ; non autem *rescripto speciali*, quod non existimatur Pontifici notum ; β) Privilegio *generali* non tollitur *speciale* contrarium, dum *speciale* derogat *generali* contrario ; γ) Privilegio *posteriore* non aufertur gratia contraria, prius concessa, nisi inserta sit in corpus iuris vel diserte in posteriore Indulto commemorata. Tunc enim apparet vel praesumitur e Principis mente non excidisse se de priore gratia detrahere.

Expressa. b) *De expressa.* Clausula generalis, *Non obstantibus privilegiis quibuscumque*, non aufert privilegia quae speciali sunt digna mentione, qualia sunt *privilegia Regularium*. Haec auferuntur clausula qua addatur : *Etiam speciali mentione dignis*, vel *etiam meritorum intuitu concessis* [2]. Quod si ipsa privilegii concessio

---

[1] De his cfr. etiam Putzer, Commentarium in facultates apostolicas et Wernz, I (ed. 1905) n. 163.

[2] His quidem repugnat Hinschius, *System des katholischen Kirchenrechts*, p. 819 et nota 3 ; sed, ni fallimur, tutius in hac re astipulamur probatissimis doctoribus in catholico iure maxime assiduis, quam viri acatholici affirmationi nullo stipatae argumento positivo.

munita fuerit clausula qua dicatur non revocatum iri nisi *de verbo ad verbum* facta sit eius mentio, requiritur clausula huiusmodi : *Non obstantibus quibuscumque privilegiis sub quacumque verborum forma conceptis.* Reiffenstuel, n. 125.

Iuvat tamen ex S. Alphonso, l. c. n. 16, haec observare : « Omnes praefatae limitationes intelleguntur locum habere si non constet de contraria mente derogantis, quemadmodum omnes praefati DD. communiter affirmant ; unde si in lege revocatoria adsit clausula [1] *Ex certa scientia ;* aut *Ex motu proprio*, aut *De potestatis plenitudine,* tunc revocatur omne privilegium quantumcumque qualificatum, exceptis onerosis, aut quando revocatio praeiudicaret iuri a tertio acquisito. Vide Salm. tr. 18, c. 2, p. 4, n. 40 et 42. »

Clausulae confirmationis privilegii.

350. Denique, ut paucissimis declaremus **clausulas** quae in Privilegiorum confirmatione consueverunt addi :

1. *Dum sint in usu.* Hoc idem valet quod : *dummodo* ne sint *abrogata* per non usum.

2. *Dum ss. canonibus et decretis S. Conc. Tridentini non adversentur.* Quam ut declaremus clausulam :

a) *Canones* intelleguntur non quilibet, sed *Tridentini tantum.*

b) Canones et decreta Tridentina sunt ea tantum quae diserte revocant privilegia contraria.

3. *Dummodo non sint revocata.* Hac clausula ea excipiuntur privilegia quae, semel revocata, non fuere per aliam quandam concessionem vel confirmationem restituta.

Hactenus de privilegiis in universum. Restat ut quae de Regularium privilegiis specialiter sunt notanda breviter indicemus.

ARTICULUS II. De privilegiis Regularium

Suarez, De Legibus, l. 8, c. 16 et 17 ; ***Pellizarius,*** *Manuale,* etc. tr. 8, c. 1 ; ***Tamburini,*** *De iure Abbatum,* tr. 1, d. 17 ; ***Rotarius,*** *Theol. mor. regul.,* t. 3, l. 3, c. 5 ; ***Reiffenstuel,*** ad l. 4 Decr. *Appendix De dispensatione,* n. 533 sqq. ; in l. 5, t. 33, n. 53 sqq. ; ***Schmalzgrueber,*** in l. 5, Decr. t. 33 ; ***Schmier,*** *Iurisprudentia canonico-civilis,* t. 1, p. 137, n. 218-229 ; ***S. Alphonsus,*** *Appendix De privilegiis,* n. 9. 10. 11 ; ***Bouix,*** *De iure regularium,* t. 2, p. 5, s. 2, c. 1, p. 76. 78 ; c. 3, p. 157-165 ; ***d'Annibale,*** *Summula,* I, n. 104 ; ***Mélot,*** *De Ordinibus* etc. n. 134-147 ; ***Biederlack,*** *De iure regularium,* n. 141, 142 ; ***Piat,*** *Praelectiones iuris regularis,* t. 2, p. 98-170 ; ***Angelus a SS. Corde,*** *Manuale,* etc. t. 2, p. 298-323 ; ***Wernz,*** *Ius decretalium,* t. 3, n. 664, 665.

Monumenta, cfr. t. 2, p. 509-522 (ed. 2 vel 3).

---

[1] Apposita scilicet ad revocationem. Cfr. Salmantic. l. c. n. 42.

§ 1. *De acquisitione Privilegiorum regularium, potissimum per communicationem*

Cur hic de sola communicatione.

351. Cum alii modi quibus Regulares privilegia acquirere possunt, nullam peculiarem explicationem postulare videantur [1], ad privilegiorum communicationem est nobis attendendum animo.

Notio communicationis privilegiorum.

Privilegiorum communicatio est privilegium quoddam generale vel speciale, quo certae personae, societates, loca, participant, plus vel minus plene, privilegia aut gratias directe aliis personis, etc., concessa. Etenim communicatio fieri potest :

Species :

Accessoria et dependens.

1. *Accessorie* et *dependenter* ab iis quibus concessa fuerunt primo et principaliter, ita ut apud eos qui privilegii sunt participes, gratia easdem ferat vices (ampliationis, revocationis) quas penes privilegiatum principalem ; non item contra. Hoc genere communicationis uti solent familiares et Moniales secundi Ordinis.

Aeque principalis.

2. *Directe, pariformiter,* et *aeque principaliter :* Privilegium tunc fit ita proprium communicantis, ut penes hunc non mutetur, si forte priori, cui directe erat factum privilegium, sit deminutum vel adeo sublatum.

Mens S. Congr. Indulgentiarum.

N. B. Noluit tamen S. C. Indulgentiarum hanc doctrinam ratam habere ; et falsam declaravit sententiam affirmantium Indulgentias, quas revocatio Pontificia eripuisset priori privilegiato, servari ab Ordinibus qui easdem ex communicatione haberent, nisi revocatio diserte de iis fecisset mentionem. Resp. S. C. Indulg. 31 ian. 1893 ad 17. *A. S. S.* t. 25, p. 506. 507.

Quibusnam haec participatio sit facta.

352. 1. *Mendicantes* habent plenam, perfectam et aeque principalem communicationem privilegiorum, tum inter se, tum cum aliis *Ordinibus, Congregationibus, Collegiis* monasticis vel non monasticis. Vi istius communicationis, nanciscuntur istorum Institutorum *privilegia,* tum praeterita tum futura, quae versantur in *personis, locis, festivitatibus* et *indulgentiis.* Cfr. C. Leonis x, *Dudum per nos,* 10 dec. 1519 ; Clementis VIII, *Ratio pastoralis officii.*

Privilegium Mendicantium.

De Indulgentiis.

Sunt tamen qui existiment *Indulgentias* non acquiri communicatione nisi ab iis qui Indulto fruuntur quo diserte ipsis etiam Indulgentiarum conceditur communicatio.

De communicatione inter domos.

Immo quae uni *domui* sunt concessa, omnibus per se prosunt domibus, ex dicta C. Leonis x, *Dudum per nos.*

---

[1] Observes tantum, ex vigente disciplina, privilegia activa raro per consuetudinem acquiri. Pro *indulgentiis* etiam solent privilegiorum communicationem iam satis neglegere, ut directas observent concessiones.

2. Haec Mendicantium communicatio per se *non est mutua*. Plerique tamen *Ordines non Mendicantes* eam etiam impetrarunt ; *De Ordinibus non Mendicantibus.*

3. Nonnullae praeterea *Congregationes* quadam fruuntur communicatione. Sic PP. SS. Redemptoris participes fiunt gratiarum, etc. quae conceduntur Congregationibus Doctrinae Christianae, Piorum operariarum et PP. Passionistarum. Cfr. Piat, l. c. p. 101. *De Congregationibus.*

4. Excepta speciali concessione, *Tertiarii* non fruuntur communicatione neque cum Tertiariis aliorum Ordinum, neque cum primo Ordine ad quem pertinent. S. C. Indulg. 31 ian. 1893. *A. S. S.* t. 25, p. 506. 507. Communicationem Indulgentiarum et piorum operum 1 et 2 ordinis obtinuerunt Tertiarii S. Dominici, concessu Pii VII, 6 iul. 1806 [1], et Tertiarii S. Francisci, brevi *Cum dilectus*, 7 iul. 1896. *De Tertiariis.*

353. Quaeres de Monialibus Belgii et Galliae ? Moniales quae in Gallia et Belgio pertinent ad Ordines regulares, etsi ibi non faciunt professionem sollemnem, retinent tamen privilegia et gratias spirituales quibus antea fruebantur. *De Monialibus Belgii et Galliae.*

354. *Non communicantur* privilegia : a) Quibus addita est *clausula incommunicabilitatis*, saltem *specialis* [2] : nam concessa est generalis communicatio etiam privilegiorum quae habent clausulam prohibitivam communicationis. Si postea tamen alii Ordini eadem fuerint sine illa clausula concessa, communicationi nihil iam obest. *Privilegia excepta.*

b) *Exorbitantia*, quae raro conceduntur, specialem notam merentur. Inter haec, concessio officiorum, additio nominis SS. Fundatoris in Litaniis et Confiteor, repositae sunt a S. R. Congreg., 20 mart 1706 ad 3^um^. Hoc loco sunt etiam quotquot privilegia praeiudicium afferunt specialibus iuribus Episcopi. Monacelli *Formularium*, art. 13, form. 4. n. 33 sqq. C. d'Annibale, *Summula*, I, n. 105, nota 21 ;

c) Quorum communicatio cederet *in detrimentum observantiae regularis :* ut plura privilegia Ordinum militarium de peculio, etc. ;

d) Quae ob *motivum* omnino *speciale* concessa sunt, v. gr. alicui loco ob possessam imaginem B. M. V. Quare communiter docent non communicari Indulgentiam Portiunculae.

e) Privilegia *poenalia et odiosa,* ne gratia convertatur in onus ;

---

[1] Cfr. N. R. Th. t. 26, p. 391.

[2] Talis videtur clausula « de specialissima gratia numquam in exemplum afferenda » quacum Clerici Regulares Infirmis ministrantes impetrarunt privilegium altaris portatilis etiam in domibus privatis. (S. R. C. 29 iul. 1905. Cfr. Monitore, XVII, p. 359).

f) Quae *in tempus* tantum conceduntur : non sunt proprie dicta privilegia.

g) Privilegia *personalia*, seu Religioso concessa, non quatenus in Ordine certum locum vel gradum habet, sed ut personae particulari.

355. Communicatio fit : *De praelatis ad praelatos* qui eiusdem sint dignitatis, etsi forte nomine differant; — De *fratribus* privatis *ad fratres* privatos ; — De *conventibus* ad *conventus ;* — De *festivitatibus* ad *festivitates*. Ita Iulius II, 1 iun. 1509, C. *Alias ad supplicationem*.

Hinc, v. gr., quod Superioribus unius Ordinis indultum fuerit, prodest Superioribus alterius ; indulgentia pro festivitate Fundatoris Ordinis Franciscani, concessa intellegitur pro festivitate alterius Fundatoris, etc.

De communicatione privilegiorum Societatis Iesu.

356. Ex iure speciali, privilegia, favores, facultates quae a S. Sede vel auctoritate delegata personis vel locis Societatis Iesu conceduntur, existimantur prius concessa Praeposito Generali, ita ut alii his gratiis frui nequeant nisi quantum Praeposito visum fuerit id concedere. Atque hac tantum lege Societas fit particeps etiam gratiarum quae directe aliis sunt factae Ordinibus.

Hinc autem *quaeritur utrum necne ceteri Ordines privilegia a Societate Iesu accipiant obnoxia eidem legi*. Quod videtur negandum. Quare, nisi ipsa privilegii concessio diserte hanc condicionem ferat, ceteri Ordines eo immediate uti valent, etiam inconsulto suo capite.

§ 2. *De Privilegiorum regularium interpretatione et conservatione*

Interpretandi privilegia modus.

357. I. **De eorum interpretatione**. 1. Quod ad *modum interpretandi*, 1. Privilegia Regularibus concessa, sive quia clausa sunt corpore iuris, sive quia remuneratoria, *latissime* sunt interpretanda. S. Alphonsus, l. c. n. 7.

Genera.

2. Quod ad *interpretationis genus :*

a) *Doctrinalis* interpretatio per se permittitur *viro docto*, eiusque iudicio licite stari potest.

b) *Iudiciali* privilegiorum Regularium interpretatione prohibentur Episcopi. Causa reservatur S. Sedi.

Ad quietem subditorum.

c) *Ad quietem subditorum*, in foro *conscientiae*, possunt Praepositi Generales Ordinum Regularium qui communicant in privilegiis Mendicantium, auctoritate apostolica declarare dubia quae super constitutionibus, privilegiis, gratiis a Sede apostolica concessis et concedendis emerserint. Facultas ista facta est FF. Praedicatoribus a Iulio II, per C. *Considerantes*, 4 dec. 1509 ; et Tertiariis S. Franc. a Clemente VII per C. *Dum uberes*, 13 mart. 1525.

Nisi ergo interpretatio adversetur litterae privilegii, subditi ei acquiescere possunt et debent ; iudex tamen fori externi eadem nullatenus astringitur. Cfr. C. de Lugo, *Responsa moralia*, l. 4, d. 4, n. 10-12.

Privilegiorum tutela.

358. II. **Tutela** ista olim pertinebat potissimum **ad iudicem conservatorem.** Talem deligere sibi poterant Ordines regulares inter iudices synodales, vel. si nulli reperirentur in dioecesi, inter personas dignitate ecclesiastica vel personatu fulgentes, vel inter canonicos Ecclesiae cathedralis [1]. Isto delectu iudex ille referebatur in iudicibus delegatis a S. Sede. Eius autem iurisdictio huc spectabat ut Regulares ab iniuriis et damnis manifestis vindicaret. Hodie autem, cum facilis suppetat copia adeundi Sacras Congregationes, institutum istud fere ubique obsolevit. Cfr. Bouix, II, p. 157-165.

Iudex conservator.

Tutela benevola, sine iurisdictionis usu, pertinet adhuc ad *Cardinalem Protectorem*, de quo infra, n. **398**, **399**.

Cardinalis protector.

§ 3. *De Privilegiorum regularium revocatione*

Revocatio oraculorum vivae vocis.

359. 1. A Gregorio XV [2] et ab Urbano VIII [3] revocatae sunt omnes gratiae ad annum 1635 concessae per **oracula vivae vocis**, praeter eas quae effectum suum erant sortitae, vel expeditae fuerant per eos Officiales qui, pro munere quod gerunt, fidem facere solent de pontificiis oraculis

2. A Clemente XII [4] revocata sunt non pauca Indulta et gratiae certi argumenti, nisi concessa fuerint vel per litteras apostolicas. vel per rescripta SS, Congregationum, a S. Pontifice approbata, vel per S. Paenitentiariam.

Revocatio Indulgentiarum.

360. C. *Romanus Pontifex*, 23 maii 1606, Paulus V simul plures **indulgentias** concessit voluitque esse Ordinum communes, abolevit autem reliquas omnes ad illam diem Ordinibus quomodolibet concessas. Indulgentiae tamen concessae certis *locis* vel pro solis defunctis videntur his clausulis non comprehendi. Ita Theodorus a Spiritu sancto, *De Indulg.*, p. 2, c. 2, art. 1, § 6.

Revocatio Tridentina.

361. Magna movetur quaestio, quaenam **privilegia** fuerint a Tridentino Conc. revocata. Constat quidem revocata esse privilegia anteriora quae repugnant decretis s. 25, *De Reg.* (salva limitatione c. 16, in gratiam Soc. Iesu) ; vel aliis decretis quae continent *clausulam derogatoriam* illorum.

---

[1] C. *Sanctissimus*, Gregorii XV, 20 sept. 1621. Cfr. Bened. XIV, *De synodo*, l. 4, c. 6-21, 3.

[2] C. *Romanus Pontifex*.

[3] C. *Alias felices recordationis*.

[4] C. *Romanus Pontifex*.

Sed si adversentur decretis quae hac clausula carent, id disputatur. Revocata esse negant Reiffenstuel, in l. 3, t. 33, n. 13 sq., Schmalzgrueber, ibid. n. 236 sqq., Aichner, *Compendium iuris eccl.* p. 488. Adversarii, v. gr. Scherer, arguunt ex C. Pii IV, *In Principis Apostolorum*, 16 feb. 1565. Ad id respondetur non aliam fuisse mentem Pii IV atque Concilii ; Concilium autem noluisse illa privilegia abrogare. Cfr. Pirhing, *Ius canon.* l. 5, t. 33, n. 54 ; Reiffenstuel, eodem loco, n. 135 sqq. ; Mélot. p. 173.

CAPUT II

DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS ET POTESTATE EPISCOPI [1]

Passerini, De Hominum statibus, t. 3, in 2, 2, q. 189, art. 10, p. 797 sqq ; *Pellizarius, Manuale*, t. 2, tr. 8, c. 6, s. 1 ; *Rotarius, Theol. mor. regul.*, t. 3, l. 3, c. 5, punct. 6 ; ***Reiffenstuel***, in l. 1 Decr., t. 31, n. 108 sqq. ; ***Schmalzgrueber***, in l. 5 Decr. t. 33, n. 179 et 246 sqq. ; ***Cespedes***, *De Exemptione regularium* : ***Tamburinus***, *De iure Abbatum*, t. 3, d. 15 ; ***Thomassinus***, *Vetus et nov. Eccl. discipl.*, p. 1, l. 3, c. 30 sqq. ; ***Zaccaria***, *Antifebronius*, p. 2, l. 5, c. 1, *n.* 5 sqq. ; *Antifebron. vindicat.*, dissert. 10, c. 4 : ***S. Alphonsus***, *Appendix De privilegiis*, n. 72 sqq. ; ***Bouix***, *De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 2, c. 2, p. 85 sq. ; ***Devoti***, *Instit. can*, l. 1, t. 9, § 12, not. 6 ; ***De Buck***, *De exemptione regularium conservanda et confirmanda* ; ***Mélot***, *De Ordinibus Congregationibusque*, n. 158-169 ; ***Scherer***, *Handbuch des Kirchenrechts*, l. 4, c. 2, § 145, p. 739-746 ; ***Piat***, *Praelectiones iuris regul.*, t. 2, p. 1 sqq. *N. R. Th.*, t. 31, p. 575 sqq. ; ***Angelus a SS. Corde***, *Manuale*, etc., t. 2, p. 323-334.

ARTICULUS I. Exemptionis ratio, genesis, utilitas

Exemptionis notio ;

362. I. **Exemptionis ratio**. 1. Exemptionis *notio*. Genus istud exemptionis seu immunitatis de quo hic agitur est libertas a dominatu Superioris immediati, qua fruitur is qui speciali tantum vel maiori Praelato praestare debet oboedientiam. Itaque *Regularium* exemptio est eorum libertas a iurisdictione Episcopi seu Ordinarii loci, qua propriorum tantum Praelatorum et Summi Pontificis regimen ferre cogantur.

Divisiones : Personalis,

2. *Divisiones :* a) Exemptio est *personalis, localis, mixta*. *Personalis* ipsas liberat personas, ubicumque versentur,

---

[1] Cfr. de vi exemptionis, *Supplementum* VII in altero tomo.

sed nullatenus loca ubi consederint [1], *localis* directe afficit loca, personas autem quatenus in eo sunt loco, ita ut simul cum adventu et discessu initium vel finem habeat personarum exemptio [2]; *mixta* simul personas et locum eximit iurisdictione Ordinarii, qui, exceptis quibusdam casibus, neque in personas neque in locum quicquam possit. Huiusmodi est Regularium exemptio [3].

Localis,

Mixta:

b) Est *activa* vel *passiva* tantum. *Activa* tribuit Praelato exempto iurisdictionem in aliquod territorium omnesque eius incolas. Idque rursus bifariam. Namque vel territorium istud *nullius* est *dioecesis* et Praelati, seu *Abbatis Nullius*, regitur, instar dioeceseos, iurisdictione quasiepiscopali, vel est *in dioecesi*, ita ut Episcopo dioecesano certa quaedam in illum locum competant iura.

Activa duplex,

Passiva exemptio circumscribitur personis exemptis et ipso monasterio, nihil autem imperii tribuit Praelato in vicinum clerum vel populum. Huius generis est per se condicio Praelatorum regularium [4].

Passiva, quae est perfecta vel imperfecta.

Passiva illa exemptio nobis videtur distinguenda *perfecta* et *imperfecta*. Per se enim, ut colligitur ex dictis ab initio n. **14**,3, religiosi hierarchiae ecclesiasticae subduntur tum quod ad communem fidelium condicionem seu disciplinam *ecclesiasticam*, tum quod ad disciplinam ipsorum propriam, i. e. sectandae perfectionis seu *religiosam*. Erit igitur perfecta vel imperfecta exemptio, prout Episcopus nullam retinet iurisdictionem, vel eam servat qua ceteros regit fideles. Usus tamen est ut exempti dicantur ii tantum qui per se omnem declinare possunt Episcopi iurisdictionem.

363. II. **Exemptionis genesis**. In causa nondum plane demonstrata haec videntur tradi posse.

Exemptionis facta historica.

1. In primordiis, ex ipsa naturali rerum condicione erant monasteria in potestate Episcoporum. Quae potestas vel ipso frequenti usu prodebatur, ut si, quemadmodum in Africa, Gallia, Italia, ipsi Episcopi in partem venerant condendi monasterii; vel formaliter agnoscebatur eo modo quo monachi Aegyptiaci profitebantur oboedientiam Archiepiscopo Alexandrino; vel paucis cernebatur vestigiis, ut in primis Institutis Monachorum stricte Orientalium: ius tamen Episcopi nec negari potest nec querelae tunc dabat locum.

2. Ubi res coeptae sunt accuratius componi, prius videtur dubitatum de ipsa ratione qua monachi Episcopis obtemperare debe-

Initia.

---

[1] Cfr. v. gr. c. *Volentes* 1. *De privilegiis* in 6 (v, 7).
[2] Cfr. v. gr. c. *Cum capella*, 16, *De privilegiis*, etc. (v. 33).
[3] C. Volentes, § 1, *De privilegiis* in 6. (v, 7), C. d'Annibale, 1, § 70.
[4] De triplici illa Praelatorum condicione, cfr. C. Petra, in C. 4. Callisti III, t. 5. p. 49.

rent : h. e. utrum clericorum tunc propria an communi tantum fidelium tenerentur oboedientia. Atque huc spectarent prima libertatis decreta, ut monasteria pronuntiarent « a condicione clericorum omnibus modis libera ». Haec *interioris regiminis* immunitas, quam imperfectam diximus exemptionem, iam apparet in Africanis conciliis saeculi VI [1]. Videtur etiam istis monasteriis licuisse, ut a quolibet episcopo sibi asciscerent sacerdotes, qui sibi sacris operarentur.

Progressiones.

3. Quo tamen a quorundam Episcoporum exactionibus et molestis quandoque oppressionibus [2] se magis immunes vindicarent, impulsi sunt monachi ad quaerendum sibi praesidium sive Regis sive summi Pontificis. Monumenta monasteriorum sic in fide et clientela S. Sedis versantium multa sunt a medio saeculo IX [3]. Hinc, quamvis clientelae et exemptionis rationes essent inter se distinctae, proclivi tamen cursu factum est, ut commendatis sibi monasteriis SS. Pontifices conferrent privilegia, immunitates et ipsam denique *pleniorem exemptionem*.

Hanc ad undecimum refert saeculum van Espen [4] ; verius tamen dicere videntur qui vetustiorem exemptioni assignant originem, quam alii tribunt saec. IX, alii repetunt ex ipso saec. VII et VIII vel adeo VI [5].

Immo de orientali Ecclesia haec habet Thomassinus [6] : « Inficias ire non possum, quin saeculo iam septimo essent in patriarchatu Constantinopolitano bene multa coenobia, ab Episcoporum dioecesanorum spirituali iurisdictione prorsus absoluta, et uni immediate subiecta Patriarchae Constantinopolitano, et exarcho patriarchali, quem ille ad omnium omnino monasteriorum administrationem delegabat. »

Exemptio ista pertinuit saec. 12 ad communem condicionem monasteriorum.

Plenissimam deinde consecuti sunt exemptionem Ordines mendicantes et plures recentiores Religiones [7].

---

[1] Conc. Carthaginensia a. 525 et 535. Cfr. Hefele, *Conciliengeschichte*, t. 2, p. 691. 695. 738.

[2] Haec dicimus bona venia Praesulum qui religiosis utilissimi affuere amici et patroni. Sed sermo scriptorum alterius aetatis videbatur memorandus. « Scimus quod ob quietem monasteriorum et Episcoporum tyrannidem has exemptiones plerumque RR. Pontifices indulserunt. » Ita, v. gr., Richardus Archiep. Cantuar. in epistula ad Alexandrum III in qua deplorat abusus exemptionum. (M. P. L. t. 22, c. 145).

[3] Cfr. Blumenstok, *Der päpstliche Schutz im Mittelalter*.

[4] *Ius ecclesiasticum*, p. 3, t. 12, c. 4, n. XXI.

[5] Cfr. Aichner, p. 402, nota ; Scherer, l. c. p. 740. not. 33. In dubio isto perpendendo, difficile est iudicare utrum diplomata plenam an eam tantum quam diximus imperfectam concedant exemptionem.

[6] L. c. n. 15.

[7] Catalogum multarum Constitutionum huc spectantium proponit Scherer l. c. p. 742, nota 36. Plura diplomata quibus firmantur privi-

4. Cum sic essent in tuto monasteria et Ordines, multis istis exemptionibus nimisque deminuta auctoritate offendi coepti sunt Episcopi, praesertim post schisma Occidentis. Quare de temperando privilegio sollicitus fuit non unus Pontifex, v. gr. Martinus v, Leo x, Paulus iii, donec Concilium Tridentinum restituerit Episcopis in variis casibus sive *delegatam* sive *ordinariam* sive *utriusque rationis* iurisdictionem, quam etiam in Regulares exercere valerent.

Quo iure Tridentino etiam hodie maxime utimur. Memoranda tamen postea est celebris C. Leonis xiii *Romanos Pontifices*, qua mutuas Episcoporum et Regularium qui in Anglia sacris vacant ministeriis rationes definivit. Quae Constitutio iam communis est lex in locis missionum.

Exemptionis utilitas.

364. III. Apte temperatae **exemptionis utilitas** sollemniter hodie etiam est a Summis Pontificibus affirmata. Eius « utilitas, ait Gregorius xvi, ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haereticorum et incredulorum in illam odio [1] comprobata est [2]. »

Iustas eius causas, ex vitae religiosae rationibus depromptas, ita paucis complexus est Leo xiii, C. *Romanos Pontifices*, initio : « Quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta atque conexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur ; denique ut esset incremento et perfectioni *religiosae conversationis* [3] consultum. »

Itaque possumus eandem exemptionem, fere imitati De Buck, op. cit. p. 124, his argumentis comprobare. Per exemptionem consulitur :

1. *Unitati* et *disciplinae Ordinis religiosi*, cujus genuinum spiritum magis fovebunt proprii Superiores ad eius peculiarem indolem informati.

---

legia Regularium, vulgo appellantur nomine *Mare Magnum*. Ita *Fratres Praedicatores* habent *Mare magnum* Gregorii xi, C. *Virtute ;* Eugenii iv, C. *Romanus Pontifex ;* et praesertim Sixti iv. C. *Regimini* (31 aug. 1474). Altera eiusdem nominis Constitutione is Pontifex contulit *Mare magnum Fratribus Minoribus ;* C. vero *Dum ad*, (23 aug. 1476), *Mare magnum Cononicis Lateranensibus. Servis B. M. V.* est *Mare magnum*, ex C. Urbani vi *Sacrosancta*. 7 ap. 1380 ; *Minimis*, C. Iulii ii *Dudum*, 28 iul. 1506.

[1] Ita cum a° 1880 iniquis decretis religiosi e Gallia sunt pulsi nisi civili essent potestate probati, qui probari vellent sub potestatem dicionemque cadere debebant Episcopi. Quod, nova saeviente procella, instauratum est art. 19 decreti praesidis reipublicae, 17 aug. 1901. Eadem subiectio qua Episcopis fiant obnoxii statuitur art. 1 d) regalium decretorum in Lusitania adversus familias Regularium (18 aprilis 1901). Cfr. ANALECTA ECCLESIASTICA, 1905, p. 425.

[2] Ex litteris Arch. Mechliniensis, 15 ian. 1836. Cfr. *Statuta Mechliniensia*, appendix 23.

[3] S. Greg. M. Epist. 3, l. 9 ; Ben. xiv, Epist. Decret. *Apostolicae Servitutis*, pridie Idus martii, 1742.

2. *Fini universaliori* quam est unius dioecesis bonum, ad quem Religiones consueverunt dirigi.

3. *Dignitati et decori Sedis Apostolicae,* cuius summum imperium et immediatam in omnes Christi fideles iurisdictionem religiosi exempti luculenter testantur, et, quod plurimum valet, in sua causa perpetuo confirmatam usu demonstrant. Et, si qua parte impugnetur, iidem sunt illius potestatis veluti nati assertores et defensores, per omnes sparsi regiones.

4. *Bono dioeceseum.* Nam, praeterquam quod liberat Episcopos molesta sollicitudine et cura, privilegium istud stimulat fervorem ac zelum utriusque cleri, inducta inter utrumque sancta quadam aemulatione : quod in uno fortasse desideretur, facile ab altero suppletur ; impedit quominus contagium erroris atque vitiorum facile *universum* clerum et subinde populum inficiat, atque maiorem copiam suppeditat ministrorum, qui sancte eorum animos excolant : Quod commodum opponit S. Thomas Gulielmo a S. Amore in opusc. 19, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem,* c. 2.

5. *Bono communi* totius Ecclesiae, ad quod plurimum refert ut floreat status religiosus, S. Sedis auctoritas sancte servetur, singulae dioeceses spiritualibus bonis abundent ; et cui maxime prodest haberi, praeter militiam veluti provincialem, copias quae in necessitates totius reipublicae magis immediate intendant.

ARTICULUS II. Praesens exemptionis disciplina

Ordinum virorum exemptio generalis.

365. I. **De Religionibus virorum.** 1. *Per se generali* fruuntur exemptione omnes et singuli Ordines virorum. *Ordines,* inquam ; singula enim monasteria subduntur Episcopis *tamquam delegatis S. Sedis,* nisi, in congregationem redacta, habeant sua capitula generalia et ab his deputatos visitatores [1]. Cfr. C. Trid. s. 25, c. 8, *De Regul.* Constat ex Constitutionibus pontificiis quae singulis sunt concessae, et ex C. *Romanos Pontifices :* « Haud immerito RR. PP.... Clerum regularem Episcoporum iurisdictione exemptum esse statuerunt. »

Eius amplitudo.

2. Exemptio porro ista :

Quod ad personas,

a) Quod ad *personas,* complectitur ipsos regulares, eorum novicios et oblatos, et alias personas « quae sunt de monasteriorum familia. » Ita ex C. Tridentino s. 25, *De Regul.* c. 11, quo ceterae personae hoc excluduntur beneficio. De monasteriorum autem familia esse iudicantur qui degunt

[1] Santi tamen, in l. 3, t. 39, n. 20 excipit extra partes Italiae, monasteria fundata ante decr. Urbani VIII (21 iun. 1625), in quibus regularis vigeat observantia.

sub Regularium oboedientia eorumque sunt continui commensales. Cfr. parte 8, c. 3 et Piat, op. c., t. 2, p. 177-178.

b) Quod *ad loca*, afficit monasteria legitime erecta quae legitimum numerum religiosorum continere soleant. *Loca ;*

Si *scriptum iuris* consideres, numerus iste, ex C. *Nuper* Innoc. XII, d. 23 dec. 1697, est *in Italia et insulis adiacentibus*, definiendus *ad sex* saltem religiosos, quod ad monasteria erecta ante decretum Urbani VIII, 21 iun., 22 sept. 1625, et non suppressa C. *Instaurandae* Innocentii X ; ad *duodecim* vero quod ad reliqua monasteria. Atque ita etiam habetur resp. S. Cong. Conc. 26 aug. 1873 [1]. *Extra* vero *partes Italiae*, nullus numerus requiritur monasteriis quae decretis Urbani VIII sunt tempore priora ; in aliis autem, ex iisdem decretis, oportet ut commorentur 12 religiosi [2]. Attamen videtur usus esse S. Cong. EE. et RR. ut iam pro exemptis habeat Regulares qui sex numero eandem insidant domum, praesertim si quattuor ex illis sint sacerdotes. Sic iam, 12 maii 1741, in causa minorum Conventualium, declaravit « Episcopum posse visitare solum quando actu non adsint sex Religiosi ; » et C. Leonis XIII *Romanos Pontifices* eandem videtur laudare sententiam, quam proponunt etiam Craisson, *Manuale iuris can.* n. 2564, Smith, *Compendium iur. can.* n. 455, Huguenin, *Ius canon.* c. *De Regularibus* art. 15, C. Melchers, *De canonica dioecesium visitatione*, p. 12, n. 7. *De requisito numero.*

Quinimmo in Italia, dum praesens ibi permanet rerum condicio, exemptione iam fruuntur tres religiosi simul unam habitantes domum ; et notandum est, novicios professis in favorabilibus aequiperari. Cfr. S. C. Ep. et Reg. in una Neritonen. 26 mart. 1897, et Mediolanen. Exemptionis, 3 mart. 1905. A. S. S. t. 38, p. 144.

Praeterea, nisi specialia inciderint adiuncta, Sacra Congregatio non instat ut Episcopi suo utantur iure visitandi minores conventus [3], immo ipsis interdum persuasit ut abstinerent [4] ; neque istas domus Episcopi visitare solent. Cfr. *A. S. S.* t. 2, p. 155. Ita, *in Belgio*, litteris Arch. Sterckx, 15 ian. 1836, provisorie concessae sunt facultates exemptorum Superioribus qui minoribus praeficiuntur domibus [5]. Litterae istae receptae sunt etiam in dioec. Gandavensi et Tornacensi ; ususque similis est dioec. Brugensis et Leodiensis. In Namurcensi non exsistunt parva monasteria [6]. *De visitatione minoris domus.*

Denique, nisi agatur de iis conventibus quos prius exstinctos mox

---

1 Cfr. Santi, *Praelectiones iuris eccl.* l. 3, t. 36, n. 11. 12.
2 A. S. S. t. 7, p. 630.
3 Cfr. Aichner, *Compendium*, etc., p. 471, not. 14.
4 Cfr. Lucidi, *De Visitatione*, t. 2, p. 59, n. 67. 68.
5 *Statuta Mechlin*, n. 155 et Append. n. XXIII.
6 Ita saltem ante dispersionem gallicam. Nihil tamen peculiare de usu istius dioecesis etiam nunc dicendum occurrit.

restituit Innocentius x, visitatio et ius Episcopi circumscribuntur iis quae ad *ecclesiasticam* pertinent disciplinam, exclusa *regulari*. Cfr. Ferraris v. *Conventus*, art. 2, n. 38, Pignatelli, *Consult. canon.* t. 1 consult. 136, n. 24; Del Bene, *De Immunitate et Iurisdictione*, c. 14, dub. 22, n. 5.

Visitatio fit ab Episcopo, tamquam Apostolicae Sedis delegato. C. *Ut in parvis*, 10 feb. 1654.

In locis Missionum. In America latina.

In locis Missionum, quibus accensentur Anglia, Scotia, Hollandia, nullus requiritur definitus numerus. C. Leonis XIII *Romanos Pontifices.*

De *dispersis* diximus supra n. **345**.

Post *Concilium plenarium Americae latinae* anni 1899. Constitutio ista ad totam Americam latinam est extensa. Cfr. *Acta et Decreta*, p. CIX.

Exceptio.

Immunitate tamen carent, ex C. Trid. s. 21, c. 8 *Ref.* sed Episcopis, *etiam tamquam S. Sedis delegatis*, subduntur monasteria *commendata* (sub commenda) in quibus non vigeat regularis observantia.

Quod ad casus.

c) Quod *ad vim*. exemptio ista est *universalis*, praeter casus qui *nominatim probantur* excepti [1]. Id eo constat, quod exceptiones istae corrigunt ius superius quo plenissima sanciebatur exemptio et noluerunt generalem vim tollere exemptionis ante concessae.

Quod ad facultatem Regularium.

d) Denique obligat ipsos Regulares, qui huic privilegio *renuntiare* nequeunt, quippe quod auctoritatem S. Sedis commendet. Cfr. S. Alphonsum, *De privilegiis*, n. 73.

De Procuratione.

N. B. 1. *De procuratione*, i. e. de alimentis quae Episcopo visitanti debeantur, cfr, Santi-Leitner. *Praelectiones*, etc. l. 3, t. 39, n. 14. 20.

2. Si Ordo cui praeesse solent laici consecutus fuisse videatur communicationem privilegiorum et etiam exemptionis, superiores non possidebunt tamen spiritualem iurisdictionem, nisi quatenus sint quandoque sacerdotes vel clerici cfr. MONITORE XVI, p. 28.

Monialium exemptio.

366. II. **De Monialibus.** 1. Monasteria Monialium quae immediate subduntur Summo Pontifici plerumque reguntur ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicae delegatis. Ita ex Tridentino Conc. c. 9, s. 25, *De Regul.*

2. Quae vero in potestate sunt primi alicuius Ordinis virorum sunt, ex eodem capite Tridentino, exempta, exemptione quae artioribus tamen continetur finibus.

Quid in Belgio, Gallia?

3. In Belgio vero et in Gallia, moniales quae ad antiquos Ordines pertinent nulla fruuntur exemptione. Cfr. Piat, t. 2, p. 5 sq.

---

[1] Cfr. *Supplementum* VII alterius tomi.

367. III. De **Institutis votorum simplicium.** 1. Nonnulla peculiari muniuntur *privilegio*, quo, non secus atque Ordines presse tales, libera sunt ab Episcopi iurisdictione. Ita Congr. Clericorum excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C., Decreto 21 sept. 1771, et Congr. Presbyterorum SS. Redemptoris, ex Brevi Pii VI, *Sacrosanctum*, 21 aug. 1789, et Brevi Pii VII, *Qui sicut*, 9 ian. 1807. Cfr. decl. S. C. EE. et RR. 16 sept. 1864. Exigitur ut in domibus permaneant 12 religiosi et regularis retineatur observantia. Cfr. *A. S. S.* 1, p. 94, vel *Archiv*, t. 17, p. 452, sqq.

Exemptio Institutorum votorum simplicium.

De privilegiatis ;

2. *Instituta quae iure utuntur pontificio* (n. **91**), quamvis dicantur non exempta, re tamen fruuntur exemptione illa quam diximus imperfectam et iam saec. VI exstitisse, ita ut Episcopis debeant communem fidelium oboedientiam, i. e. ipsis subsint quod ad disciplinam *ecclesiasticam*, minime vero quod ad oeconomicas domus vel Instituti rationes, nec quod ad *religiosam* disciplinam. Clausura tamen, qua ad tramites constitutionum utuntur Instituta sororum, sive perfecta sit sive imperfecta seu partialis, committitur Episcopo, qui potest eam etiam censuris munire. Praeterea pluribus idem Episcopus intervenit negotiis tamquam Apostolicae Sedis delegatus. Quod ius iam colligi poterat ex ipsa harum Congregationum ratione [1] et romana approbatione ; nuper tamen est formaliter definitum C. *Conditae a Christo*, praefatione et c. 2. Cfr. infra, n. **384** et **385**.

De Institutis iuris pontificii ;

3. *Instituta dioecesana* etiam in sua religiosa conversatione habent Episcopum tamquam Superiorem, salvo tamen iure quaesito.

De dioecesanis.

ARTICULUS III. De potestate Episcopi in Religiosos exemptos vel non exemptos

368. Notiones communes. 1. Ut prius dicamus de *natura* huius potestatis, patet eam referri ad *iurisdictionem*. Iurisdictio porro ista,

Istius potestatis natura.

a) In aliis competit Episcopo *iure ordinario*. Quod potestatis genus : α) Ample est sumendum, quippe quod sit secundum ius ; β) Mortuo Episcopo, transit totum in Capitulum et Vicarium capitularem ; γ) Ab Episcopo communicari valet cum delegatis ; δ) In causis ubi appellationi sit locus, obnoxium est appellationi ad Metropolitanum.

Ex iure ordinario.

b) In aliis ipsi tribuitur *delegatione S. Sedis*. Huiusmodi iurisdictio : α) Potius stricte est interpretanda, cum sit exceptio, nec praesumitur sed demonstrari debet. Quare nec

Ex iure delegato,

[1] ACTA S. SEDIS, t. 1, p. 98.

exerceri potest quin acceptam facultatem memoret Episcopus [1]. β) *Per se* non obtingit Vicario capitulari. Si tamen de iis agitur facultatibus quae conceduntur a Congregationibus romanis, usus invaluit ut facultates habituales pertineant ad Ordinarium, quo nomine venit etiam Vicarius capitularis. Cfr. Decr. S. Officii, 21-22 april. 1898 (*Monitore*, x, 2, p. 51.) γ) Admittit quidem *subdelegationem*, cum delegatio a summo proficiscatur Principe ; facultas tamen subdelegandi non paucis exceptionibus et modis seu regulis est circumscripta. δ) Removet appellationem ad aliud atque S. Sedis tribunal.

Ex iure mixto :

c) In nonnullis dicitur inesse in Episcopo *etiam tamquam S. Sedis delegato*. Ex fine et modo huius concessionis colligendum est quo spectet. Haec autem videtur esse eius vis propria, ut, remotis cavillationibus et variis exceptionibus seu excusationibus, certam et firmam reddat Episcopi iurisdictionem ubi aliquis dubitandi locus esset. Supplet enim delegatio quicquid ordinariae iurisdictioni deesse possit [2].

Non desunt scriptores qui autument tolli appellationem ad Metropolitanum si Episcopus agere voluerit tamquam delegatus, quod ipsi integrum est ; immo quod, ut plures volunt, praesumitur fecisse. Verum huic solutioni repugnant plura responsa S. Congregationis Concilii (vel Episc. et Regularium), quae ne tunc quidem negaverunt recursum ad Archiepiscopum, cum Episcopus diserte declarasset se delegatam exercere facultatem. Et re quidem vera, ut arguit Fagnani [3], potestas ista non est Episcopo data « ut tollatur ius commune per quod appellationes deferuntur ad Metropolitanum ; legum enim correctio vitanda est. » Suis tamen responsis S. Congregatio ad has causas respexit quae ex iure ordinario provinciam ingrediantur Episcopi. Si enim constiterit Episcopum nihil potuisse sine delegatione, procul dubio ad solam S. Sedem ab eius sententia appellari poterit. Cfr. Fagnani, in c. Ad audientiam, 3, *De Ecclesiis aedificandis* (III, 48), n. 47.

Eiusdem potestatis obiectum :

Spiritualis cura saecularium,

2. De eiusdem potestatis *obiecto*, duplex distinguendum est genus causarum. Propria Regularium exemptio non est *per se* activa. Cfr. n. **362**, 2. Quare, quod ad spiritualem attinet curam saecularium, nihil sine Episcopi auctoritate possunt praeter ea quae positivo privilegio ipsis fuerint concessa. Conc. Trid. s. 25, c. 11 *De Regul.* ; C. *Inscruta-*

---

[1] Piat, t. 2, p. 14. 15.

[2] « Huiusmodi... auctoritas attributa est Episcopis ut firmiore iure procedere valeant contra exemptos Sedi Apostolicae immediate subiectos ; et quia ex auctoritate delegata exemptiones non violantur. » Fagnani, in c. Ad audientiam, *De Ecclesiis aedificandis* (III, 48, n. 45 sqq., ubi late de hoc argumento).

[3] Eodem loco.

bili. Gregorii XV ; C. *Firmandis*, Benedicti XIV. Si ergo impetrandae ipsis sunt ab Episcopis facultates quibus valeant saecularibus dispensare sacra, hae non sunt exemptionis Regularium proprie dictae exceptiones. Itaque de his aptius dicemus in parte 8, ubi de sacris Regularium ministeriis.

Regimen religiosorum.

Verum aliae sunt iuris sanctiones quae *passivae* exemptioni sunt contrariae hancque probant vel non haberi vel de ea esse derogatum. Iam vero de istis potius est nunc nobis agendum.

§ 1. *De Religionibus virorum*

Fontes iuris.

369. *N. B.* 1. Religiones virorum plenissima quondam fruebantur exemptione. Exceptiones autem quibus de hoc amplissimo privilegio est detractum partim reperiuntur in corpore iuris ; pleraeque autem constitutae sunt a Tridentino Concilio.

Scriptores.

2. Causas porro in quibus Regulares subduntur Episcopis non unus scriptor est diligentissime persecutus. Ita Chokier [1] et Fagnanus [2] ab ipso Benedicto XIV [3] dicuntur easdem « accurate et minutissime descripsisse. » Earundem elenchus secundum Giraldi et Lucidi confectus, describitur in *Appendice ad Concilium plenarium Americae latinae*, p. 748.

Casus iam memorati.

370. Omissis autem iis quae aliquo modo referuntur ad spiritualem saecularium curam, *ex veris exceptionibus* eas prius memorabimus de quibus iam dicendi fuit occasio. Sunt autem :

Erectio monasterii,

1. Licentia petenda ab Episcopo ad *erigendum monasterium*. Cfr. n. **104** sqq.

Bonorum renuntiatio facienda a noviciis,

2. Licentia Episcopi requisita in *bonorum renuntiatione* a novicio facienda. Cfr. n. **202**,3. Observes hic, eodem Concilii Tridentini capite 16, s. 25, *De Reg.* moneri Episcopum, ut etiam *per censuras ecclesiasticas*, si opus fuerit, compellat renitentes, ut abeunti ante professionem novicio res allatae omnes restituantur.

Exploratio voluntatis puellarum.

3. Munus Episcopo commissum *explorandi voluntatem puellae* quae velit ingredi monasterium vel profiteri religionem. Cfr. n. **173**.

Nullitas professionis.

4. Partes quas habet in *cognoscenda nullitate professionis*, ex speciali forma actionis de qua n. **215**.

Reliquas exceptiones suo hic dabimus ordine, simul

---

[1] *De iurisdictione Ordinarii in exemptos*, p. 2, q. 45.
[2] Fagnanus, in c. Grave, 19, *De Officio iudicis Ordinarii* (1. 31) n. 37 sq.
[3] *De Synodo*, l. 9, c. 15, n. 12, cfr. n. 4.

coniungentes ceteras de iisdem punctis sanctiones, quantum opus sit, ne bis idem versare cogamur argumentum.

Librorum recognitio facienda ab Episcopo et Praelato regulari.

371. De editione et prohibitione librorum. 1. Libros quos Regulares velint publici facere iuris, *aeque* ac quorumlibet fidelium libros, *recognoscit* Episcopus loci ubi eduntur in lucem. *Eodem*, inquam, *pacto :* quare de iis id intellegas libris qui communi iure censurae episcopali sunt obnoxii. Cfr. C. *Officiorum ac Munerum*, art. 36.

Eadem Constitutione memoratur lex Tridentina qua Regulares prohibentur vulgare libros nisi ex auctoritate proprii Praelati. Concilio autem Tridentino sermo est dumtaxat de libris Sacrarum Scripturarum, annotationibus et commentariis. Quocirca, ni fallimur, nulla lege communi iubentur Regulares de libris alius argumenti etiam proprii Praelati impetrare facultatem. Verum propriae Constitutiones magis universalem continere solent dispositionem. Plerique tamen scriptores autumant a Clemente VIII iussionem Tridentinam ad omnes traductam esse libros.

Imprimendi facultas.

Denique utraque, Episcopi et proprii Praelati, licentia, quatenus iure communi est requisita, est in fine vel principio operis imprimenda. Ita ex C. *Officiorum ac Munerum*. *Regulares minus proprie tales* reguntur in hac re communi fidelium [1] iure et propriis statutis.

Prohibitio.

2. Ordinarii locorum valent *regularium libros notare* et prohibere.

An episcopali prohibitione teneantur Regulares ?

3. Quaestio mota est utrum necne Regulares *legere prohibeantur* librum quem Ordinarius prohibuerit. Ipsosque Episcopi lege teneri nullo monumento efficitur. Quare, ex supra dictis n. **365**, 2. c, de universali exemptione, negabimus hanc vim decreti episcopalis, nisi forte maior ei sit tribuenda quia in hac re procedere valeat Episcopus *etiam tamquam Delegatus Apostolicae Sedis* (C. *Officiorum*, art. 29). Id non pauci sentiunt [2]. Quia tamen non constat delegationem istam fuisse concessam adversus Regulares exemptos, arbitramur hanc obligationem ab ipsis declinari posse. Nobiscum Periès, *L'Index*, p. 154 : Génicot, *Theol. mor.*, t. 1, p. 415 ; Piat, *N. R. Th.*, p. 571-582 ; Van Coillie, *Commentarius in Constit. Officiorum ac Munerum*, p. 27.

---

[1] Quatenus, pontificia lege, non alia ipsis praestituatur obtinenda et imprimenda licentia vulgandi librum, nisi licentia Episcopi, dum propria statuta plerumque facultatem superiorum praeterea postulant. Peculiari autem clericorum saecularium iure, art. 42, non videntur affici, nisi quatenus ius suum urgeat Episcopus.

[2] Alia argumenta quibus pauci utuntur omni destituuntur robore. Cfr. quae fusius de hac re scripsimus in libello *De prohibitione et censura librorum*, ed. 4.

4. *Facultatem legendi librum prohibitum pro singularibus libris* et in casibus tantum urgentibus, concedere potest Praelatus regularis quasi episcopali fruens iurisdictione (art. 25 C. *Officiorum*). Maior concessio postulat in Praelato facultatem a S. Sede delegatam, qua Episcopus, si modo eam habuerit, etiam in gratiam Regularium, ne ex exemptione accipiant detrimentum [1], uti posse videtur. *Facultas legendi libros prohibitos.*

372. De Quaestuatione. *Quaestuare* dicitur is qui locum perlustrat ut pro se vel pro aliis personis vel pio aliquo opere eleemosynas colligat. Itaque non quaestuat qui missis litteris obtinet subsidia [2], nec, nostra sententia, qui paucas aliquot domos adit ubi ratio est cur levamen alicuius necessitatis specialiter exspectare possit. Age vero, *De Quaestuatione:* *Quaestuationis notio.*

1. *Si perpendamus iura*, haec habemus:

a) C. Trid. s. 21, c. 9, *De Reformatione*, abolitum voluit nomen atque usum *Quaestorum eleemosynarum*. Quaestores isti, quasi suscepto officio, pro variis piis locis vel operibus quaeritabant subsidia, praedicantes et promulgantes indulgentias, miracula saepe ementita [3]. Simul Concilium Episcopis positivam facultatem indulget colligendi eleemosynas. *Ius Tridentinum de ea re.*

b) Positive S. Pius V, C. *Etsi mendicantium* § 2, et Clemens XI, C. *Exponi Nobis*, declarant Religiosos *Mendicantes* prohiberi non posse quin *per se* quaestuationes instituant. Exigitur tamen ut, extra loca ubi habent conventus, Regulares quaestuantes Ordinario suorum Superiorum licentiam ostendant. *Constitutiones pontificiae.*

2. *Ex disciplina S. C. EE. et RR.*, quantum ex paucis responsis [4] colligi potest, ut alii atque ipsi Regulares mendicantes quaestuare valeant, facultate indigent Episcopi loci. Quae facultas impetranda est ab ipsis Mendicantibus qui quaestuant in dioecesi ubi non habent Conventus. Ita in Gerund. 11 mart. 1892. A. S. S. t. 24. Cfr. Santi-Leitner, in l. 3, t. 36, n. 15, qui praeterea vult ut Apostolicam impetrent veniam sodales Ordinis vel Instituti iuris pontificii, nisi iam propriis Constitutionibus ipsi indulta sit quaestuatio. *Disciplina S. Congregationis.*

373. Dies festos quos in sua dioecesi forte indixerit Episcopus, etiam a Regularibus exemptis esse servandos statuit C. Trid. s. 25, c. 12, *De Regul.* Verum ne festos dies sub praecepto Episcopi instituant, ipsos dehortatur Urbanus VIII, C. *Universa*. *Celebratio festorum.*

---

[1] Cfr. idem opus nostrum, et infra.

[2] Cfr. decr. EE. et RR. 27 mart 1896, n. 4. *De Religiosis*, t. 2.

[3] Cfr. Passerini, in 2, 2, q. 187, art. 5, n. 17. 21.

[4] Resp. 20 ian. 1769 ANAL. I. P. s. 14, c. 1010, n. 1366. Alia indicat Piat, 11, p. 36, not. 8.

Processiones.

374. Processionibus ab Episcopo indictis interesse per se debent Regulares atque observare ordinem **praecedentiae** ab ipso definitum. Cfr. infra, parte 8, c. 3.

Ecclesiae erectio;

375. Quod ad Ecclesias suas: 1. Ecclesiae vel oratoria publica separata a monasterio non *eriguntur* sine licentia Episcopi. Cfr. **112** et infra, parte 8, c. 3.

Consecratio;

2. Ecclesiarum *consecratio* spectat ad Episcopum loci. Valent tamen Superiores, etiam locales, regularium qui fruuntur mendicantium privilegiis Oratoria sua, Ecclesias, coemeteria, sollemniter benedicere ex C. *Religionis*, Leonis X. Eadem Const. permittuntur Ecclesias suas etiam consecratas

Reconciliatio.

reconciliare, si fuerint pollutae. Per se uti debent aqua ab Episcopo benedicta, nisi is distet ultra duas dioetas (circa 60 kil.), vel renuerit aquam benedicere, aut afuerit vel sedes vacet.

Usus pontificalium.

3. In iisdem Ecclesiis debent sinere ut Episcopus loci exerceat *pontificalia*, ipsique erigere thronum. Renitentes ab Episcopo etiam censuris cogi valent. Ita decret. S. C. EE. et RR. 10 iun. 1603, editum iussu Clementis VIII. Invitis tamen regularibus, Episcopus ibi exercere iurisdictionem prohibetur. Itaque potest ibi dispensare sacramentum *Confirmationis*, ut diserte declaravit S. Congr. Conc. et definivit Benedictus XIV, C. *Firmandis* § 6. Plerique tamen repugnant [1] quominus de *Ordinis* administratione perinde dicatur.

Campanarum pulsus.

4. *Campanas* pulsare debent, si generalis praescribatur pulsus.

Missarum stipendia.

376. In Missis celebrandis, 1. A Regularibus observanda est synodalis *indicatio stipendii*. S. Congr. Conc. 15 ian. 1639, 16 ian. 1649, 16 iul. 1689. Cfr. Bened. XIV, *De Synodo*, l. 5, c. 9, n. 2.

Nomen Episcopi in canone.

2. In canone Missae *nominare* debent *Episcopum* loci ubi Deo litant;

Oratio imperata.

3. Recitare debent *orationes* ab Episcopo *imperatas* intra Missam.

Observanda et vitanda in Missarum celebratione.

4. Teste Fagnani, S. C. Concilii, nixa Trid. c. un. s. XXII *De observandis et vitandis in celebratione missarum*, existimavit a Regularibus praestari debere quaecumque ab Ordinariis locorum de observandis et vitandis in missarum celebratione statuantur. Huic sententiae favet responsum S. Rit. Congr. 29 iul. 1904 ad VIII de tertio accendendo cereo in canone ob episcopale praescriptum. Cfr. PERIODICA nostra, t. 1, p. 123.

Ordinatio.

377. Ordines per se recipere debent ab Episcopo monasterii. Cfr. infra, parte 7, c. 4.

Taxa seminarii.

378. Seminario erigendo, si opus sit, debent, secundum regulas in iure propositas, contribuere ipsi Regulares, non

[1] Piat, 11, p. 63 et alii ab ipso allati.

tamen Mendicantes vel qui horum participant privilegia, nisi quaedam beneficia probentur ipsorum monasteriis fuisse unita. C. Trid. s. 23, c. 18 *De Ref.* Cfr. Ferraris, v. *Seminarium*.

379. De delictis et poenis. 1. *Iudicialis cognotio causarum quae spectant ad S. Officium, privative*, i. e. exclusis propriis Praelatis, competit Episcopis. Ita ex Trid. conc. s. 5, c. 2, *De Ref.*, et C. Pauli v, *Romanus Pontifex* 15 sept. 1606 [1]. Causae istae sunt *haeresis* et delicta quae in iure inferunt *haeresis suspicionem ;* eaedemque accurate indicantur a Piat, II, p. 66. Hodie autem, potissimum id usu venire potest in sacerdote Regulari qui paenitentem sollicitaverit ad turpia. Is ergo, et omnis religiosus suspectus de haeresi, praetermisso proprio Superiore, qui prohibetur in huiusmodi delinquentes advertere, sunt ab aliis religiosis atque ab ipso Superiore ad S. Officium vel ad Episcopum, tamquam Inquisitorem natum, deferendi. Cfr. C. Alexandri VII, *Licet alias*, et Decr. S. Officii 15-17 maii 1901 [2].

Causae spectantes ad S. Officium,

Nominatim sollicitationis crimen.

N. B. Exceptionem istam solent plures ita commemorare : Regulares Episcopis subduntur in causis fidei. Brevi isti formulae non contraimus, modo ne, vi eius sensim sine sensu mutata, convertatur in regulam perpetuam, qua Regulares astringantur omnibus Episcopi *praeceptis* quae aliquo modo ad fidei causam referri possint [3]. Multo sapientius C. Melchers [4], ita casus definit : « Qui (regulares) suspecti sunt de haeresi, de sollicitatione ad turpia, aut de fractione sigilli sacramentalis, iurisdictioni et iudicio Episcopi subiciuntur. »

2. Ab Episcopis coerceri et puniri possunt Regulares qui ipsum *impediunt quominus sua utatur iurisdictione*. C. Quia, 1, *De officio iudicis delegati ;* c. Romana, 1, *De poenis* in 6.

Regulares impedientes Episcopi iurisdictionem ;

3. Qui *degunt extra claustra* possunt, si deliquerint, puniri ab Episcopo tamquam S. Sedis delegato. C. Trid , s. 6, c. 3, *De Reformatione*.

Degentes extra claustra ;

4. Qui vero, *intra claustra* habitualiter commorantes, *extra ipsa notorie et cum populi scandalo* deliquerint, *per se* quidem plectendi sunt a proprio Superiore ; Episcopus autem sollicitare debet diligentiam Superioris regularis, cuius dein negle-

Delinquentes extra claustra,

---

[1] Cfr. S. Off. 29 ian. 1901. N. R. Th. t. 33 p 260.

[2] De Religiosis, t. 2, n. 194.

[3] Vano igitur usi sunt argumento qui Regulares obnoxios fecere episcopalibus de librorum lectione inhibitionibus, quia ad fidei causam istae referrentur. Ita Pennacchi, *In Constit. Apostolicam*, p. 103, 3 ; Schneider, *Die neuen Büchergesetze*, p. 112, quos bene redarguit R. P. Piat, in N. R. Th., t. 31, p. 578.

[4] *De canonica dioeceseum visitatione*, p. 82, f.

gentiam in puniendo ipse supplere potest [1]. C. Trid., s. 25, c. 14, *De Regularibus*.

Vel circa clausuram monialium, etc.

5. Delinquentes *circa clausuram Monialium* aut personas intra saepta degentes, aut administrationem bonorum Monasterii Monialium, puniri et corrigi possunt ab Episcopo tamquam Sedis apostolicae delegato. C. *Inscrutabili*, § 4, Gregorii XIV.

Interdicta localia generalia, prohibitiones ab ingressu ecclesiae.

6. *In ecclesiis suis* Regulares publicare et servare debent, mandante Episcopo, *interdicta localia generalia* etiam ab Ordinariis promulgata, *prohibitiones ab ingressu ecclesiae* quibusdam ab Episcopis factas, etc. Huc enim redeunt sanctiones Clem. Ex frequentibus, 1, *De Sent. excomm.* (v, 10); et C. Trid., s. 25, c. 12, *De Regularibus* [2].

Servari tamen possunt temperamenta quae iure communi [3] aut vigentibus privilegiis sunt interdictis allata.

De interdictis adversus Regulares.

In ipsos autem *Regulares* Episcopus interdicta decernere nequit nisi cum eosdem censuris coercere valet. Cfr. Piat, II, p. 80.

Ab episcopi censuris,

380. Quaeres quousque Regulares teneantur censuris latis ab Episcopo loci?

R. De hoc argumento variae et confusae sententiae proferuntur [4]. Dicemus quod iuri et rationi magis consentaneum nobis videtur.

Immunitas generalis,

1. *Per se* sunt Regulares ab istis censuris immunes. Id ex exemptione apparet.

Cum exceptionibus;

2. Si vero commiserint delicta ob quae concessum sit Episcopis, ex iuris dispositione, tamquam Apostolicae Sedis delegatis procedere adversus Regulares, hi tenebuntur, quod est consequens, censuris latis ab Episcopo ad haec compescenda. Cfr. Ben. XIV, *De Synodo* l. IX, c. 15, n. 5.

Immunitas specialis,

3. Sunt tamen qui *speciali* fruuntur immunitatis privilegio quo, etiam in his casibus, aliis quidem poenis, non *censuris*, ab Episcopo coerceri valeant. Ita Mendicantes et qui plene eorum privilegiorum sunt participes [5]. Hi proinde, etiam tum effugient censuras episcopales, si paucos excipias casus in quibus huic etiam privilegio est derogatum.

---

[1] Potius tamen quam ipse puniret Episcopus, recursum ad S. Sedem suasit S. Cong. EE. et RR., 26 mart. 1897. *Monitore*, X, 1, p. 123. Quod confirmatur iure sancito de congregationibus religiosis a C. *Conditae a Christo*, n. XI. Cfr. **384**, 8.

[2] Cfr. in l. 5, t. 39, Reiffenstuel, n. 222; Schmalzgrueber, n. 368.

[3] C. Alma Mater, 24, *De sententia excomm.* in 6 (V. 11).

[4] Cf. Ballerini-Palmieri, *Opus theolog.* tr. 11, *De Censuris*, n. 73-95; Piat, II, p. 8-14.

[5] Cfr. Ballerini-Palmieri, Ibidem, n. 81-86. Cum privilegio isto detrahatur de iurisdictione quae per se competit Episcopo, dubitamus num possit acquiri per communicationem.

4. Quinam sint isti casus, non omnino convenit. Ut indubios referamus, *tres* sunt numero. Censuras enim ab Episcopo coerceri possunt :

Cum exceptionibus :

a) Quotquot regulares *praesumpserint praedicare* in *alienis* ecclesiis sine licentia Episcopi, aut in *propria*, non petita ipsius benedictione, vel ipso contradicente. C. *Inscrutabili*, 13 feb. 1622, Gregorii XV.

Praedicatio, contradicente Episcopo vel non obtenta venia aut petita benedictione ;

b) Quotquot, sine approbatione Episcopi loci, ausi sint *saecularium* excipere *confessiones*. C. *Cum sicut accepimus*, 14 maii 1653, Innoc. X.

Saecularium confessiones sine approbatione Episcopi;

c) Quotquot violaverint decretum Urbani VIII, *Sacrosancta*, 15 mart. 1642, de removendis ab Ecclesiis etc. imaginibus Domini Nostri et Sanctorum quae scandalo sint vel insueto modo depictae.

Asservatio imaginum quae sint scandalo vel abnormes.

381. De exsecutione piarum voluntatum. Regulares qui exsequendum susceperint testamentum debent, quod ad legata pia, sicut ceteri rationem reddere de officio expleto, possuntque, si deliquerint, ab Episcopo puniri. Clem., Religiosis, un. *De testamentis et ultimis voluntatibus.*

Exsecutio piarum voluntatum.

382. Quaeres, de ultro accepta Episcopi iurisdictione, utrum necne possint Regulares adire ad Episcopum loci monasterii, ut in ipsorum gratiam utatur facultatibus suis *absolvendi*, *dispensandi*, etc.

De iurisdictione voluntaria :

R. 1. Positive sancitum est ut Regulares fruerentur omnibus Indultis *de abstinentia,* nisi propriae de hoc argumento obstarent leges. Cfr. rescript. S. Officii 20 dec. 1871 ; 20 ian. 1892. *Monitore*, IX, 2, p. 228.

Indulta abstinentiae,

2. In universum, res non vacat difficultate, cum fictione iuris censeantur Regulares versari extra dioecesim, nec possint remittere suam exemptionem qua commendatur etiam S. Pontificis auctoritas. Nec res recentibus responsis S. Sedis est dirempta. Ita S. Officium prius [1] negavit Episcopo usum adversus Regulares *sua facultate* quinquennali dispensandi in aetate promovendorum, dein, 29 ian. 1896, eundem non concessit nisi facto verbo cum Sanctissimo.

Regula generalis,

Nihilo minus communis hodie sententia, nixa praesertim reg. 61 iuris in 6° : « Quod ob gratiam alicuius conceditur non est in eius dispendium retorquendum », id concedit fieri posse, modo proprius annuat Superior. Cfr. Sanchez, *in Decalogum*, l. 4, c. 39, n. 27 sqq. ; Piat, t. 1, p. 422. Praeterea negari nequit vestigia superesse iurisdictionis ob quae Episcopus loci monasterii possit in re favorabili dici *suus* a Regularibus. Ita nominatur in canone, competens est pro ordinationibus, etc.

[1] Cfr. *Collect. Prop. Fid.* n. 1172. Observandum tamen facultatem istam Episcopi hac esse circumscriptam clausula ; *Ob operariorum penuriam.*

Indulgentiae.

3. Ob similem causam, Regulares lucrabuntur *indulgentias* quas, ipsis non exceptis, Episcopi fidelibus in sua dioecesi impertiverint.

§ 2. *De Monialibus*

Iura Episcopi.

383. Summa iurium Episcopi. Etiam in *exemptis* Monasteriis,

De clausura,

1. *Clausura* constituitur *sub tutela Episcopi.* Quare, propria utens auctoritate in monasteriis sibi subiectis, in aliis vero delegata a S. Sede, poenis atque ipsis censuris delinquentes coercet; eiusque licentia, una cum licentia Praelati regularis, requiritur ut, ob causas in iure permissas, monialis e saeptis licite egrediatur. C. Trid., s. 25, c. 5, *De Regul.* Cfr. n. **310. 312.**

Confessariis,

2. Ipse deputat vel saltem approbat Monialium *Confessarios,* ut infra dicetur, parte 7, c. 3.

Postulantibus vel noviciis.

3. Ipse, ex Trid., s. 25, c. 7, *De Regul.,* explorat *voluntatem puellarum,* antequam ad habitum vel ad professionem admittantur.

Administratione temporali.

4. Ipsi ratio est reddenda *administrationis bonorum.* C. Gregorii XV, *Inscrutabili,* 5 feb. 1622.

Electione Abbatissae,

5. Una cum Superiore regulari, potest interesse et praeesse *electioni Abbatissae.*

Quaestuatione.

6. Quod ad *quaestuationem,* potius repugnat S. Sedes ut etiam per conversas exerceatur, cum hae, non minus quam reliquae, clausura sint claudendae. Si vero aliquo modo fiat, v. gr. per mulieres quasdam tertiarias, non professas, Ordinarius definire poterit quae videantur esse ad rem. Cfr. Passerini, in 2, 2, q. 187, art. 5, n. 68.

Erectione domus.

7. Quid facere queat in *erigenda domo* iam dedimus supra, n. **116.**

§ 3. *De Congregationibus virorum*

Fontes regiminis specialis.

384. Summa iurium Episcopi. Nisi aliud ferant plenioris exemptionis privilegia, vel approbatae Constitutiones vel centenaria consuetudo, C. *Conditae a Christo* hoc modo, c. 2, definivit iura Episcopi:

Ius commune.

Licentia Episcopi petenda de novis sedibus et sacris functionibus;

1. Ipse permittit novas condi domos, erigi templa, oratoria publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium, sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinari. C. *Conditae a Christo,* c. 2, n. III.

In locis tamen Missionum decretum S. C. Prop. Fidei observare debet quo haec, ad canonicam domus erectionem, apostolicum praeterea postulat beneplacitum.

2. In alumnos huiusmodi sodalitatum habet omnem *iurisdictionem fori interni ; externi* vero eam quam per censuras, reservationes, dispensationes, etc. exercet in reliquos fideles. Quare ipsis designat sacerdotes qui sint a sacris et approbat qui ipsis habeant contiones. Ibid., n. v et vii. *Episcopi iurisdictio in personas.*

3. Ipse confert *ordines.* Ibid. n. vi. De sacris ordinibus, quae sint servanda, cfr. infra, parte 7, c. 4 *In ordinandos.*

4. *Adiecta instituta* quae caritatis operibus deputantur, ut gynaecea, orphanotrophia, scholae, Episcopi vigilantiae subsunt, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris privilegiis quae collegiis, scholis, institutisve istiusmodi a Sede Apostolica sint tributa. Ibid. n. x. His iuribus est potissimum in visitatione utendum. Ibid. n. xi. *In adiecta instituta.*

5. *Visitat* Episcopus templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum paenitentiae ; et de iis statuit quae videntur opportuna. *Episcopi ius visitandi in universum ;*

6. Praeterea in Institutis *laicorum* inquirit « num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sacra doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. » Ibidem n. xi. *Nominatim quod ad Instituta laicorum.*

7. *In re vero oeconomica*, non cognoscit Ordinarius « nisi de fundorum legatorumve administratione quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis », n. xi. Immo si Instituta sint clericalia, de iis tantum bonis est Episcopo ratio reddenda quae certae domui tributa legatave sint ad Dei cultum beneficentiamve *eo ipso loco* impendendam. Ibidem, n. ix, coll. xi. *Episcopi ius in temporalia ;*

8. Quod ad *correctionem*, prius quam ipse *per se* consulat, sollicitet diligentiam moderatorum. In rebus maioris momenti per se adeunda est S. Cong. EE. et RR. *Episcopi ius corrigendi.*

Quod si res non patiatur moram, potest statim decernere, sed decretum deferre debet ad S. C. EE. et RR. Ibid. n. xi.

9. *De quaestuatione* nullam istis Institutis *per se* competit privilegium quo potestatem Episcopi declinare queant. Cfr. n. **372**, 2. *Quid de quaestuatione ?*

§ 4. *De Congregationibus mulierum*

385. Summa iurium Episcopi. Praeter ea omnia quae dicta sunt de Institutis virorum laicorum : *Ius Episcopi.*

1. Episcopus explorat *voluntatem puellarum* ante suscipiendum habitum et professionem emittendam. Const. *Conditae a Christo,* c. 2, n. 1. *Examinandi puellas ;*

Praesidendi capitulari munerum assignationi;

2. Ad *munerum assignationem* Episcopus, ut Sedis Apostolicae delegatus, per se vel per alium praeest Conventibus seu capitulis quae in sua Dioecesi habentur. Ibid. n. 1.

Permittendi quaestuationem.

3. Quod ad *quaestuationem*, requiritur licentia Ordinariorum tam loci residentiae quam loci in quo eleemosynas quaeritare velint, atque observatio aliorum quae definita sunt decreto S. C. EE. et RR. 27 mart. 1896. Ibid. n. VII. Cfr. A. S. S., t. 17, p. 555 sq., vel monumenta alterius tomi.

Sanciendi clausuram.

4. Quod ad *clausuram*, fini tamen Instituti congruam, cfr. n. **302.**

Quid de administratione temporali?

N. B. Itaque in administranda re familiari, Instituta quae iuris sunt pontificii libera sunt ab Episcopi auctoritate, ita ut Episcopo domus principis ne ea quidem servetur potestas approbandi rationes quae prius videbatur ei concessa, ut apparet, v. gr. in Nanceiensi, 27 mart. 1896.

Si quae tamen domus sit sui iuris, ut in Belgio domus monialium antiquiorum Ordinum [1], non minus quam Abbatissa monasterii proprie talis debebit, ni fallimur, saltem ex usu, talis domus Superiorissa Episcopo rationes reddere ad modum C. *Inscrutabili*, 1622, Gregorii XV. Cfr. Santi-Leitner, *Praelectiones*, t. 3. t. 36, p. 356.

§ 5. *De Institutis dioecesanis*

Duplex genus.

Eorum duplex est genus. Namque vel in una tantum dioecesi sedem habent, vel in pluribus iam sunt diffusa. De utrisque separatim.

Duplex ratio qua etiam in Institutis unius dioecesis finitur Episcopi arbitrium.

386. I. **De institutis unius dioecesis.** 1. Etsi dioecesanae consociationes « una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate [2] » hi tamen nequeunt in iis omnia libero arbitratu regere ac definere. Etenim modus retinendus est, tam is qui demonstratur partim *naturali* vetito ne iura tollantur quaesita, partim praescripto *evangelico*, de ordinanda sodalium condicione ita ut apte persequi possint perfectionem divinae caritatis probatumque proprii Instituti finem, quam alter quem iubent sacri canones et Pontificia decreta. Huc potissimum spectat caput 1 C. *Conditae a Christo*. Quare :

[1] Cum plenius subdantur Episcopis, argui etiam potest ex C. *Conditae a Christo*, c. 1.

[2] Cit. Const. Praefatio. Pronuntiatio ista, quatenus nunc Antistitum auctoritas sodalitatem religiosam inducere iam prohibetur nisi prius S. Sedis impetrarit facultatem, eatenus est iam temperanda. Cfr. PERIODICA, t. 2, p. 127.

2. *Plenum* quidem est Episcopo *ius* respectu ipsius consociationis.

Amplae tamen Episcopi potestatis varia exempla.

a) *Probandi*, adhibitis cautionibus, non *domos* tantum singulas sed ipsum *Institutum*. C. *Conditae a Christo*, l. c. n. I-III.

b) *Prohibendi* ne *transgrediatur ad alias dioeceses*. Ibid. n. IV.

c) Non tantum explorandi voluntatem puellarum quae habitum sunt *induturae* vel emissurae vota, sed ipsas, si nihil obstet, *admittendi*. Ibid. n. VIII.

d) *Invisendi domos*, non tantum quod spectat ad usum rerum sacrarum et communem disciplinam ecclesiasticam, verum etiam in iis quae religiosam informationem et temporalem respiciunt administrationem, ita ut cognoscant de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus. Ib. n. X, XI.

3. Simul tamen, *ne tollat jus quaesitum :*

Eiusdem potestatis iustus modus variis ostenditur exemplis.

a) Potestate quam habet *dimittendi* alumnos, licite uti nequit insciis moderatoribus iusteque dissentientibus. Ibidem. n. VIII. De *dispensatione* votorum, cfr. n. **326**.

b) *Antistitae*, ex constitutionum iure, suffragiis sororum sunt designandae : integrum tamen est Episcopo non tantum per se vel per delegatum praeesse electioni, sed etiam, pro conscientiae officio, peractam electionem confirmare vel rescindere. Ibid. n. IX.

c) Gravem tantum ob causam potest *exstinguere Institutum* vel tollere *domum*. Ibid. n. VI.

Immo, ob vetitam alienationem bonorum ecclesiasticorum, vix id fieri poterit sine S. Sedis interventu. *Acta Conc. amer. lat.* n. 322.

d) *Regimen domesticum* est propriis Superioribus committendum. Quare, nisi in prima Instituti approbatione Episcopus maiorem sibi stipulatus sit potestatem, mera « convenientia » postulat ut de collatis officiis, de sororum translationibus ab una in alteram domum, Episcopus loci fiat certior. Cfr. S. C. EE. et RR. 9 april 1895 (*Monitore*, IX, 1, p. 125).

4. *Ut Pontificiis pareat decretis.*

Institutum novum non approbabit nisi prius obtenta S. Sedis licentia.

Conciliandae sunt variorum Episcoporum rationes. Quare praestat romanam petere approbationem.

387. II. **De Institutis episcopalibus que in pluribus versantur dioecesibus**. 1. Quamvis propagatio in varias dioeceses intactam per se linquat iuridicam Instituti condicionem, conciliandae tamen sunt rationes plurium Episcoporum, qui per se pari sunt loco et similibus in tale Institutum fruuntur iuribus. Aptior conciliationis modus nullus erit quam postulatio romanae approbationis. Quocirca Patres conc. Americae lat. iusserunt, n. 324, ut huiusmodi Instituta « statuta sua Sedis Apostolicae iudicio subiciant et approbationem implorent. » Cfr. etiam Conc. Avenionense, 1849, t. 7, c. 2, n. 2, in *Collect. lacensi*, t. 4, c. 351.

Sanctiones C. Conditae a Christo.

2. Donec tamen illud factum fuerit, ambo haec de nostra re disponit C. *Conditae a Christo :*

a) De huiusmodi sodalitatis « natura et legibus nihil mutare licet nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habent. » Cap. I, n. V.

b) Exstingui nequit Institutum nisi gravibus de causis et consentientibus Episcopis quorum in dicione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua quisque dioecesi, tollere fas est. Ibid. n. VI.

Quid si pacta inter Episcopos ?

3. Haec tamen dicta arbitramur, nisi Episcopus originis, ut ita dicam, dum permisit migrationem in aliam dioecesim, pactus esset cum aliis Episcopis, ut quod ad *religiosam* disciplinam sibi uni maneret Institutum obnoxium. Atque huiusmodi pactionum non unum novimus exemplum.

PARS SEXTA

DE REGIMINE RELIGIOSORUM PROPRIO

CAPUT I

DE EXTERIORE HIERARCHIA

S. Thomas, 2, 2, q. 186, art. 5, ad 3 ; ***Suarez***, tr. 7, l. 10, c. 11, n. 9, sqq. ; ***Pellizarius***, *Manuale*, tr. 5, c. 6, n. 3 ; *De Monialibus*, c. 4, n. 94 ; ***C. De Luca***, *Relatio Romanae Curiae*, disc. 12-23 ; ***Bizzarri***, *Collectanea*, in Praefatione et in Append. secunda ; ***Bangen***, *Die Römische Curie*, p. 181 sqq. ; 255 sqq. ; 268 sqq. ; 274-278 ; ***Santi-Leitner***, *Praelectiones iur. can.*, l. 1, t. 31, n. 83 sqq. ; n. 94 sqq. ; ***Palmieri***, *Opus theologicum*, tr. 9, c. 1, n. 180-181.

Ratio ordinis.

Exterior hierarchia cui subduntur religiosi continet imprimis *S. Pontificem*, *Sacras* dein *Congregationes*, pro recepta facultate ; et, quod ad non exemptos vel dioecesanos, *Episcopum*. In Parergo, agemus de *Cardinali Protectore*.

ARTICULUS I. De Summo Pontifice

Quo titulo S. Pontifex imperet religiosis ?

388. 1. Ab initio, n. **16,** vidimus ad status religiosi rationem pertinere, ut qui se profitetur religiosum, etiam in his quae istius status sunt propria, subdatur hierarchiae ecclesiasticae. Quare, cum S. Pontifex sit Ecclesiae et singulorum fidelium universalis Pastor, necesse est ab ipso possideri supremam simul et immediatam in quoslibet Religiosos potestatem quam abdicare nequeat. S. Th., 2, 2, q. 186, art. 5, ad 3.

Natura istius potestatis.

2. *Natura* sua, potestas ista est *iurisdictionis ;* nec, cum pluribus, gratuito fingenda est dominativa seu quasi domestica. Cfr. Palmieri, l. c. contra Suarez, l. c. n. 13.

Posterior dicendi modus, quem improbandum arbitramur, videtur natus ex confusione. Existimarunt siquidem per vota religiosa conferri Superioribus *peculiarem* aliquam potestatem quam *dominativam* appellarunt, eamque dein tribuerunt ipsi Pontifici, ut explicarent quomodo in virtute oboedientiae praecipere votaque irritare ipse valeret. Cfr. Suarez l. c. et c. 5. Nec plane recte, sed potius eadem decepti confusione, alii, qui bene quidem a S. Pontifice domesticam abiudicarunt potestatem, simul negaverunt regulares vi voti teneri erga S. Sedem. Ita in c. 11, l. c. ab ipso Suarez quaestio ponitur.

Dum, contra, sic se res habent. Votis suis et nominatim oboedientiae voto, religiosus firmat, religionis sacramento, oboedientiam quae debetur iis qui iusto titulo praesunt religiosae disciplinae qua talis. Cfr. n. **288**. Qui titulus est duplex. Alter, proprius vitae coenobiticae, est *herilis* seu *domestica auctoritas*, privatae rationis, quae in qualibet domo vel familia requiritur, voluntaria autem religiosi deditione intenditur usque ad servitutem personae. Alter est *publica* potestas, divina missione collata Petro et Apostolis ad regendam ipsam Ecclesiam. Hanc dicimus *iurisdictionem*. Utraque vero ad condicionem personarum aptatur ideoque in religiosos se prodibit amplissimam. Cfr. Palmieri, l. c.

Eius vis.

3. *Vi sua* definitur haec potestas iis quae vel diserte vel tacite promissa sunt in religiosa professione. Suscipiendi enim statum religiosum non est praeceptum sed libera optio ; neque ad eius rationem spectat ut per omnia media intendatur perfectio. Quare specialis illa iurisdictio refertur ad regularem conversationem quam ipsa professione religiosa aliam in alio Ordine religiosi conceptis verbis vel tacite admiserunt. Quocirca, ne ipse quidem S. Pontifex potest omnia religiosis imperare, nec aequali in omnes fruitur iure [1] ; verum eius iurisdictio complectitur : a) Ea quae diserte sunt promissa ; b) Ea quae ad bonum status religiosi in universum referuntur [2] ; c) Ea quae ad finem conducunt peculiaris Instituti. Cfr. Palmieri, l. c.

ARTICULUS II. De Romanis Congregationibus

Duplex genus competentiae.

389. Congregationes aliae in rebus Regularium versantur magis *ex professo*, suntque *Congregatio super Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium* et *Sacra Congregatio de Propaganda Fide ;* aliae vero Regularibus non imperant,

[1] V. gr. non posset religioso qui vitae addicitur contemplativae magis quam aliis clericis praecipere missiones.

[2] Hoc pacto declarant scriptores quomodo S. Pius v potuerit imponere clausuram. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 8, l. 1, c. 8, n. 6-9 ; vel Bouix, op. cit., t. 2, p. 603-605.

nisi formalis earum competentia eosdem quasi per accidens attigerit.

Potestas porro est iurisdictionis. Parere autem debent religiosi *vi voti oboedientiae*, in iis quae spectant ad *regularem* disciplinam. *Natura potestatis.*

§ 1. *De Congregatione super Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium*

390. 1. *Genesis.* Congregatio ista, cuius primordia repetenda sunt a S. Pio V et Gregorio XIII, concreta est, a° 1601, ex duabus Congregationibus quas, alteram *Pro consultationibus Regularium*, alteram *Pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum*, Constitutione *Immensa*, 23 mart. 1588, instituit Sixtus V. *Istius Congregationis origo,*

2. *Descriptio.* Congregationi praeest *Cardinalis Praefectus*; ad eandem pertinent non pauci Cardinales. His adsunt *Praelatus Secretarius* cum *Substituto*, atque *Auditor*. Praeterea propriis instructa est Congregatio consultoribus. *Constitutio,*

In tres porro dividitur sectiones, *Episcoporum*, *Regularium*, *Monialium* deputatas negotiis.

3. *Sessiones, modus agendi.* Ad minora expedienda negotia, conveniunt *(Congresso)* singulis hebdomadis Card. Praefectus, Secretarius eiusque Substitutus et Auditor. *Conventus,*

Congregatio generalis ter vel quater cogitur per annum, praeter eam quas in aedibus Vaticanis ante quadragesimalem contionem haberi consuevit.

In causis non criminalibus designatur aliquis Cardinalis *Ponens* seu qui de causa referat [1]. *Stilus,*

Atque, exceptis causis contentiosis et criminalibus, negotia definire solet haec Congregatio *via summaria atque extraiudiciali*. De causa cognoscit, interrogato per litteras formae privatae Ordinario loci vel Praelato regulari, et, postquam sufficientem sibi adepta est notitiam, Praelato vel ei cuius interest illud quod placuerit significat.

Potestas vero *gratiosa* exercetur, pro rei momento, ab solo Praefecto, vel a « Congresso » nisi adeundus sit ipse S. Pontifex. In hunc finem hebdomodaria conceditur Secretario audientia. *Usus gratiosae potestatis,*

Decreta ut sint authentica hisque sit extra curiam deferendum, subscribenda sunt tum a Secretario tum a Praefecto, huiusque munienda sigillo. Cfr. C. De Luca, l. c.

1 Pro causis contentiosis, cfr. Ordinationem 20 iul. 1900. A. S. S. 1900-01 (t. 33, p. 117).

Provincia

4. *Competentia*. Ad eam spectant, praeter molestas res quae, in regunda dioecesi occurrentes, etiam referuntur ad S. Congr. Concilii, controversiae inter Episcopos et Regulares, negotiaque horum propria, i. e. quicquid attinet ad eorum regimen bonumque universum. Quare, ut ait C. De Luca, disc. 16. n. 24, « habet latas habenas agendi » ; eamque Urbanus VIII dicere solebat *universalem*.

Exempla.

Itaque cognoscit de approbatione novi Instituti, de erectione et suppressione Monasteriorum et Conventuum, de alienationibus bonorum, de querelis Regularium, de dispensationibus a votis, de eiciendis, ad summam de omnibus quae pertinent ad Religiosos et Moniales. Et quamvis ex iis plura pertineant etiam ad alias Congregationes, haec Congregatio fere declinare non debet nisi causas fidei, quae reservantur S. Officio, *formales* Concilii Tridentini interpretationes, canonizationes Sanctorum, approbationem officiorum liturgicorum, et erogationes Indulgentiarum.

De binis coniunctis Congregationibus.

391. S. Congregationi Episcoporum et Regularium diu in munere coniunctae sunt duae aliae Congregationes.

Congregationis super disciplina et reformatione regularium, origo et munus.

Prior, ab Innocentio XII, 4 aug. 1698 C. *Debitum pastoralis* instituta, nomen habebat *S. Congregationis super disciplina et reformatione Regularium*. Versabatur autem tota in stabilienda vel restituenda interiore disciplina monasteriorum *virorum*, ita ut *intra fines Italiae et insularum adiacentium* domos deputabat Noviciatibus et Professoriis, atque exsecutionem decretorum de Reformatione Regularium urgeret ; *extra autem Italicas partes*, Pontifici suggereret quae ad fovendam vel restituendam disciplinam regularem conducere videbantur. Per eam concedebantur *Indulta saecularizationis*.

Congregationis super statu Regularium origo, exstinctio, restitutio, munus.

Altera, dicta *super statu Regularium*, ab Innocentio X, anno 1652 erecta, exstincta autem ab Innocentio XII eadem Constitutione qua modo descriptam condidit Congregationem, denuo est a Pio IX per Encycl. littera *Ubi primum*, 17 ian. 1847, restituta, ut provideret ea quae in ordinando statu regulari *virorum* praesentia adiuncta postularent. Per hanc Congregationem lata sunt Decreta *Romani Pontifices* de *testimonialibus litteris*, ac *Regulari disciplinae*, 25 ian. 1848, de *admissione ad habitum et professionem in Italia et insulis adiacentibus ;* et missae, 18 mart. 1857, litt. encycl. *Neminem latet*, de *professione simplici facienda ante sollemnem*. De quibus decretis plures praeterea edidit eadem Congregatio declarationes.

Utriusque Congregationis fata, abolitio.

Verum, ad vitandos conflictus prioris Congregationis cum C. EE. et RR., accuratius definienda fuit eius competentia Const. Pii VI, *Singulare*, 5 iun. 1790, et Gregorii XVI ordinatione 31 aug. 1833, dein ad subiectivam deventum est unionem, ita ut proprio tantum uteretur substituto. Ipsa

Congr. *super statu Regularium* postquam ea quae memoravimus tulit decreta, quasi officiis functa verbo tenus tantum exsistere videbatur.

Haec animadvertens hodiernus S. Pontifex, Pius Pp. X, satius duxit ambas plene exstinguere, Motu Proprio 26 maii 1906. (Cfr. Periodica, t. 2, p. 126.)

§ 2. *De Reliquis Congregationibus*

S. Congregationis Prop. Fid. competentia,

393. S. Congregatio De Propaganda Fide, propter generalem eius iurisdictionem, qua, in locis Missionum, reliquas supplet Congregationes, imperat etiam Institutis religiosis quae missiones exercent vel in locis versantur quae huic S. Congregationi sunt commissa. In nonnullis ex iis iam restituta est ordinaria hierarchia : v. gr. in Anglia, Scotia, Hollandia, India.

Nominatim quod ad approbationem Institutorum.

Immo nova Instituta religiosa quae in iisdem partibus conduntur vel quae tamquam primarium finem persequuntur missiones, per eandem approbantur Congregationem, cui speciale coniunctum est collegium ad cognoscendas et corrigendas istorum Institutorum Constitutiones.

De S. Congr. super negotiis extraord.

394. S. Congregatio super negotiis ecclesiasticis extraordinariis, cum pro Russiaca dicione et regionibus Americae latinae vices expleat aliarum congregationum, simili fere modo [1] quo superior Congregatio fit competens in causis Regularium istarum partium. Cfr. *Acta Conc. Am. lat.* n. 331.

De S. Congr. Concilii.

395. S. Congregatio Cardinalium Conc. Trid. interpretum, ex iure quod habet interpretandi atque urgendi disciplinaria Concilii Tridentini decreta, quorum plura attinent ad Regulares, saepe etiam Regularium causas et dubia dirimere potest. Nec pauca edidit huius argumenti decreta. Hodie tamen potius sinit S. Congr. EE. et RR. in his rebus unam versari, nisi formalis requiratur interpretatio Tridentini decreti.

De reliquis Congregat. nominatim, S. Officii.

396. Ceterae Congregationes. Facile etiam in aliis Congregationibus deprehenditur respectus quo causae Regularium propriam earum provinciam ingrediuntur. Ita S. Congr. *S. Officii* iudicabit eos qui suspecti sint de haeresi ; S. Congregatio *Indicis* cognoscet de Regularium libris ; S. Congregatio *Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum* largietur ipsis indulgentias ; S. *Rituum* Congregatio eorum causas liturgicas definiet et praeparabit canonizationem sanc-

SS. Indulg.

SS. Rituum.

[1] Minus plene tamen, cum nova Instituta approbare non soleat.

Quid de S. Paenitentiaria ?

torum Religiosorum. Atque in rebus fori interni, absolutionibus et dispensationibus, adire possunt ut reliqui ad tribunal S. *Paenitentiariae*.

ARTICULUS III. De Episcopis

Quae potestas Episcopo competat in Instituta iuris pontificii ;

397. 1. In his quae spectant *ad regularem disciplinam* presse talem, per se immunes sunt ab eius dominatu, ut vidimus, non tantum *Ordines regulares* presse dicti, verum etiam *Instituta votorum simplicium* quae iure utuntur pontificio, i. e. quorum leges a S. Sede saltem sunt recognitae. Cfr. C. *Conditae a Christo*, in praef. et c. 2, initio.

Quare sodales istorum institutorum non obligantur Episcopo *vi voti oboedientiae ;* eius tamen, sicut reliqui fideles, in rebus ecclesiasticis iurisdictionem sustinent religiosi non exempti. Nec quae paulo amplior potestas Episcopo in consociationes laicas eadem C^e^. *Conditae a Christo*, c. 2, n. XI, conceditur, talis est quae hanc mutet conclusionem. Quod confirmatur *Actibus Conc. Amer. latin.* n. 331.

In Instituta dioecesana ?

2. Contra, in *Institutis dioecesanis* votum oboedientiae etiam Episcopo fieri solere non ambigitur.

Potestatis natura.

Potestas autem, nisi aliter ab initio factae sint stipulationes, non est dominativa sed *iurisdictionis*. Nam quae domesticae sunt potestatis vidimus per se tribui religiosis Superioribus.

Iurisdictionem autem istam exercet per se in sua quisque dioecesi Episcopus quod ad domos quae in ipsius sunt dicione, nisi forte inter Episcopos, ut vidimus n. **387**, peculiaris pactio intercesserit [1]. Non solet enim S. Sedes probare ut episcopus aliquis sit Superior generalis Instituti quod in variis dioecesibus est diffusum. Cfr. Animadversiones 30 apr. et 24 sept. 1860, Bizzarri. p. 835 et 843 ad 1.

3. Quaenam autem haec iurisdictio complectatur, iam dedimus supra, n. **386**.

PARERGON. De Cardinali Protectore

Pellizarius, Manuale, tr. 8, c. 8, s. 5 ; ***C. De Luca***, *Relatio romanae curiae*, disc. 42 ; ***C. Petra***, In C. 4, *Cunctos*, Gregorii XI (t. 4, p. 161 sqq.) ; ***Bouix***, *De Iure Regularium*, p. 5, s. 2, c. 4, p. 165-174 ; ***Lucidi***, *De visitatione* t. 2, c. 5, art. 5, n. 417-427 ; ***Piat***, *Praelectiones iur. reg.*, t. 1, p. 489 ; t. 2, p. 367.

Quibusnam detur Card. Protector ?

398. 1. Singulis *Ordinibus*, si demas Societatem Iesu, deputari consuevit, saltem a primordiis Fratrum Minorum,

[1] Ei pactioni nihil videri obstare, autumat etiam Scherer, *Handbuch* etc. t. 2, p. 860, not. 8.

Cardinalis Protector. Designatur a Summo Pontifice, qui quandoque, in signum benevolentiae, ipse has partes suscipit.

2. Similis fit Cardinalis Protectoris deputatio in tutelam et bonum *Congregationum religiosarum*.

399. 1. Cardinalis iste primitus vera iurisdictione potiebatur ; atque ad eum, tamquam ad Superiorem et iudicem ordinarium, licebat singulis regularibus appellare. Siquidem, ex mente S. Francisci, erat *gubernator*, *protector* et *corrector* fraternitatis. *Munus quod ad Ordines,*

Verum Innocentius XII, C. *Christi fidelium*, 17 feb. 1694, omnem ipsi eripuit iurisdictionem ordinariam [1]. Itaque hanc tantum exercere poterit quam ipsi S. Pontifex forte delegaverit, vel approbatae constitutiones conferant. Quare non est iam proprie Superior, eiusque partes sunt « Ordinem sibi commendatum in quieto et pacifico statu conservare et augere, ab impugnationibus et molestantibus protegere et tueri, ac etiam invigilare cum regulis prudentialibus potius quam iurisdictionalibus, ne subditi a Superioribus opprimantur, iuxta S. Sedis intentionem, litteram praefatarum Constitutionum, etc. » C. Petra, l. c. p. 162.

2. Maiore in Sororum Congregationes fruitur potestate, quae, varie ex variis Constitutionibus definita, non est tamen proprie iudicialis, sed huc spectat, ut in clientelam suam recipiat Institutum, conciliet rationes Episcoporum et Superiorum Congregationis et caveat ut Superiorissa generalis recte suo defungatur munere. *Quod ad Sororum Congregationes.*

CAPUT II

DE HIERARCHIA INTERIORE

ARTICULUS I. Notiones generales

Suarez, De Religione, tr. 8, l. 2, c. 1 ; *Pellizarius, Manuale*, etc., tr. 9, c. 1 ; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 1, c. 1, p. 491 sqq. ; *Piat, Praelectiones iur. reg.*, t. 1, p. 489-495 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 1-13.

400. In omnibus Institutis potestas est cum *collegialis* tum *singularis*. Quare ad *mixtum* genus referri potest res publica omnium Religiosorum, cum unus, ampla potestate, praesit instar *regis*, cui adest *senatus* quidam consiliariorum tamquam *Quanam regiminis forma utantur Regulares ?*

[1] Cfr. etiam litteras Secretarii Status, 9 maii 1715, apud Bizzarri, p. 335.

optimatum, summa tamen rerum sit penes *capitulum generale* : quo fit ut voluntati universitatis servetur et electio capitis et praecipuarum rerum definitio.

Varia exempla. Varia tamen modo est regimen istis tribus aequatum et temperatum, ita ut regulae S. Benedicti, ex primaria institutione, et S. Ignatii potius induxerint monarchiam ; regula FF. Praedicatorum, Carmelitarum et Eremitarum S. Augustini aristocratiam ; regula denique S. Francisci democratiam. Ita scriptores, v. gr. Pellizarius, l. c. n. 3, Tamburinus, *De iure Abbatum*, t. 3, d. 1, q. 2, n. 4 sqq.

Potestatis qualitas. **401.** 1. His qui « *collegialiter* » vel *singulariter* regunt Religiosos qua tales competit *necessarie* potestas *quasi-domestica* ad servandum in illa minore societate domesticum ordinem et dirigendos subditos ad finem eorum oboedientiae. S. Thom., 2, 2, q. 104, art. 5, ad 3. Huiusmodi enim potestas *conaturaliter* exsistit, statim atque est coetus legitimus ; manatque ex duplici veluti causa proxima, Ecclesiae *approbatione* et *ultronea deditione* eorum qui ingrediuntur Institutum. Quae deditio, cum ex ipso fine postuletur ampla, Superiores exercent veram personarum dominationem eorumque potestas dicitur *dominativa*.

Potestas quasi-domestica,

Dominativa.

Superiorum iurisdictio. 2. Praeterea, S. Pontifex *Instituta exempta clericorum* participat suae *iurisdictionis*, i. e. potestatis publicae a Christo receptae ad regendam Ecclesiam.

Utriusque potestatis collatio, quod ad obiectum et forum ; **402.** 1. Utraque potestas regit *personas* et *res* ; verum iurisdictio est fori tam *interni* quam *externi publici*, dum potestas *dominativa* exercetur in foro *privato* sed *non mere interno*.

Neque obicias voti etiam interni irritationem. Talis enim infirmandi voti potestas plene non habetur nisi per ecclesiasticam legem seu iurisdictionis usum. Cfr. Lehmkuhl, *Theol. mor.*, t. 1, n. 458. 462.

Quod ad hierarchiam. 2. Quod ad ordinem veluti *hierarchicum*, utraque solet esse *generalis, provincialis, localis* ; seu suprema, media, infima. In Ordinibus tamen monachalibus plerumque, nec raro apud Moniales, nulli sunt praelati medii. Pellizarius, tr. 9, c. 1, n. 7.

Quod ad actus. 3. Iurisdictio est *legislativa, iudiciaria* et *coercitiva* per poenas proprie tales ; potestas dominativa *privatas* exercet iussiones et ordinationes, privatam habet causae cognitionem et potius *corrigit* quam proprie punit.

Quod ad originem. 4. Potestas dominativa repeti potest ex iure *naturali hypothetico*.

Iurisdictio, etsi semper pars est divinae potestatis quae a Christo Ecclesiae est tributa, quatenus tamen inest in Superioribus religiosis, est iuris immediate *humani* ; eademque est *ordinaria*, utpote quae ipsi muneri sit coniuncta.

Quare *per se*, nisi S. Pontifex vel Constitutiones obstent, potest delegari.

In non exemptis Institutis, usus tantum est *delegatae* iurisdictionis.

5. Quod *ad gradum*, potestas *dominativa* definitur iis actibus qui, pro natura Sodalicii, requiruntur ; *iurisdictio* in universum est *quasi-episcopalis* etsi non ad omnes istius iurisdictionis actus producatur. *Quod ad vim seu gradum.*

ARTICULUS II. De potestate collegiali seu de Capitulis

Suarez, De Religione, tr. 8, l. 2, c. 8, n. 4-10 ; c. 18, n. 15 ; *Pellizarius, Manuale*, tr. 9, c. 8 ; *De Monialibus*, c. 2. n. 2 ; c. 3, n. 4 ; c. 10, n. 100. 146. 150 ; *Rotarius Theol. mor. regul.*, t. 3, l. 3, c. 4, punct. 1 ; *Schmier, Iurisprudentia canonico-civ.*, t. 2, p. 295 sqq. ; *Schmalzgrueber*, in l. 3, t. 11 ; et t. 35, n. 90 ; *Reiffenstuel*, in l. 2, t. 1, n. 177-183 ; *Piat, Praelectiones iuris regul.*, t. 1, p. 613-622 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 1, p. 489-497 ; t. 2, p. 104-170 ; *Battandier, Guide canonique*, etc., n. 192-226 et 288.

§ 1. *De Capitulis Regularium*

403. 1. **Capitulum** [1] est coetus seu congregatio religiosorum ad consultandum vel deliberandum de communibus negotiis. *Capituli descriptio ;*

2. Distinguitur a) *Pro eius constitutione, generale*, quod est totius Ordinis, *provinciale*, seu totius provinciae, si Ordo provinciis distinguatur, et *conventuale* seu *locale*. Ad provinciale capitulum tria saltem requiruntur monasteria, sicut ad locale tres saltem esse regulares oportet. *Divisio ;*

b) Ex die convocationis, *ordinarium* et *extraordinarium*.

3. *Obiecto* capitula alia sunt de *rebus gerendis* per decreta vel consilia, alia de *electionibus* peragendis. *Obiectum ;*

4. *Convocatio* capituli per se ab eo facienda est qui capitulo praeesse debet. *Convocatio ;*

5. Quorumnam sit ius praesentiae et suffragii, ex variis Constitutionibus est eruendum. Satis generale solet esse locale capitulum omnium qui professi sunt et deputantur choro [2]. *Compositio ;*

[1] Nomen impositum est, non, ut quidem somniantur, eo quod, post Episcopum, esset in dioecesi alterum, minus praestans, caput ; sed a lectione partis (*capituli*) regulae quae olim mane in cotidiana monachorum congregatione usurpari solita erat. Cfr. Hergenröther, *Kirchenlexicon*, v. *Capitel*.

[2] Videndum quid ferant Ordinis statuta, etsi ex C. Trid., s. 22, c. 4, *De Ref.* exigatur ordo sacer. Cfr. Schmalzgrueber, in l. 3, t. 11, n. 7. Plerumque *Episcopi* et *Vicarii Apostolici* carent voce activa et passiva in capitulis Ordinis vel Instituti sui.

Unanimi suffragio eorum qui iure intersunt capitulo admitti potest extraneus, nisi fortasse ad peragendas electiones.

Praeterea de professis votorum simplicium haec addidisse iuvabit. Nisi speciali Constitutionum dispositione prohibentur, Capitulis interesse possunt, et si qui anni professionis requiruntur ad vocem habendam activam, anni isti a simplici professione initium ducunt.

Nequeunt tamen simpliciter professi eligi in Superiores, nec suffragium emittere possunt in admissione ad sollemnem professionem [1].

Decreta. 6. De rebus decernit maior et sanior capituli pars, ita ut maior praesumatur esse simul sanior. Ius tamen alicui quaesitum a maiore parte tolli nequit.

Capitula S. I. *N. B.* Notum est Societatis Iesu nullum esse capitulum *locale ; provinciale* vero et *generale* vocari *congregationem*.

Capituli generalis conventus. **404.** I. **De Capitulo generali.** 1. De *tempore* et *modo* convocationis adeundae sunt propriae Ordinis Constitutiones.

Auctoritas. 2. Quod ad *auctoritatem*, capitulum generale est suprema Ordinis potestas, quae, intra fines iuris communis et Constitutionum quas in forma *specifica* confirmaverit Pontifex, valet condere *leges*. Legibus istis ipse astringitur Generalis. Iisdemque potest capitulum *reformare* regulam, *tollere* Religiosis *usum privilegiorum, reservare casus in toto ordine,* excipere *rationem administrationis Generalis,* eumque officio privare ; non autem iam, post decreta Urbani VIII et Innocentii XII *De celebratione Missarum,* reducere Missarum onera.

Ius suffragii. Ab ipso *eligitur* Generalis, et deputandi sunt tres religiosi qui, ex C. Urbani VIII, partem habere debent in eiciendis professis incorrigibilibus.

Capituli provincialis convocatio. **405.** II. **De Capitulo provinciali.** 1. Iure *communi* cogitur in tertium quemque annum. C. In singulis, 7, *De Statu Monachorum* (III, 35), Extra tempora statutis praefinita convocari nequit nisi a Superiore Generali.

Potestas. 2. In pluribus Ordinibus, ut apud Fratres Praedicatores, PP. Carmelitas et in Societate Iesu, caret legislativa potestate. Sin minus, statutis suis obligat omnem provinciam. Potest etiam *per se* casus reservare in tota Provincia.

Per se etiam, nisi aliter ferant Constitutiones, quales Societatis Iesu, in provinciali capitulo eliguntur et deponi possunt Superior Provincialis et Superiores locales.

Potest idem capitulum religiosis provinciae adimere usum privilegiorum.

---

[1] Acta quibus haec continentur habes in huius operis t. 2, n. **53, 61-65,** et in *Supplementa et Monumenta periodica*, t. 1, p. 93, 94, 176. De Responso 20 feb. 1905 cfr. etiam A. S. S. t. 37, p. 773.

406. III. **De Capitulo locali.** 1. In universum, convocatur ubi res agitur gravioris momenti. *Capituli localis convocatio.*

2. Solent praeterea Constitutiones indicere capitulum ad *dicendam culpam :* sive ex spontanea confessione sive alterius indicio. *Capitulum ad dicendam culpam.*

3. De potestate localis capituli variae sunt Constitutionum dispositiones. In Noviciatu, suffragiis suis admittit vel reicit Novicios ante simplicem eorum professionem. De devolutione iurium Praelati ad capitulum, sede vacante, cfr. Schmier, l. c. p. 298, n. 58 sqq. *Localis capituli potestas.*

§ 2. *De Capitulis Monialium proprie talium*

407. 1. **Monialium** proprie talium **capitulum,** ex Instituti ratione et lege clausurae, non potest esse nisi *locale.* *Capituli Monialium genus,*

2. Ex modo quo vel Episcopo vel Praelato regulari Moniales subduntur caret istud capitulum vi condendi statuta, praesertim cum ecclesiasticam iurisdictionem mulieres habere saltem non soleant [1]. *Auctoritas,*

3. Itaque, praeter culparum indicationem, eo spectant negotia in quibus versatur, ut eligat Abatissam et Officiales, partem habeat in admittendis noviciis ad habitum et professionem, et quibusdam maioris momenti contractibus assentiatur. *Munus.*

4. De simpliciter professis recurrunt dicta n. **403,**5. *De simpliciter professis.*

§ 3. *De Capitulis Congregationum religiosarum*

408. De his capitulis in universum. Imprimis consulendum hic est quid, in tanta varietate ac numero, a propriis Instituti Constitutionibus statuatur. Ut tamen paucis proponamus quae videntur in universum dici posse, saepius in recentioribus Institutis non sunt capitula *localia ;* eaque est condicio communis Sororum. Nusquam abest capitulum *generale ; provinciale* habetur si provinciis distinguatur Institutum. *Quaenam in his Institutis habeantur capitula ?*

409. Provincialia quidem **capitula,** si Institutum sit in provincias divisum, congregantur, sed non raro accedunt ad Congregationes provinciales Societatis Iesu, ita ut nullum deligant Superiorem, sed potissimum deputent religiosos ad capitulum generale vel generalem Superiorem. *Provincialis capituli ratio,*

Interdum, praesertim in Institutis mulierum, statuitur ipsum esse tertio quoque anno cogendum. *Convocatio.*

---

[1] Cfr. infra, n. **453** nota 1.

Generalis capituli potestas ;

410. 1. **Generale capitulum** etiam hic *summam* tenet in Instituo *potestatem*. Quare in eo ;

a) Ratio a Generali redditur de munere quo perfunctus est, praecipue quod attinet ad administrationem temporalem.

b) Generalis eligitur et ii qui ipsi adsunt a consiliis.

c) De omnibus deliberatur negotiis quae maioris sint momenti.

Nisi tamen concessum sit peculiare privilegium, Instituta votorum simplicium carent iurisdictione. Quare nec *leges proprie tales* facere valent, nec quicquam, sine S. Sedis auctoritate, in Constitutionibus mutare.

Ordinationes capituli generalis ad proximum usque capitulum vigere solent. Sic etiam statuunt Normae art. 250.

Constitutio,

2. Capitulo generali interesse solent, praeter Generalem cum Assistentibus seu consiliariis, Superiores provinciales et aliqui deputati a capitulis provincialibus. Perpetua enim est cautio ut, praeter Superiores, adsint ex subditis nonnulli communibus suffragiis designati. Res a recentibus *Normis* ita pressius definitur, art. 213-223.

a) Si non sint provinciae, conveniunt in Capitulum generale, praeter Superiorem generalem cum consiliariis, generali secretario et generali oeconomo [1], *omnes Superiores domorum* alicuius momenti, i. e. in quibus commorentur saltem duodecim religiosi, tamquam de familia ; et ex singulis huiusmodi domibus unus religiosus, votorum perpetuorum professus, suffragio professorum, (etiam votorum temporariorum) istius domus delegatus. Qui ad minores domus pertinent alii ad alios accedunt donec eo sint numero qui minimus requiratur : hi tunc unum prius ex Superioribus istarum domorum, dein aliquem professum votorum perpetuorum, ad Capitulum generale deputant. Si obstiterit distantia, mere accedunt ad locale maioris domus capitulum, parique iure sunt cum talis domus incolis.

b) Si, contra, sint plures provinciae, generale capitulum constat Moderatore supremo, eius Assistentibus, generali secretario et oeconomo, omnibus Provincialibus, ac praeterea binis, ex singulis provinciis, delegatis a capitulo provinciali, quod constituitur Superiore provinciali, eius consiliariis, Superioribus et delegatis ex singulis domibus, eo qui descriptus est modo pro capitulo generali Instituti in provincias non divisi.

Locus,

3. Quod ad *locum* istius capituli, solet esse primaria domus Instituti, nisi Superiori cum consiliariis quaedam optio linquitur, qualem, v. gr. dant *Normae*, art. 212.

Tempus,

4. Quod ad *tempus*, cogendum est cum eligendus est Superior generalis, et post intervalla (singulos, tres, sex, decem

[1] Qui omnes interesse pergunt, quamvis, electione facta, aiii sint in eorum locum suffecti.

annos) Constitutionibus indicata. Ut extra tempora congregetur, plerumque requiritur beneplacitum apostolicum. Normae, art. 209, capitulum ad sola tractanda negotia non admittitur nisi post sex annos ab electo superiore generali, cum ad duodecim annos est electus.

Directio.

Capitulo praeest, si de *viris* agitur, Superior generalis vel qui eius gerit vices ; capitulo autem *sororum* Episcopus loci tamquam *Delegatus apostolicus* electionibus praeest per se. vel per sacerdotem a se deputandum. Deliberationes de rebus dirigit electa moderatrix generalis.

Numerus requisitus ad valorem.

6. Ut valeant deliberationes, debent, ex Normis, art. 223, duae saltem tertiae partes eorum qui activum habent suffragium praesentes adesse.

Romana auctoritas.

7. Non raro plura Capituli acta sunt a S. Congregatione confirmanda.

410bis. Hactenus de Institutis quae romano utuntur iure. Namque dioecesana propriis, ab Ordinario loci approbatis, reguntur Constitutionibus. Hae tamen Normae S. C. Episc. et Reg. in posterum imitari iubentur. Cfr. Motu proprio 16 iul. 1906. Periodica, t. 2, p. 101, 127.

ARTICULUS III. De Potestate singulari seu de Superioribus religiosis

§ 1. *Quot sint genere Superiores et Officiales et quomodo constituantur*

Suarez, De Religione, t. 8, l. 2, c. 2-7 ; *Pellizarius, Manuale*, etc., tr. 9, c, 2 ; *Rotarius, Theologia mor. regul.* t. 3, l. 3, c. 1, punct. 1 ; c. 2, 3 ; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 1, d. 3, 5-13 ; t. 3, d. 2 ; *De iure Abbatissarum*, d. 28-31 ; ***Bouix, De iure regularium***, p. 6, s. 1, c. 2, p. 498-424 ; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 125 ; *Piat, Praelectiones iuris regul.* t. 1, p. 471 ; 492-562 ; ***Biederlack, De iure regularium***, n. 105, 106 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 8-53.

Quinam sint Praelati ?

411. I. 1. **Praelati** proprie sunt ii qui vario nomine ac gradu iurisdictionem habent *in utroque foro*. Quare praelatis carent Instituta non exempta.

Quinam Superiores ?

2. **Superiores** sunt *proprie* quotquot, ex munere commisso, *dominativa* saltem potestate regunt personas : tunc, praeter Praelatos, sunt etiam *Supprior* vel *Minister*, seu is qui secundo loco praeest in conventu. *Magis restricte* nomen convenit in eos tantum quibus *in virtute oboedientiae* est parendum. Quocirca, sedulo in legibus et privilegiis observandus est usus verborum.

Quinam Officiales ?

3. **Officiales** sunt omnes qui aliquo titulo regunt personas vel res. Interdum vox de iis tantum intellegitur qui ex officio

praesunt personis, i. e. de Superioribus ; interdum vero est nomen quo ii designantur qui non sunt Superiores sed aliquam sibi commissam habent administrationem.

Praelatorum genera: Perpetui, temporales ;

412. 1. **Praelati** sunt *perpetui* vel *temporales :* quae divisio quadrat in Superiores. Agedum, in nullo Instituto est perpetua praelatura praeter supremam. Quod ad caput Ordinis : **a**) Apud *Regulares*, abbates monachorum et Praepositus Generalis S. I. eliguntur in perpetuum ; ceteri in definitum tempus : sex, duodecim annos. **b**) *Monialium* abbatissae est perpetua institutio. **c**) In *Institutis votorum simplicium* raro est perpetuum munus Superioris vel Superiorissae generalis. Plerumque in sex annos eligitur, facultate plus vel minus ample facta, eundem rursus semel saltem eligendi. Apud Sorores a Sacratissimo Corde deputatio Generalissae est perpetua.

Infulati et non infulati ;

2. Sunt *infulati* et *non infulati*. Priores sunt abbates perpetui qui ritu sollemni benedici consueverunt.

Immo, secluso speciali iure quo vel ipso facto putantur benedicti, vel possunt a quolibet Antistite aut a generali proprii Instituti Superiore benedictionem suscipere, debent, sub poena suspensionis ab officio per annum, ipso iure incurrenda, intra annum a die electionis computandum, sollemnem benedictionem ab Episcopo loci monasterii rite suscipere vel ter saltem ab iis petere.

Et quae Abbatissae monasteriorum benedici sunt solitae, debent, ne munere excidant, infra annum a die confirmationis suscipere benedictionem [1].

Ordinarii et extraordinarii ;

3. Sunt *ordinarii* et *extraordinarii*, prout stabili funguntur munere, vel peculiare exsequuntur mandatum : ita plerumque *visitatores*.

Supremi, immediati, mediati.

Nisi monasterium sit sui iuris sub *Abbate* [2], Ordines habere solent *supremum* Moderatorem *(Generalem, — Magistrum generalem, — Ministrum generalem*, etc.), Praelatos *immediatos (Praepositum, Priorem, Rectorem, Custodem, Guardianum)* et plerumque *Provinciales*.

Superior localis estne Praelatus ?

De Superioribus localibus est a quibusdam dubitatum utrum necne essent Praelati proprie tales, fruentes iurisdictione quasi-episcopali. Verum, cur inter istos Praelatos distin-

---

[1] De iure isto cfr. ZEITSCHRIFT FÜR KATH. THEOL. t. 19, p. 748 sq. ARCHIV, t. 2, p. 748 sq. ; c. 2 *De statu* (III, 10) Clem. cit. a Wernz, t. 3, n. 688.

[2] Attamen, apud Benedictinos nigros introduxit Leo XIII *Primatem* totius Ordinis, cui mandatur magistratus duodecim annorum. Cfr. Breve *Summum semper*, 12 ian. 1893, et decr. S. C. EE. et RR., 16 sept. 1894, quo definiuntur eius iura. Aliorum etiam Ordinum monachalium vel canonicorum Abbates sunt Generales. Sic apud Canonicos Lateranenses, quorum Abbati Generali constanter praesto sunt *Visatatores ;* sic apud Patres Trappenses.

guas, ratio in legibus nulla est [1]; communis autem, cum Suarez [2], est *affirmantium* sententia. Argumentum sumi praeterea potest ex C. S. Pii v *Romani Pontificis*, qui *Priori conventuali* similem Episcopi tribuit facultatem absolvendi. Cfr. etiam dicta in causa Eremit. S. Augustini, apud Bizzarri, p. 776 et nota.

Quis Ordinarius loci?

N. B. Observes nomine *Ordinarii loci* non designari in actis S. Sedis ullum praelatum regularem praeter *Abbatem Nullius* [3].

Definitores seu Assistentes;

413. II. **Officiales** qui Superioribus adiunguntur. 1. Praelatis seu Superioribus dantur consiliarii, qui, cum agitur de Superiore generali, vel etiam quandoque de provinciali, dicuntur *Definitores* seu *Assistentes*.

Supprior, Minister;

2. Praelato vel Superiori locali saepe adiungitur *Vicarius*, qui auxilio sit praesenti, vices suppleat absentis, diciturque *Supprior*, *Minister*, etc. Hic non est vere Praelatus, nec, saltem praesente Praelato, praecipere valet in virtute oboedientiae; in partem tamen venire solet potestatis dominativae, ita ut in Superioribus referri possit. Conferendae praeterea sunt propriae Constitutiones.

Procurator generalis;

3. Ad negotia Instituti apud S. Sedem agenda, deputari consuevit *Procurator generalis*, qui Romae residere debet.

Procurator domus vel provinciae.

4. *Res familiaris* domorum vel provinciae gerenda committitur *Procuratoribus* seu Praefectis oeconomiae.

Ius penes S. Pontificem instituendi Superiores.

414. III. **Superiorum Constitutio.** 1. Ius inest in S. Pontifice omnes directe instituendi Superiores tam Ordinum quam quorumlibet Institutorum religiosorum. Id fert suprema eius et universalis iurisdictio, atque ipso demonstratur usu. Episcopus autem non valet *per se*, ne dioecesani quidem Instituti, designare Superiores. C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. IX.

An simile competat Episcopo?

Superioris supremi electio.

Forma scrutinii.

2. *Superiores supremi* constituuntur *per electionem capitularem* a) *Secreta* exiguntur suffragia. Ita C. Trid. s. 25, c. 6, *De Reg.* disposuit de Regularibus et Monialibus restricte talibus; idem vero de Institutis votorum simplicium cavere solent approbatae Constitutiones.

Quid de quasi-inspiratione vel compromisso?

Quare non videtur eligi posse Praelatus omnium communi clamore atque assensu, seu, ut aiunt per *quasi-inspirationem*. Formae quae dicitur *compromissum* hanc concedunt scriptores

---

[1] In iure enim non est nisi c. Abbates, 3, *De privilegiis* in 6 (v. 7) quod loquitur de Abbatibus Monasteriorum ut habentibus quasi-episcopalem iurisdictionem.

[2] *De Religione*, tr. 8, l. 2, c. 2, n. 9-16. Ita etiam C. Petra, in C. 4 Calisti III, t. 5, p. 48. n. 1-5.

[3] Cfr. C. Petra in C. 4 Calisti III, p. 48 sq., n. 29; S. Off. 20-22 april. 1898 (MONITORE, X, 2 p. 52); S. R. C. 22 ian. 1701 ad 8 (*Decreta authentica*, 2067, Gardellini, n. 3575), S. C. indulg. 2 ian. 1888.

rationem, qua unus vel pauci, omnium consensu, deputentur compromissarii qui non eligant quidem, sed, rogata secreto singulorum sententia, electum pronuntient qui obtinuerit suffragia maioris et sanioris partis. Cfr. Piat, I, 497.

Personae habiles in Ordinibus virorum,

b) Quod ad *habiles*, in *Ordinibus virorum, eligendus* debet esse Professus eiusdem ordinis, 25 annos inchoatos natus, nulla censura aut irregularitate irretitus nec privatus voce passiva. Possunt tamen electores convenire in Professum alterius Ordinis. Sed tunc exquirendus est consensus Superioris istius electi, per actum qui dicitur *simplex Postulatio*.

Electus regulariter debet confirmari a S. Pontifice ; et aliquando est benedicendus.

Post *confirmationem* tantum habet ius in re et tollitur Praelaturae vacatio.

Apud Moniales,

Apud *Moniales*, ex C. Trid., s. 25, *De regul.* c. 7, opus est ut Abbatissa non sit minor 40 annis (completis) et ab octo annis professa. Quod si fieri nequeat, eligatur saltem quae triginta excesserit annos et a quinque saltem annis in professione laudabiliter conversata sit. Electio confirmanda est a Praelato cui subditur Monasterium [1], nisi ex consuetudine existimetur ipso Praelati silentio tacite confirmata. Electioni praeest, pro monasterii condicione, Praelatus regularis, si regularibus sit obnoxium, sin minus Ordinarius, qui etiam interesse potest electionibus Monasterii exempti [2]. Praeses, duobus stipatus testibus [3], « ante cancellorum fenestellam vota singularum » audit vel accipit. C. Trid. ibid. De his cfr. Pellizarium, *De Monialibus*, c. 10, n. 85-116.

In Institutis votorum simplicium.

Dotes requisitae *in Institutis votorum simplicium* sunt ex Constitutionibus eruendae. Quandoque, sed non semper, est electio a S. Sede confirmanda.

Electioni Superiorissae praeest Ordinarius loci.

Quod ad *Instituta dioecesana* mulierum, C. *Conditae a Christo*, c. 1, n. VIII, tribuit Episcopo ius confirmandi vel rescindendi electionem, « pro conscientiae officio ».

Electio Assistentium.

3. Eodem capitulo quo Generalis, eliguntur eius *Assistentes* seu Definitores generales.

Ceterorum Superiorum vel Officialium institutio.

4. Quod ad ceteros Praelatos vel Superiores et Officiales, aliae Constitutiones instituunt eorum electionem in capitulis, aliae Superiori generali vel provinciali ius conferunt eos nominandi, sive per se solos, sive requisito voto Capituli.

---

[1] Id est, pro condicione Monasterii, a S. Pontifice, Ordinario, Praelato primi Ordinis.

[2] C. *Inscrutabili*, Gregorii XV, 1622.

[3] C. Quia propter, 42, *De elect.* (I, 6).

§ 2. *De Munere Superiorum et Officialium in Ordinibus virorum*

I. De iurisdictione Praelati regularis ordinarii

Suarez, De Religione, tr. 8, l. 2, c. 8 sqq.; *Pellizarius, Manuale*, etc., tr. 9, c. 3 et 4; *Rotarius, Theol. mor. reg.*, t. 3, l. 3, c. 1. 2; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 2; t. 3, d. 3-4 10-14; *Bouix, De iure regularium* p. 6, s. 1, c. 3 et 4; s. 2, c. 1 et 2, p. 425-475; *Mélot, De Ordinibus*, etc. n. 125. 126. 128; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 1, p. 400-408; p. 562-593; *Biederlack, De iure regularium*, n. 113-120; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 54-80; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, n. 689-693.

415. 1. *Qua polleant Praelati regulares ordinaria potestate.* Vidimus iam n. **401** in Ordinibus virorum inesse, praeter potestatem *dominativam*, ordinariam *potestatem iurisdictionis* per Summum Pontificem communicatam. De his quae pertinent ad potestatem dominativam agemus infra, n. **429** sqq. Hic de iurisdictione, quae *utriusque est fori* et episcopalem iurisdictionem imitatur.

Iurisdictionis ordinariae natura.

2. *Speciales* praeterea *facultates* non raro a S. Sede impetrantur, in certum tempus vel ad definitum numerum casuum, quae ad privilegia proxime accedunt et vocantur quandoque quasi-privilegia. Omnes istae facultates quae a Generalibus fuerint obtentae transeunt pleno iure *ad Successores*. Ita ex decreto S. Officii, 20-22 dec. 1899, traducente ad *Superiores Generales Ordinum religiosorum* decretum 3-5 maii 1899, quo confirmatur et declaratur decret. 24-26 maii 1897.

Facultates speciales Praelatorum.

Translatio ad successores.

3. *Hierarchica eorum constitutio* id efficit, ut Praelatus *maior* valeat plerumque *valide*, non tamen, nisi ob iustam causam, licite demere de iurisdictione Praelati *minoris* in foro sive interno sive externo. Suarez, l. c. l. 2, c. 2, n. 23. 24.

Potestas hierarchica.

A. DE IURISDICTIONE FORI INTERNI.

416. Deputatio confessariorum. 1. *Intra ordinem* a) Regulares sui Ordinis deputare ad audiendos subditos pertinet ad Superiores etiam *locales*, nisi restricta fuerit eorum auctoritas. Omnis enim ordinaria iurisdictio per se delegari potest.

Quinam possint deputare confessarios intra Ordinem?

Ex Clementis VIII C. *Nullus omnino* § 37, prius requiritur ut deputandi ad praedicandum verbum Dei, ad audiendas confessiones, et ad publice docendum, periculum faciant coram congregatis tribus saltem examinatoribus, in capitulo generali aut provinciali eligendis; — nisi tamen approbandus sit notorie idoneus. Verum nobis non constat in hac Constitutione inesse vim universalem. Cfr. supra, n. **185**,3.

Quot sint numero deputandi ?

b) Ipsi Superiores non possunt audire confessiones subditorum, nisi hi commiserint peccatum reservatum, aut sponte vel proprio motu adeant ad Superiores ; sed in singulis domibus, duo, tres aut plures, pro numero maiore vel minore sodalium, deputandi sunt confessarii [1].

De confessione Noviciorum.

c) Unus tamen *Noviciorum* Confessarius est ipsorum Magister. Quare, excepto privilegio, is nequit simul esse localis Praelatus. Locali autem Superiori integrum est semel aut iterum in anno, per se vel per alium, excipere Noviciorum confessiones.

Extra Ordinem ?

2. *Extra ordinem.* Nisi propria obstent statuta, Superior conferre etiam potest iurisdictionem sacerdoti extero, sive *saeculari* sive *regulari* alterius Ordinis.

An requiritur approbatio Ordinarii ?

Debetne sacerdos iste esse approbatus ab Ordinario loci ? *Ex iure* id effici nequit. Tridentinum enim Concilium talem approbationem non postulat nisi ad audiendos *saeculares*. Quid igitur prohibet, quin sacerdos ille, potestate sibi a Superiore regulari facta, absolvere queat regularem, sicut, ante Tridentinum decretum, parochus valebat alieno sacerdoti expeditam in sua paroecia tribuere iurisdictionem ? Nihilo minus id alienum esse a mente et usu S. Congregationis, praesertim si sacerdos sit saecularis [2], ex variis monumentis non obscure perspicitur. Ita ex privilegiis iubilaei, regulares extra Ordinem suum adire nequeunt nisi sacerdotes quos approbaverit Ordinarius loci. Ita etiam nullas declaravit S. C. Conc., 18 sept. 1769, confessiones factas sacerdoti non approbato, etsi cum licentia proprii Superioris ; atque anno 1864 pronuntiavit S. C. Ep. et Reg. in Ordine Eremitarum S. Augustini nihil obstare quin a Superiore delegaretur sacerdos extraneus, « dummodo ab Episcopo sit approbatus ». Cfr. Bizzarri, p. 775-777 cum notis ; vel Santi-Leitner, qui l. 3, t. 37, n. 14-18, acriter severiorem obtrudit sententiam.

Facultas reservandi casus.

417. Reservatio casuum. Per se Praelati possunt *reservare* casus. Ne tamen nimia foret horum multiplicatio, Clemens VIII ad undecim, ab ipso descriptos, casus contraxit qui ab uno Superiore regulari reservari valerent. Qua Constitutione non est deminuta facultas congregationum seu capi-

---

[1] C. *Sanctissimus*, Clementis VIII, 26 maii 1593. Controversiam quandam de vi huius decreti videsis apud Piat, 1, p. 402.

[2] Hoc addimus, quia ex Const. *Quod communi*, 30 mart. 1742, FF. Cappuccinis extra claustra degentibus, licet, certa lege, adire sacerdotem sive saecularem approbatum ab Ordinario loci, sive regularem approbatum *a proprio suo Superiore*. Quod confirmatur recenti indulto 5 april 1897, quo FF. Cappuccini qui cum Superiorum licentia extra claustra degant vel iter faciant, nisi praesto ipsis sint duo saltem sui Ordinis confessarii, adire possint quemlibet sacerdotem, *rite approbatum*, ab eoque, sine onere postea se sistendi coram Superiore, absolvi etiam a casibus in Ordine reservatis et consequentibus censuris. Monitore, X, 1, p. 50. 51.

tulorum. Undecim hos casus, qui consuevere reservari in Ordinibus, habes infra, parte 7, c. 3.

B. DE IURISDICTIONE QUAE AD UTRUMQUE FORUM QUADANTENUS PERTINET.

Absolutio a censuris non reservatis vel occultis superioris iuris.

418. Potestas absolvendi a censuris. 1. A censuris non reservatis et ab omnibus occultis quae, *superiore iure* statutae, non revocatae sint C. *Apostolicae Sedis*, possunt Praelati regulares per se vel per alios absolvere suos subditos. C. Trid. s. 24, c. 6, *Licet*, *De ref.* coll. cum C. S. Pii v, *Romani Pontificis*.

Quaenam manserint censurae iuris superioris?

Porro, ex ipsa C. *Apostolicae Sedis*, firmae manent censurae pontificiae quae *pro interno regimine quorumlibet Ordinum* et Institutorum regularium latae sunt, nisi, ut patet, contraria consuetudine sint sublatae.

Quod si de vi quaeras istius clausulae, latae putantur pro interno Ordinum regimine, etsi forsan plectant saeculares, censurae quae diriguntur ad promovendum bonum sive status religiosi sive Institutorum regularium qua talium. Cfr. Piat, II, 611, qui, p. 614, earum tradit elenchum [1]. Permanet

---

[1] Has P. Piat vigere existimat :

1° Excommunicatio a Bonifacio VIII lata contra Regularem, qui temere habitum propriae Religionis dimittit, licet... absque animo apostatandi ;

2° Excommunicatio in monachos intra saepta monasteriorum arma tenentes sine licentia ablatum ;

3° Excommunicatio lata adversus monachos et canonicos regulares, qui principum curias adeunt, ut suis Praelatis vel suo monasterio damnum aliquod inferant ;

4° Excommunicatio in Superiores regulares lata, qui quovis quaesito colore vel praetextu in causis ad S. Officium pertinentibus, tam motis quam movendis, quoquo modo se intromittere, seu immiscere praesumpserint ;

5° Excommunicatio lata in Superiores regulares qui non denuntiant Inquisitoribus religiosos quoscumque haereticos, vel de haeresi quomodocumque etiam leviter suspectos, tam sibi ipsis subditos, quam non subditos, cuiuscumque dignitatis, gradus et condicionis exsistant ;

6° Excommunicatio lata in Superiores, qui subditos ad S. Officium recurrere aut accedere volentes, quovis modo, sive directe sive indirecte, avertunt, retrahunt, vel dissuadent ;

7° Lata in Religiosos inferiores, seu subditos, qui confratres quoscumque ac Superiores eiusdem Ordinis et Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet etiam leviter suspectos, non denuntiant ; aut qui ab ipsis consilium petentes a denuntiando sub fraternae correctionis vel alio quovis praetextu retrahunt vel retardant ;

8° Lata in subornatores, quoad illos Ordines, pro quibus emanarunt Constitutiones illam statuentes ;

9° Item lata in eos qui Visitatorem iniuste recusant, sed iterum in iis Ordinibus qui Constitutionem eiusmodi poenam statuentem obtinuerunt;

10° Item, iuxta plures, lata in Regulares qui sine licentia sui Praelati praedicare ausi fuerint ; quibus tamen alii recte contradicere videntur ;

11° Illa, quae statuitur... in C. *Apostolicae Sedis* Pii PP. IX,... in Regulares qui absque beneplacito Apostolico res conventus alienant, vel pactum ineunt per quod dominium transfertur ;

etiam excommunicatio contra Missionarios negotiantes. S. Off. 4 dec, 1872. *Collect. P. I.* n. 351.

A censuris reservatis Episcopo ;

2. A censuris a iure *reservatis Episcopo* suos subditos absolvere possunt. S. Off. 22 mart 1881. Cfr. N. R. Th. t. 26, p. 318.

A censuris hodierno iure reservatis S. Pontifici ;

3. A censuris *S. Pontifici reservatis* per C. *Apostolicae Sedis,* subditos, sine peculiari rescripto, absolvere nequeunt, quamvis agatur de simplici reservatione et de casu occulto, in quem dicta Const. Ordinariis facultatem confirmavit. Ita S. Paenitentiaria, 5 dec. 1873.

A percussione clerici;

4. Possunt tamen vi privilegiorum suorum absolvere subditos a censura commissa ob percussionem clerici quae levis fuerit vel mediocris, immo, ut plerique volunt, quae fuerit enormis [1]. Cfr. C. d'Annibale, *Summula*, I, 346 ; Piat 1, p. 582. 583.

A censuris novitiorum vel candidatorum.

5. Facultatem, quod ad novicios seu religionem ingressuros, cfr. supra, n. **193**, 7.

Praelati qui hac fruuntur facultate.

N. B. 1. Quinam sint isti Praelati, utrum necne localis opus habeat facultate Provincialis vel Generalis, cfr. proprias Ordinis consuetudines. Contra, Piat. t. 1, p. 584, q. 3 ; sed cfr. Bizzarri, p. 776 et notam.

Usus extra confessionem.

2. Secundum communiorem sententiam, Praelati hac uti facultate etiam extra tribunal Paenitentiae permittuntur. Cfr. Piat, t. 1, p. 586, q. 9.

Dispensatio a poenis iuris communis :

419. Potestas dispensandi ab aliis poenis. 1. In poenis *ob delicta occulta iure communi* impositis, nisi Pontifex specialem statuerit reservationem, poterunt Praelati regulares *per se ipsos* dispensare, ex capite *Licet*, 6, s. 24, *Ref.* C. Trid., coniuncto C. S. Pii v, *Romani Pontificis.*

Ob delicta occulta ;

Latae sententiae ;

2. In poenis *latae sententiae :* inhabilitatis, privationis officii, vocis activae et passivae, etc. dispensare possunt ex C. S. Pii v, *Dum ad Congregationem,* 13 iul. 1571.

Ferendae ententiae ;

3. Quod ad *poenas ferendae sententiae,* videntur dispensare per se ipsos posse in poenis commissis *ob adulterium et delicta minora.* Ex c. *Et si clerici* 4, § 1, *De iudiciis* (II, 1) coll. cum dicta C. *Romani Pontificis.* In aliis, non poterunt detrahere de poena quae lege est statuta, nisi iudices fuerint in causa

---

12° Lata in Religiosos nonnullorum Ordinum, qui ad alia Tribunalia, maxime saecularia, appellant ;

13° Lata in eos qui recursum extra ordinem faciunt ad obtinendum quemlibet favorem vel gratiam, vel litteras oboedientiales, vel ad vitandam poenam.

[1] Autumant plures, v. gr. Lehmkuhl II, 968, in Italia, extra Urbem, privilegium istud fuisse a Clemente VIII revocatum. Verum Ferraris, v. *Regularis Praelatus*, n. 20, affirmat esse a S. Congregatione Episcoporum et Regularium, post factum verbum cum Sanctissimo, declaratum, absolutionem subditis datam derogatione ista minime affici. Cfr. etiam Piat, l. c.

et occurrant excusationes, quas videsis apud Pellizarium, *Manuale*, tr. 7, c. 1, n. 29.

A poenis iuris proprii.

4. *Propriis Constitutionibus* indictas poenas is relaxare poterit qui ab iisdem Constitutionibus deputatur : plerumque erit solus Praelatus supremus.

A poenis latis a Praelato.

5. Poenam *a Praelato inferiore* inflictam temperare vel tollere potest Superior si ad ipsum causa sit delata, immo etiam secus, ut verisimile est. Cfr. Piat, 1, 574.

In relaxatione poenae cavendum iuri partis laesae.

N. B. In relaxanda poena delicti non occulti, cavendum est ne derogetur iuri partis laesae quae petit poenam.

420. Potestas dispensandi ab irregularitatibus. Ne cogamur ingredi difficiles et parum utiles controversias et plura distinguere quae simplicem non ferunt expositionem, haec pauca dabimus quae magis certo constant [1].

Dispensatio ab irregularitatibus ex delicto ;

Etiam secluso speciali privilegio, *praelati regulares* subditos suos, etiam Novicios, dispensare valent :

a) In omnibus irregularitatibus *ex delicto*, excepto *homicidio directe voluntario*, *abortu foetus animati*, *mutilatione membrorum* et *bigamia similitudinaria*, praesertim si misceatur interpretativa [2]. (Breve *Votis vestris*, Pii IV, 24 maii 1560.) Semel in anno, feria 2 post dominicam primam Quadragesimae, diserte conceditur Praelatis localibus ampla dispensandi facultas. C. *Exponi Nobis*, 12 martii 1545, Pauli III.

Ex defectu.

b) In irregularitatibus *ex defectu*, exceptis : *enormi* corporis aut animi *vitio* unde fideles scandalum capere possent ; *bigamia*, si communiore fidamus sententia ; defectu natalium *ad dignitates* [3] ; et defectu *aetatis*. Ita scriptores, ex C. Sixti IV, *Regimini universali*, 31 aug. 1474.

Ex eadem Constitutione Superiores isti sunt etiam locales ; verum suas quisque consideret Constitutiones.

Potestas gratiosa in universum.

421. Potestas gratiosa in universum. « Ipsi *per se ipsos* idem omnino **possint** in Fratres et Moniales... sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subiectos, tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi quam alias quascumque facultates. » S. Pius V, C. *Romani Pontificis*, 21 iul. 1571.

Non ergo *cum tota communitate* (nisi gravissima urgente necessitate, et cum facilis non est recursus ad legislatorem) sed cum singulis personis dispensare possunt :

---

[1] De aliis cfr. S. Aphonsum *De Privil.* n. 104, 105, attendendo ad observationes R. P. Piat, *Praelect. iur. reg.* 1, p. 574-580.

[2] *Bigamia similitudinaria* contrahitur ab eo qui, post votum sollemne castitatis, attentat matrimonium. Miscetur *interpretativa*, si contraxerit cum vidua non virgine, aut femina iam ab altero cognita. Bigamia illa excipitur potius ex stilo Curiae quam ex claro scripto legis.

[3] Non pauci sunt Ordines ubi exceptio ista speciali tollitur privilegio, quod videtur exigere C. Gregorii XIV, *Circumspecta*, § 4.

Dispensatio a legibus Ecclesiae,

1. *In legibus Ecclesiae* de casibus frequenter occurrentibus, aut cum dubium est num requiratur dispensatio.

In votis,

2. *In votis* non reservatis, sine laesione iuris tertii.

In regula,

3. Per se in *praeceptis Regularum* et Constitutionum.

Quid de votis professionis ?

Non possunt in votis substantialibus Religionis ; nec in aliis votis quae professionem religiosam comitantur, nisi ex natura sua votum postulet hanc facultatem : quale est votum Minimorum comedendi tantum cibos esuriales.

Facultas benedicendi paramenta Ecclesiae.

422. Potestas benedicendi. Possunt Praelati regulares, etiam locales, ex concessione Leonis x, benedicere, *ad usum tantum suorum,* sollemni benedictione, ecclesias, oratoria, *paramenta et ornamenta* et quaecumque ad divinum cultum pertinent in quibus non sit *chrismate* utendum [1].

Non possunt itaque benedicere paramenta ad usum alienae ecclesiae. Quae semel tamen fuerint benedicta ubique usurpari possunt.

De ordinatione ab Abbate cfr. infra, parte 7, c. 4.

De benedictione oratorii, cfr. infra, parte 7, c. 2.

C. DE IURISDICTIONE FORI EXTERNI.

Cuinam competat potestas ferendi leges ?

423. Potestas condendi leges. 1. Haec plerumque, excepto quadantenus, propter vim eius Ordinationum, Generali Societatis Iesu, non inest in Praelato solo sed in *Capitulo generali ;* et quandoque in *Capitulo provinciali* quod ad provinciam.

Vis istius potestatis in Ordine.

2. Per se, vi talis potestatis, ipsae Constitutiones mutari possunt, non eae tamen quas Pontifex confirmaverit in forma specifica vel cum clausula infirmante ea quae in contrarium gererentur.

Quaenam Praelatis competat potestas.

424. Potestas iudiciaria et Coercitio [2]. Quae in his potest Praelatus regularis definiuntur a scriptoribus, observando quid ius commune statuat de his qui in Ecclesia ordinariam habeant iurisdictionem, inferiores tamen sint Summo Pontifice.

Itaque, possunt Praelati :

Cognoscendi causas,

1. Inquirere in subditos, cognoscere eorum causas, exceptis causis quae spectant ad S. Officium. Cfr. supra, n. **379.**

Puniendi,

2. Reos variis poenis plectere, tum *spiritualibus :* excommunicationis, interdicti personalis, etc., tum *temporalibus :* carceris, flagellationis infra tamen sanguinis effusionem [3]. Immo, nisi obstent constitutiones, subditum nondum in sacris a statu clericali in laicalem referre possunt.

---

1 Quia *pro usu* Regularium est a Leone x concessa facultas, videntur ea uti posse etiam in ecclesia quae precario titulo sit ipsis concessa.

2 De his cfr. Passerini, *Tribunal regulare ;* Rotarium, *Theol. mor. reg.* t. 3, l. . , c. 7 ; vel Piat, t. 1, p. 588-593.

3 C. Cum fortius, 1, *De Calumniatoribus* (v, 2) ; In Archiepiscopatu, 4, *De raptoribus* (v, 17).

Ad ferendas graves poenas requiritur quaedam *forma processus,* quae tamen potest esse summaria, ad tramites statutorum et consuetudinum Ordinis. Cfr. de hoc processu C. de Lugo, *De iustitia et iure,* d. 37, n. 165-176.

3. Possunt *suspendere* ex *informata conscientia :* quae suspensio non infirmat absolutiones datas saecularibus ex iurisdictione per Episcopum habita. S. C. Ep. et Reg. 2 mart. 1866. Bizzarri, p. 811. *Suspendendi ex informata conscientia,*

4. Ex *iure communi,* nihil obstat quin maiores Praelati Praelatos inferiores possint *valide* ab officio removere et *licite,* iustam ob causam. Attamen id controvertitur, cum agitur de Praelaturis electivis. *Removendi Praelatos inferiores ?*

PARERGON. De poenis canonicis

425. Operae pretium est breves de poenis canonicis tradere notiones ; de iis praesertim quarum frequens est mentio in legibus et causis Regularium.

1. **Poena**, in universum, dicit malum quoddam physicum positivae afflictationis vel privationis, a legitima auctoritate propter delictum irrogata. *Poenae notio.*

Porro poena quae a publica sumitur potestate ad commune bonum semper dirigitur. Ad hoc autem confert et sontes corrigi et vindicari delicta. Quare :

2. *Ex fine* immediato, poenae ecclesiasticae aliae sunt *vindicativae,* quibus praecipue in publicam delicti ultionem intenditur ; aliae *medicinales,* quae magis ad emendationem delinquentis sunt ordinatae. Hae sunt *censurae.* *Poenae vindicativae et medecinales.*

3. Ad poenas accedunt *irregularitates* ex *delicto,* quae tamen potius sunt, pro communi irregularitatis ratione, *impedimenta,* quibus impeditur primario ordinum susceptio, secundario eorundem usus. *Irregularitates.*

426. Poenae *vindicativae,* nisi plene luuntur, tolluntur *dispensatione,* quae iustam postulat causam ; *censurae* auferuntur *absolutione,* suntque tollendae si delinquens desierit esse contumax et congruam obtulerit satisfactionem. *Quomodo poenae tollantur ?*

427. Utraeque decernuntur post iudicis *sententiam,* vel *ipso iure :* i. e. sunt *ferendae* vel *latae sententiae.* *Quomodo decernantur ?*

Non raro tamen, contra ac censurae, poenae *vindicativae,* etiam quae sint latae sententiae, non committuntur ante iudicis declarationem. Etenim : *Quomodo committantur poenae latae sententiae, nominatim,*

a) Praeter *positivas afflictationes,* v. gr. carceris, quas nemo ultro dare cogitur, *Positivae afflictationes,*

b) *Privationes,* quibus auferuntur officia vel beneficia iam obtenta, exigunt iudicis *declarationem,* ante quam nemo debet se propria spoliare manu, nisi valde perspicue contrarium caveatur fierique possit citra propriam infamiam. *Privationes,*

Ipsa clausula qua poena dicatur incurrenda *absque ulla declaratione*, benigne intellegi potest: absque ulla declaratione *criminis*, non autem commissae poenae [1].

Inhabilitates ?

c) *Inhabilitates*, quibus praesens quidem officium non amittitur, sed ineptus aliquis redditur ad alia officia vel beneficia ecclesiastica postmodum obtinenda, secundum sat multos probatos doctores [2], sententiam *declaratoriam* per se non requirunt. Etenim, sic aiunt, non agitur hic de iure amittendo, sed de acquirendo.

Saepe tamen, nisi casus fuerit notorius, solutio ista temperabitur altero canone, quo nemo obligatur ab sibi eripiendam famam. Et quia graves istae poenae *mortalem* plectunt culpam, quae bona fide, ignorantia, non raro excusatur, difficile, ante sententiam, aliis constabit quempiam esse inhabilitate affectum.

Quid si inhabilis exerceat munus ?

His fit etiam ut qui poenali inhabilitate impediti cuipiam muneri nihilo minus praeficiantur, plerumque ob errorem communem et titulum coloratum valide exerceant iurisdictionem, cuius actus consistent etiam post iudicis declarationem.

Poenae quae usu veniunt in rebus Regularium :

428. Age vero, **contra Regulares** plerumque edicuntur:

Privatio vocis activae,

Privatio *vocis activae*, qua quis ius amittit suffragii, saltem in electionibus proprie dictis. Ad has enim contrahi potest vis poenae, nisi statuta Ordinis severius sonent.

Nulla est electio ad quam participandam *inhabiles* scienter fuerint admissi. Si ex ignorantia, valide eligitur qui sufficientem recte eligentium tulerit numerum.

---

[1] Cfr. S. Alph. l. 1, 148; Sanchez, *in Decal.* l. 2, c. 22, n. 20.

[2] Ita v. gr. Vasquez, in 1, 2, d. 168. Non tamen silentio praetereundum est alios esse ex probatissimis, qui in ipsa frequentia qua in iure decernuntur inhabilitates ad officia, causam vident benigne interpretandi mentem Ecclesiae, ne secus nimia hominibus daretur occasio peccandi. Cfr. Sanchez, *in Decal.*, l. 2, c. 39, n. 32, f.; Suarez, tr. 8, l. 1, c. 7, n. 10; Passerini, *De electione canonica*, c. 25, n. 626.

Quare contendit Ferraris, *Bibliotheca*, etc. v. *Lex*, art. 2, n. 39, usu saltem factum esse ut effectus ille plenissimus latae sententiae non tribueretur nisi censuris latae sententiae, irregularitatibus, reservationibus absolutionis, impedimento criminis in matrimonio, privationi petendi debitum ob affinitatem, privationi fructuum ob neglectas horas. Cfr. etiam Sanchez, *in Decal.* l. 6, c. 15, n. 64, 65.

His favet etiam responsum S. Congr. Concilii anni 1657. Interrogata enim de necessitate declarationis, ad incurrendas poenas statutas *ipso facto*, *absque declaratione*, respondit, silendo de aliis poenis. « ad effectum incurrendi *in censuras* non requiri (declarationem) » (Piat, 1, 503). Et quamvis minime ab Ecclesia abiudicemus potestatem imponendi poenas citra omnem sententiam, moderatio tamen ista videtur nobis ab ipso bono communi suaderi. Sin minus, in regularium statu et regimine multa erunt in incerto; paucorum neglegentia omnia nutabunt; et ipsi innocentes in timores et augustias fere perpetuas conicientur.

Privatio *vocis passivae*, qua quis non valet iam *per suffragia* obtinere munera quae in Capitulis conferri sunt solita, ad alias autem institutiones manet habilis. *Privatio vocis passivae,*

Privatio *vocis* benigne intellegi potest de sola voce activa; dum privatio *electionis* utramque aufert. *Privatio vocis, electionis;*

Privatio *officiorum et dignitatum* [1] circumscribi potest iis muneribus quae coniunctam habent iurisdictionem vel eminentiam: praelaturis ergo, et munere Assistentis, Definitoris; non autem officiis quae mere tribuunt aliquam administrationem, v. gr. Procuratoris, Praedicatoris, Lectoris. Privationem officiorum sequitur inhabilitas ad eadem obtinenda [2]. *Privatio officiorum et dignitatum,*

Inhabilitas ad praedicta, quae ad futura tantum officia vel dignitates praecludit aditum. *Inhabilitas ad praedicta.*

II. De Praelatorum potestate dominativa seu quasi domestica

C. De Lugo, De iustitia et Iure, d. 38, s. 2; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 2, d. 21; *Rotarius, Theol. mor. regul.*, t. 2, l. 2, c. 1; t. 3, l. 2, c. 4; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 1, c. 3, p. 425-435; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 127; *Piat, Praelectiones iuris regul.*, t. 1, 288-292; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, t. 1, p. 251-253.

429. Duplex Praelati persona. Hoc loco Praelatus nobis apparet non ut persona publica sed formaliter ut *Superior familiae religiosae*. Iam vero, praeter *iudicis ordinarii* personam quam verus Praelatus sustinet, est in ipso ut in *Superiore* duplex etiam distinguenda persona. Considerari enim potest *formaliter* tamquam *praefectus sodalicii*, gerens eius boni curam: quod maxime pertinet ad rationem Superioris essentialem; et tamquam *pater*, prospiciens religiosi singulorum bono, explens obligationem ab Instituto susceptam habendi professum pro filio eumque dirigendi ad finem sui status. *Duplex persona Superioris, ut est Praefectus sodalicii et spiritualis pater.*

430. I. **De Superiore ut est caput sodalicii.** Ipsi, qua tali, committitur tutela Instituti et proinde observantiae regularis. Quare, sive solus sive cum consilio vel capitulo, prout natura rei et Constitutiones ferunt, *Potestas Superioris qua talis;*

1. Constitutiones quidem non condit, sed urget earum exsecutionem etiam per ordinationes quae communitatem ex religione obligant. *Ordinationes;*

---

[1] In iure, *dignitas* dicit *iurisdictionem cum excellentia; officium* excludit *excellentiam*, non autem *iurisdictionem*, praesertim fori interni, quare describitur quandoque *iurisdictio sine excellentia*; ita officium parochi, vicarii. *Excellentia sine iurisdictione* est *personatus*, qui etiam officiorum privatione attingitur. Cfr. Piat, *Praelect. iur. reg.*, edit. 1, tom. 3, p. 291, vel Santi-Leitner, t. 1, p. 214.

[2] Piat, *Praelectiones iur. reg.*, t. 3, p. 291.

Votum nomine Instituti;

2. Potest etiam, ad bonum Instituti, *votum* cum subditis emittere. *Voti* tamen *religione* non tenebuntnr nisi qui illud fecerint. Cfr. Lehmkuhl, I, 441.

Administratio bonorum;

3. Bona administrat Monasterii et temporales eius curat rationes : de qua potestate dicemus n. **432**.

Praecepta;

4. Praecipit *in virtute oboedientiae* quaecumque ad religiosas spectant observantias ;

Forum domesticum.

5. Habet *forum aliquod*, non publicum iudicis, sed domesticum, in quo recipit denuntiationem quae dicitur *canonica*.

Regulae denuntiationis canonicae.

Haec, satis similis denuntiationi iudiciali, persequitur non tam bonum delinquentis, quam bonum domus seu Instituti vel alterius innocentis cui delictum videtur fore damnosum.

a) *Fieri* honeste *potest*, modo recta impellaris intentione, quotiens, sine praevalente damno personae delatae, videatur expedire ad bonum personae privatae vel Instituti : idque eo modo qui aptior apparet, etiam si praetermittas fraternam correctionem.

b) *Fieri debet*, cum ex *caritate*, quando delatio est solum medium, *probabiliter* idoneum, ad impediendum damnum communitatis vel magnum proximi detrimentum, neque excuseris proprio detrimento [1] vel graviore damno personae delatae ; tum ex *religione*, si iuberis a Praelato, idque iuste, perspectis constitutionibus et utilitate delationis. Hac obligatione liberat : α) *Perfecta emendatio* delinquentis, si parti laesae est satisfactum, nec aliis periculum imminet ; β) Secretum *commissum* ex officio, nisi ex permanente malitia committentis oriatur grave innocentis damnum, aut ad commune Instituti bonum graviter intersit ut reveletur. Cfr. C. de Lugo, d. 4, n. 242 ; γ) Grave quod tibi impendat periculum honoris, vitae, rerum tuarum. Quare *teipsum* denuntiare non cogeris ; neque socios criminis, cum sic aequivalenter proderes teipsum.

c) *Omittenda est*, si ex denuntiatione maiora mala vel scandala sint oritura aut desiderentur sufficientia indicia. Accepta illa denuntiatione, valet Superior tum cavere incolumitati alterius innocentis et Instituti, tum etiam, si annuat deferens, delinquentem domestica afficere reprehensione et poena disciplinari [2]. Reprehensione, inquam, et poena quae gravem non inferant infamiam. Uni enim iudici stricte tali licet posthabere alterius famam ad vindictam sumendam. Itaque, occultum delictum non poterit publice correptione et paenitentia multare, nisit absit notabilis infamiae periculum. Cfr. C. de Lugo, d. 37, n. 164.

Hactenus dicta eruuntur ex iusta caritatis ratione, qua haec materia regitur.

---

[1] Cfr. C. de Lugo, d. 38, n. 14.

[2] Hanc rationem non egreditur per se etiam privatio communionis.

Quid de praecipiendi ratione quasi publica?

N. B. Est quoddam genus praeceptorum quod speciem praefert edicti publici, quo superior praecipit ut satisfactio fiat ab eo, ignoto, qui in aliqua re deliquerit, ut manifestetur reus, etc. Haec quidem per se tenent, et dominativa potestate fieri possunt. Sine causa tamen comparate gravi, non videtur hac ratione imperandi utendum, si agatur de praecepto stricto, praesertim si *iurisdictionis* potestate adiciatur comminatio poenae ipso facto incurrendae. Cfr. C. de Lugo, op. cit. d. 38, n. 32. Accessio enim poenae quae ipso facto committatur videtur pertinere ad censuram vel poenam proprie talem, ita ut indici nequeat nisi ex iurisdictione.

Superior tamquam Pater cognoscit et corrigit mores subditorum;

431. II. Ut **Patris officio** defungitur Superior. 1. Sollicitam gerit curam de singulari subditorum utilitate. Quare uniuscuiusque cognoscit, etiam interrogando, conversationem religiosam, reprehendit et corrigit, omnia tamen ordinando ad ipsum delinquentis bonum. Unde ea poena omni [1] et sola multare potest quae ad delinquentis conducit emendationem.

Excipit quae de iis deferuntur;

2. Ad ipsum deferuntur delicta subditorum, observato tamen hic ordine correctionis fraternae, nisi subditus hoc cesserit iure, vel, ut facile contingit in Superiore regulari, ad ad ipsum delinquentis bonum praestet Superiorem prudentem et discretum directe monere.

Observes non posse *per se* Superiorem uti scientia hausta ex paterna denuntiatione ad correctionem iudicialem vel quasi talem, nisi annuat deferens, vel ob bonum commune canonica *denuntiatio* vel iudicialis praecipi possit. Cfr. C. de Lugo, Op. cit., d. 37, n. 82-87.

Subditos spiritualiter informat.

3. Peculiaris condicio religiosorum, quo melius obtineretur spirituale singulorum bonum, id effecit ut Superiori tamquam patri committeretur spiritualis informatio subditi secundum probatas Constitutiones. Huc spectat licentia *accedendi ad sacram synaxim* et *usus rationis conscientiae*. Verum, post Decr. *Quemadmodum*, 17 dec. 1890, spiritualis haec cura erepta est Superioribus Institutorum non clericalium. De his et de ratione conscientiae, cfr. infra, parte 7.

III. De Praelatorum Administratione temporali

Suarez, De Religione, tr. 8, l. 2, c. 26-28; *Molina, De Contractibus*, d. 464-468; *C. de Lugo, De Iustitia et Iure*, d. 3, n. 138-188; *Pellizarius, Manuale*, tr. 9, c. 5, n. 16-19; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 3, d. 11. 13. 14; *Rotarius, Theol. mor. regul.*, t. 3, l. 3, c. 1, punct. 5; *C. Petra*, in C. 5 Pauli II (Extrav. *Ambitiosae*) t. 5, p. 208 sqq.; *Bouix, De Iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 4, p. 269-307; *Ballerini-*

[1] Etiam excommunicatione (si polleat iurisdictione), monet C. de Lugo, op. cit. d. 37, n. 85.

Palmieri, Opus theologicum, t. 7, tr. 11, n. 478; *Piat. Praelectiones*, etc. t. 1, p. 602-604; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc. I. p. 324-345; *Wernz, Ius Decret.*, t. 3. tit. 5 et tit. 24, n. 693.

Subiectum dominii;

432. 1. Bonorum *dominium*, si excipias peculiare Fratrum Minorum regimen, est ex iure communi penes communitatem religiosam [1]; et quidem ita ut singulae domus quae sui sunt iuris immediate possideant bona ipsorum utilitati deputata.

Administrationis.

2. Administratio vero est penes Praelatum, vel solum vel cum Capitulo, pro variis Constitutionibus et actuum momento. Hi porro ut boni *patres familias* res gerere debent.

Prudens gestionis ratio.

Administrationis autem haec erit prudens ratio, si, modo a Constitutionibus definito et continendo se in finibus iure communi praestitutis, eos fecerint contractus, eos sumptus necessarios vel utiles, quos communitas, si per se sua administraret, rationabiliter haberet ratos. C. de Lugo. l. c. n. 185.

Sumptus exigendi ad Instituti rationem.

433. Obligatio paupertatis. Ipsa religiosa communitas, ut locupletes quasdam omittamus — si adhuc supersint — Abbatias, tota quanta profitetur paupertatem. Quare, ne ad pios quidem fines, licebit Praelato eos facere sumptus, qui, pro Instituti fine et cultu, hanc dedecent professionem. Contra faciens Praelatus ipsum videtur laedere paupertatis votum.

Negatio superfluorum.

434. Modus suos tractandi. 1. Illaeso eodem paupertatis voto, Praelatus nequit subditis plane superflua concedere.

Opportuna liberalitas.

2. Sed intra fines professionis religiosae, praestat Superiorem, in iis quae ad victum, vestitum spectant, animo inclinare in liberalitatem. Quod fovet concordiam, pacem et ipsam regularem disciplinam. Cfr. dicta a C. de Lugo, l. c. n. 188.

Faciendae eleemosynae.

435. Eleemosynas Praelatus facere debet, non tantum ex superfluis bonis, sed etiam ex necessariis, quantum postulant cum levandae necessitates, tum ratio dandae aedificationis et boni exempli. C. de Lugo, op. cit. n. 186.

Alienationis generale vetitum.

436. Alienatio bonorum ecclesiasticorum requirit semper *iustam causam*, qualis est necessitas, utilitas, pietas. Prohibita vero est, post *Extrav. comm.* Ambitiosae, un., *De rebus eccles. non alienandis* (III, 4), *bonorum immobilium et mobilium pretiosorum* alienatio, nisi ob necessitatem vel evidentem ecclesiae (monasterii etc.) utilitatem, et servatis sollemnitatibus quarum praecipua est *beneplacitum apostolicum*. Quod, quamvis aliquandiu parum sit observatum, hodie tamen ita est C. *Apostolicae Sedis* confirmatum, ut pristinae consuetudines sint omni destitutae vi atque efficacia. C. S. Officii, 22 dec. 1880.

[1] Quid in Belgio et Hollandia, quod ad immobilia quae a privatis personis, religiosis plerumque, civiliter tenentur, cfr. Supplementum VI alterius tomi, *De Paupertate*. Cfr. etiam PERIODICA, tom. 1, p. 77 et 117.

Quam sanctionem ut paucis declaremus :

Alienationis notio,

1. *Alienationis* nomine venit omnis actus quo alicuius rei dominium vel transfertur ad alterum vel, concesso iure in re, deminuitur. Est ergo venditio, donatio, permutatio, per se transactio [1], pigneratio, hypothecae vel servitutis passivae admissio, census realis constitutio, activae servitutis remissio. His additur locatio in tempus diuturnum, qualis existimatur locatio ultra *triennium fructiferum*. (Quare, si quae bona non in singulos annos sed in binos sint frugifera, in sexennium locari possunt.)

Exempla.

Quid, si acquirere neglegas ?

Contra, non alienat « qui occasione acquirendi non utitur [2] », nec proin qui non acceptat donationem mere oblatam, legatum ad quod nondum ipsi erat ius ; qui non utitur exceptione qua ius aliquod acquireretur vel rediret ad Ecclesiam, nec qui hanc facit transactionem qua minus acquirit nullo autem iure deminuitur. C. d'Annibale, *Summula*, III, 80.

Si mutuam accipias pecuniam ;

Pecuniam mutuam qui acceperit non videtur alienasse. C. d'Annibale, eodem, ex l. 3. C. *Quando ex facto tutoris* (l. v, t. 39). Nec species mutatur si solvendum sit modicum fenus [3].

Empta obliges praedia ;

Similiter alienare non videtur sed minus perfecte acquirere qui praedia vel aedes simul emit et obligat solvendo aere alieno quod ad numerandam pretii pecuniam fuerit contractum. Confirmatur dictis a Del Bene, *De Immunitate*, etc. c. 17, d. 8, n. 7-9 et a Leurenio, *Ius canon.*, l. 3, q. 151.

Si sinas vendentem uti iure suo retroemptionis ?

Nec alienatur domus dum ad eum redire sinitur qui ex pacto retrovenditionis ius habebat eam rursus emendi.

Quid si loces in novem annos cum facultate recedendi post tres annos ?

Locationis-conductionis satis solemus hanc frequentare rationem qua in novem annos ager vel domus concedantur utenda, ita tamen ut post tertium et sextum annum utraque pars a pactione recedere possit. Obligatio tunc re vera tertio finitur anno. Quare stipulatio ista sollemnitatibus alienationis rei immobilis obnoxia non videtur. Ita etiam Ferraris, v. *Alienatio*, art. 3, n. 10 ; Bouix, op. cit. t. 2, p. 292, 3 ; Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* tr. 11, c. 2, n. 478. Frustra repugnat Zitelli, nam prorsus sine argumento. Immerito autem appellat Garzia, *De beneficiis* p. 2, c. 1. Is enim agit de contractu in fraudem legis, quo locatio in novem annos verbo tenus dicebatur tot constare locationibus quot essent triennia, vel promissio fiebat iterum iisdem legibus post tertium annum paciscendi. Sic etiam Molina, *De contractibus*, q. 446, n. 11.

Notio rerum immobilium.

2. *Immobilia*, praeter praedia et aedes, sunt etiam ea quae fundo cohaerent, ut arbores frugiferae, vel eius utilitati sunt stabiliter addicta, ut possunt esse iumenta et armenta. Cfr. Molina, d. 465, n. 4.

---

1 C. de Lugo, l. c. n. 187.

2 L. 28, D. *De Verborum Significatione* (L, 16).

3 Plures quidem scriptores severius postulant hic beneplacitum apostolicum. De qua re cfr. Supplementum IX alterius tomi.

Facultas Episcopi de « terrulis. »

Fas est *Episcopis*, ex c. Terrulas, 53, C. XII, q. 2, quod vigere declaravit S. C. 14 dec. 1613, sine beneplacito apostolico alienare praedia separata, non autem partem maioris praedii, *exigui valoris*. Bouix, p. 290, ex Fagnani.

Quid exiguus valor ?

Quaenam sint *exigui valoris*, C. de Luca [1] autumat « pro ecclesiarum et locorum ipsorumque bonorum qualitate decidendum, cum attenta qualitate unius loci vel ecclesiae respective, praedium valoris scutorum 50 reputetur magnum et considerabile, attenta vero qualitate alterius loci vel ecclesiae dicatur minimum et contemptibile, quamvis esset valoris scutorum 100. » Usus tamen curiae romanae est valorem istum definire ad 25 aureos de Camera [2]. Quam summam graves scriptores existimant, ob mutatum pecuniae valorem, saltem ad 500 libellas aestimari posse [3].

Quid de Praelatis regularibus?

Sed *Praelati regulares* opus habent privilegio ut hac Episcoporum facultate uti valeant. Sin minus, debebunt et ipsi adire ad Episcopum vel ad S. Sedem. Ita ex decl. S. C. C. in causa Conversana 8 maii 1751. Ferraris, *Alienatio* art. 4, n. 49. Cfr. etiam MONITORE, XII, p. 273.

Episcopis [4] quandoque indulgetur facultas, « ut, dummodo ob temporis angustiam aliamve rationabilem causam recurri nequeat ad Apostolicam Sedem, constitoque in singulis casibus de evidenti utilitate vel necessitate,... alienationes pro suo arbitrio et prudentia gratis permittere » possint et valeant.

Quae res immobiles alienari possint.

Lege de non alienandis rebus immobilibus non continentur bona immobilia legata cum clausula diserte permittente alienationem, aut donata Instituto quod immobilia possidere vetatur.

Quid mobile pretiosum ?

3. *Mobile pretiosum* est grex, copiosa bibliotheca, vel simul collectae res alicuius pretii (*collections*), non tamen singula corpora non pretiosa ; et quicquid denique *servando servari potest*, valorem autem habet non exiguum, secundum modo traditam aestimationem [5].

---

[1] *De alienationibus*, Disc. I, n. 117.

[2] *Scuta* de quibus agit De Luca puto intellegenda esse romana, quae idem circiter valent singula quod 5 libellae. Aurei vero 25, a C. d'Annibale III, 77 nota 6, aestimantur ad 235 libellas, a Bouix vero, p. 291, ad 267.

[3] Ita iam Bouix, p. 291. Battandier autem, op. cit. p. 213, ad 1000 libellas profert rationem modici valoris. Quod si sumas 750, non repugnabit Wernz, n. 165.

[4] R. D. Battandier, l. c. affirmat idem, ad 10 000 libellas, permissum esse aliquot mulierum Congregationibus. Verum diplomata quae affert potestatem tantum faciunt contrahendi hanc copiam aeris alieni.

[5] Permittit etiam C. d'Annibale III, 79, ut Praelati vendant veterem supellectilem ad comparandam novam aeque pretiosam ; vel res quae plus incommodi quam commodi afferunt, utputa domum ruinosam. Hoc tamen improbatur a Wernz n. 165, nota 160.

Observes etiam plures esse qui dicant notionem *exigui valoris* terrulae non convenire cum notione valoris *non pretiosae* rei mobilis ; et rem quidem hodie non aestimari pretiosam nisi 1000 aequet libellas, dum terra quae plus quam 500 libellis aestimetur, iam non sit exigui valoris.

Pretiosae etiam sunt, quamvis alio titulo, *reliquiae* non parvae. Nequeunt itaque alienari [1] poenae tamen ab alienantibus committi non videntur. Bucceroni, *Theol. mor.* II, p. 368.

Sanctio excommunicationis.

4. Porro *alienantes* bona ista *sine beneplacito apostolico*, eademque *recipere praesumentes* plectuntur excommunicatione latae sententiae nemini reservata. C. *Apostolicae Sedis.*

Poena ista afficit cum eos *alienantes* quibus administratio rerum ecclesiasticarum est commissa, idque a momento ubi alienatio est absolute perfecta, tum qui ea recipere *praesumant*. Hi ergo qualibet ignorantia excusantur a poena.

Quinam hanc poenam effugiunt?

Poenam effugiunt ii qui secundaria tantum ratione cooperantur; immo alienantes Episcopi et Abbates, cum hi superiore iam iure plectantur interdicto ab ingressu Ecclesiae. Lehmkuhl, II, p. 364, Ballerini-Palmieri, l. c., Bucceroni, *Theol. mor.* II, p. 364. Wernz tamen, n. 170, posteriorem hanc exceptionem iudicat improbabilem.

Peccato et poena immunes sunt qui, *urgente necessitate*, ne transiret opportuna occasio, consuluere bono Ecclesiae, non exspectato beneplacito. C. d'Annibale, *Summula* III, n. 79. Similiter qui lege coacti sunt suo cedere dominio ipsa necessitate excusantur.

Nec constat excommunicationem committi cum res comparatur ab alio eiusdem ordinis monasterio; ita benigna quorundam opinio, cui tamen S. Congregatio astipulari noluit. Cfr. C. Petra, t. 4, in C. 6 Benedicti XII, n. 33 sqq.; C. d'Annibale, III, n. 79.

Sanctio nullitatis.

5. Praeter hanc poenam, alienationes istae sunt *pleno iure irritae*, saltem quae sine iusta causa sint factae. Nam quae factae sunt ex iusta causa et sine ecclesiae detrimento a multis scriptoribus dicuntur valere in foro interno.

Servanda forma.

6. Ipsis locationibus et alienationibus faciendis praestitutus est canonicus ritus qui apud nos vix servari potest [2]. Quare satis erit, ni fallimur, si bona, quantum fieri potest, auctione publica vendantur. Immo S. Congregatio, cum facit facultatem alienandi, postulat tantum ut iustum pretium obtineatur.

De alienatione nominum.

437. Quaeres quid **de nominibus** de quibus fiunt tractatus in « *Bursis* » *(Titres, fonds publics)*.

Per se sunt mobilia pretiosa; plerumque tamen non singula [3] sed quatenus ex his concrescit sors frugifera. Verum ea sunt condicione, ut eorum venditio, commutatio, pertineat ad prudentem patrimonii administrationem. Hac non existimantur prohiberi praelati vel administratores rerum ecclesiasticarum. Quare alienationes istas putamus liberas condicione beneplaciti apostolici [4], modo ne fiat prohibita negotiatio

---

[1] Cfr. C. Petra, t. 5, in C. 5 Pauli II, s. 2, n. 5.

[2] Videsis C. d'Annib. III, n. 81.

[3] Solent enim haerere infra 500 libellas.

[4] Bouix, l. c. p. 293, afferens etiam C. De Luca, liberam permittit alienationem, quia non essent mobilia pretiosa. Ita etiam Bucceroni, l. c.

neve sterilis absumptio eorum quae reditibus afferendis erant stabiliter deputata.

Severius tamen sonat resolutio S. Congr. Consilii 17 febr. 1906.) De qua resolutione cfr. scripta in PERIODICIS, t. 2, pp. 73 et 89.

Munerum largitio.

438. Munerum largitio quaenam interdicatur Praelatis, vidimus supra, n. **282**.

Collocatio pecuniae quomodo facienda?

439. Collocatio pecuniae non quolibet modo permittitur Praelatis. Servari enim potest pecunia non quidem in se sed conversa in rem stabilem vel adeo frugiferam, et sic certa eius copia ad res mobiles pretiosas referri potest quas alienare nefas est. Cfr. Wernz, n. 153. Quare, ut paucis complectamur quae iam ex principiis de vetita alienatione colligi queunt et confirmantur responsis Congregationum vel doctrina scriptorum :

1. Summa *obtenta ex alienatione* alicuius boni ita est collocanda ut non detrahatur nec de bonis nec de reditibus Instituti.

Hinc, vendita re *frugifera*, obtentae pecuniae servanda est ratio *vivi* seu *capitalis*. Conversio tamen in *aedes habitandas* videtur tolerari posse, si iis indigeant religiosi, cum sic parcant pretio conductionis alterius domus. Cfr. Pellizarium, *De Monialibus*, c. 3, n. 64. Quae licet comparare, licebit etiam reparare si vetusta ; non tamen permittitur insumere pretium rei frugiferae in exstinguendum aes alienum [1].

Immo negant scriptores posse tali pretio meliorari praedia : id ipsis videtur nimis labile atque incertum.

Vendita parte bibliothecae, vel sacra supellectili, pecunia insumenda praecipitur in bibliothecae vel ecclesiae utilitatem.

2. Pecuniae deputatae explendis perpetuis vel diuturnis Missarum legatis, vel alendae moniali i. e. dotes monialium, collocandae sunt secura et fructuosa ratione et per se, quantum tuto fieri potest, in fundis immobilibus. Cfr. C. Gennari, *Consultazioni*, p. 304 ; Lucidi, *De visitatione*, II, c. 5, n. 191-196. Mitius olim de dotibus respondebat Pellizarius, *De Monialibus*, c. 3, n. 61.

3. Libere, i. e. utiliter vel pie, expendi possunt reditus bonorum et pecuniae vel res quaelibet in liberos usus legatae vel donatae.

---

[1] Cfr. Pellizarium, *Manuale*, tr. 6, c. 8, n. 44. 45, qui tamen n. 43 exstinctionem census habet pro collocatione frugifera.

IV. De obligationibus Praelatorum regularium

Pellizarius, Manuale, tr. 9, c. 4-7 ; *Biederlack, De iure regularium*, n. 123. *Piat, Praelectiones*, etc., 1, 593-613 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 80-104 ; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, n. 694.

Agimus hic non de generali muneris exsecutione, sed de obligationibus peculiaribus.

440. 1. De generali hic non agimus obligatione, quae est in munere ita obeundo ut procuretur bonum Instituti et subditorum : bonum, inquam, istud quae ipsius congregationis est ratio. Quo officio Superior tenetur ex *religione*. Licet enim tacita promissio, quae suscepto munere continetur, per se ad iustitiae virtutem referatur, huius tamen in hac causa partes videtur explere altior virtus *religionis*, cuius impulsu omnia paene reguntur quae ad religiosam attinent conversationem.

2. Verum nonnullas hic brevi indicamus *obligationes peculiares*, quae ex universali officii ratione non eruuntur sed specialibus sanctionibus [1] sunt impositae.

Quibusnam imponatur professio Praelatis ;

441. Professio fidei. 1. C. *Iniunctum nobis* Pii IV videntur ipsi Praelati astringi emittenda fidei professione. Sed non constat Bullam istam esse usu receptam quod ad Praelatos regulares qui a Capitulo vel propriis Superioribus, non autem a S. Sede instituuntur. Cfr. Giraldi, *Expositio iuris pontif.* pars 2, s. 136, p. 1011, qui appellat Thesaurum, *De Poenis*, II, v. *Fidei professio ;* et Piat, 1, p. 593.

Lectoribus ?

2. Eandem autem personaliter facere debent, *antequam docere incipiant*, *Lectores* seu quilibet magistri, ex C. *In Sacrosancta* eiusdem Pontificis. Rursus consuetudo fere ubique vim eius legis temperavit, non ita tamen ut ea eximantur lectores disciplinarum sacrarum, in quibus referenda est philosophia quae ad theologiam viam parat.

Sanctio huius legis.

Praelati ad quos spectat lectores instituere, nisi curent ut haec professio fidei emittatur, incurrunt in privationem officiorum et dignitatum et inhabilitatem ad ea et alia in posterum assequenda [2] ; *Lectores* vero illam omittentes suo privantur officio vel cathedra.

Obligatio litandi pro ovibus.

442. Sacrificium interdum pro ovibus suis **offerre**, praecepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est. Ita, C. Trid. s. 23, c. 1, *De Ref.* Quare haec est etiam obligatio Praelatorum regularium.

---

[1] Quare de fovendis scientiis praesertim sacris et de coniuncta cura Bibliothecae, nihil hic dicemus. Quamvis enim utrumque studium per se ad debitam Praelati procurationem maxime pertineat, iure tamen positivo communi nihil, praeter pauca quae passim sunt tradita, reperimus definitum. Quas enim leges affert R. P. Piat, 1, 604, solos respiciunt Fratres Minores.

[2] C. *In Sacrosancta*. Excommunicatio autem l. s., quae eadem indicebatur Constitutione, sublata est C. *Apostolicae Sedis*.

Visitatio domus.

443. De visitatione domorum. Superiores Ordinum qui sunt exempti iubentur ab ipso C. Trid. s. 25, c. 20, *De Regul.*, monasteria et domus sibi subdita diligentur *per se* vel *per delegatos* visitare. Quotiens peragenda sit visitatio, silente iure communi, ex Ordinis Constitutionibus est colligendum.

De legendis decretis.

444. De legendis Decretis. 1. Variis Constitutionibus vel Decretis praecipitur Superioribus regularibus ut curent, statis diebus, in capitulis vel in publica mensa varia legi decreta. Idque iubetur sub variis poenis quae gravem demonstrant obligationem. Dilatio tamen non notabilis absolvitur gravi peccato, immo omni, si iusta causa.

Obligatio.

Poenae istae committuntur ab iis Praelatis quibus haec cura praecipitur. Hi autem sunt Praelati *locales*, non autem maiores.

Decreta legenda.

2. Sunt autem ista *decreta legenda :*

a) Mense *ianuario*, 1ª die, decretum *Romani Pontifices* 25 ian. 1848, de testimonialibus litteris, legendum in publica mensa.

b) *Eodem mense*, decret. de *largitione munerum* etc. ad formam decreti *Nuper a Congregatione* (n. **282**) : in aliqua publica Congregatione vel saltem in publica mensa.

c) Mense *martio*, decreta ad *S. Officium pertinentia :* in publica mensa vel alias in capitulo ad hoc specialiter convocato. Exhibentur decreto Urbani VIII, 14 aprilis (alias 15 dec.) 1633.

d) Mense *augusto*, feria VI post octavam Assumptionis, decr. S. Congregationis Inquisitionis 5 aug. 1745, a Benedicto XIV confirmatum, *contra sacerdotes ad turpia sollicitantes*, vel *Sacrificio Missae abutentes ad sortilegia :* in publica mensa vel in capitulo ad hoc specialiter convocato [1].

e) *Feria* VI *post octavam Corporis Christi* et *feria* II *post primam dominicam Adventus*, vel saltem per mensem immediate hos dies sequentem, decreta *de celebratione Missarum*, C. Innocentii XII et declarationes : in publica mensa.

f) *Bis in anno*, decreta *De Regularibus apostatis et eiectis*, et *De reformatione Regularium :* in mensa.

g) Ante *electionem*, Constitutiones de qualitate et requisitis eligendorum legendae sunt in capitulo vel congregatione. C. *Nullus omnino*, Clementis VIII, § 36.

h) Decretum *Sacra Tridentina*, diei 20 dec. 1905 de communione cotidiana, est quotannis in lingua vernacula legendum infra octavam Corporis Christi.

i) *In Italia et insulis adiacentibus* legenda praeterea sunt : α Decretum *Regulari disciplinae*, 25 ian. 1848, de *receptione noviciorum* ad habitum et ad professionem, idque in publica

[1] Id est in congregatione Religiosorum quae ad audienda ista decreta sit convocata. Alia tamen praeterea ibi tractare negotia non prohibentur. Pellizarius, *Manuale*, tr. 7, c. 6, n. 38.

mensa, bis in anno : die 1 ianuarii et dominica prima iulii ; β) Litt. encycl. Congr. super disciplina regulari, *De doctrina christiana* tradenda fratribus conversis, in publica mensa, bis in anno ; γ) Decretum eiusdem Congregationis *De promotione ad officia incompatibilia*, in singulis domibus, semel in anno.

Praeterea, litt. S. Congr. *Super Disciplina regul.* virtute sanctae oboedientiae praecipitur ut in calendario *Provinciarium Italiae et insularum adiacentium*, « sub mense et die ad hoc designatis annotentur decreta et Constitutiones quae erunt legenda. »

Quomodo legenda.

3. Ipsae legendae sunt Constitutiones, nisi malueris sumere *Compendium Apostolicarum Constitutionum et Decretorum* [1] quod 26 aug. 1826 est a S. Congr. Regularis disciplinae approbatum.

Quid de benigniore consuetudine?

4. Quamvis graviter urgeatur obligatio, tolli tamen potest diuturna consuetudine, praesertim cum hodie plura sint quorum minus opus est exigere observationem. Praeterea, sine dispendio religiosae disciplinae, recentiores Congregationes hoc levantur onere ; iamque novimus Ordinem proprie talem qui ex Constitutionibus non tenetur ad legenda alia decreta praeter decretum de testimonialibus litteris, ai 1848. Verum animo recolas subiecta verae consuetudinis non esse singula monasteria nisi condicione sua imitentur Abbatias quae sui sunt iuris. Quare, ut plerique Ordines sunt hodie constituti, saepe non erit attandenda nisi consuetudo communis alicuius Provinciae.

Poenae.

5. Contra Superiores huius lectionis incuriosos decreta ista [2] edicunt poenas quae recidunt fere in privationes vocis activae et passivae, vel officiorum et dignitatum cum inhabilitate ad ea obtinenda in futurum : quae poenae committuntur ipso facto vel adeo absque ulla declaratione. Has tamen non persequimur singillatim, quia probabili astipulamur sententiae eorum qui arbitrantur poenas istas non esse exsecutioni mandandas ante sententiam declaratoriam saltem criminis. Cfr. n. **426**, nota 2.

Faciendae commonitiones.

445. Faciendae commonitiones et testificationes. 1. Feria VI post octavam Assumptionis, debent Superiores, sive in mensa sive in congregatione seu capitulo, commonere subditos *de observandis decretis quae spectant ad S. Officium.* Sunt tamen qui potius ipsis imponant iteratam istorum decretorum lectionem. Cfr. Piat, *Praelect.*, etc., I, p. 598.

De decretis S. Officii.

---

[1] Videtur tertia parte brevius quam ipsae Constitutiones.

[2] Excipias decretum *Contra sollicitantes* et de *qualitate et requisitis eligendorum*, et, quod ad decreta legenda in partibus solius Italiae, litteras de *doctrina christiana* et de *officiis incompatibilibus*. Excipias etiam Decretum *Sacra Tridentina*.

De decreto contra sollicitantes, etc.

2. In quolibet generali vel provinciali capitulo debent commonere religiosos de his quae continentur decreto contra *sacerdotes ad turpia sollicitantes* vel *Sacrificio Missae abutentes ad sortilegia.*

Novo autem S. Officii decreto, diei 15 maii 1901, moniti sunt Superiores grave ipsis incumbere onus ut opportuniore quam putaverint ratione, ad certam et distinctam subditorum notitiam identidem leges deferant quibus prohibentur ipsi se in causas S. Officii intromittere, iubentur autem ipsi et subditi reos huiusmodi criminum vel suspectos ad S. Officium aut locorum ordinarios incunctanter deferre [1].

Testificationes de oneribus Missarum.

3. In provincialibus capitulis seu congregationibus, debent Superiores locales, antequam vocem activam seu passivam habere queant, subscriptam et iuratam ab omnibus Sacerdotibus suae Domus exhibere fidem, qua testentur oneribus Missarum perpetuis vel manualibus esse rite satisfactum, vel, si quid desit, posse infra breve tempus reliquis istis Missis, distincte referendis, satisfieri. C. *Nuper*, Innocentii XII.

4. Ipsi Provinciales, Vicarii seu Visitatores Provinciarum debent, in fine sui regiminis, Superiori generali demonstrare se, quod spectat ad decreta de celebratione Missarum, fecisse quantum erat ipsis in his decretis praeceptum. Sin minus, ad vocem activam et passivam in Capitulis generalibus non sunt admittendi. C. *Nuper.*

Summa decretorum de Missis.

446. De Missarum stipendiis et celebratione. Curare debent Praelati ut observentur decreta quae de hac re sunt lata, praesertim C. *Nuper*, Innocentii XII, decretum *Vigilanti studio*, 25 maii 1893, S. Congr. Concilii. Et decretum *Ut debita*, 11 maii 1904. Ut paucis [2] praecipua complectamur:

De Missis fundatis.

1. Onera *perpetua suscipi* nequeunt nisi ex licentia scripta Generalis vel Provincialis, quibus prius constare debet sacerdotes obligatae domus oneribus istis satisfacere posse.

2. Revocatis omnibus privilegiis contrariis, nequeunt Praelati vel Capitula, absque venia S. Sedis, onera *reducere* vel mutare, aut sinere ut numero minores celebrentur Missae quam data sunt stipendia etsi incongrua.

De Missis manualibus.

3. Eleemosynae *manuales* accipi vetantur, ultra eas quibus, intra debitum tempus, per se vel per subditos probabiliter satisfacere possint.

De celebratione per alium.

4. Certo loco, ex fundatione vel stipendia dantis voluntate, addictae missae in alium locum per se transferri nequeunt [3]. Aliae missae per se etiam extra dioecesim tradi possunt

---

[1] Cfr. t. 2, *De Religiosis*, n. **194**, p. 556.

[2] Haec omnia enucleatius proponuntur in PERIODICIS nostris, t. 1, p. 102 sqq. addita correctione t. 2, p. 100.

[3] Per se sunt Ordini servanda stipendia quae Regularibus sunt commissa. Cfr. *Monitore*, X, 1, p. 140.

dicendae, sacerdotibus tamen qui certe ac personaliter sint noti ut omni exceptione maiores. Abesse tamen debet omnis species turpis mercimonii. Quare, etiam secluso positivo offerentium assensu, missae studiose colligi nequeunt ad eas aliis non subditis tradendas. Ac nisi proprio Ordinario [1] vel S. Sedi missas commiseris, personalis tua obligatio non desinit antequam celebratarum missarum fidem obtinueris. Celebranti autem omne stipendium tradendum est, nulla retenta parte.

De stipendio.

5. Quod ad *vim stipendii,* debent Regulares observare indicationem synodalem.

De tabella et libris.

6. In loco magis patenti et obvio exponenda est tabella onerum perpetuorum et temporalium.

7. In sacrario habendus est liber unus vel duo, in quibus ex ordine describantur missae manuales cum sua eleemosyna, et satisfactio signetur tam onerum perpetuorum quam missarum manualium.

De pecunia servanda vel collocanda.

8. Acceptae manualium missarum eleemosynae loco tuto sunt reponendae; prudenter collocandae sunt quae implendis fundationibus deputantur.

De ratione reddenda, exigenda.

9. Ratio de istis obligationibus Praelatis reddenda est, et ab ipsis exigenda; et in provincialibus capitulis fides iurata de moraliter impletis in hac re obligationibus est a Superioribus localibus exhibenda.

Praecepta traditio in manus Ordinariorum.

10. Si qui ultra annum (civilem si missa erat dicenda ex fundatione, vel naturalem spatii 365 aut 366 dierum, si missa manualis) oneribus satisfacere distulerint, stipendia istarum missarum *propriis* tradere Ordinariis iubentur.

Immo tot Missae (excepta positiva offerentium stipendia voluntate) colligi nequeunt quibus intra annum satisfieri probabiliter nequeat.

Lectio S. Scripturae et casus conscientiae.

447. De lectione S. Scripturae et casibus conscientiae. In conventibus qui obnoxii sunt decretis Clementis VIII et Innocentii XII [2] curare debent Praelati ut bis in hebdomada habeatur vel lectio S. Scripturae vel conferentia de casibus conscientiae. Expedit ut una die fiat lectio, altera casus. In visitatione Generalis et Provincialis de his inquirere debent.

[1] Ordinarius qui Ordinario missas tradiderit, vel etiam simplex sacerdos qui ex positiva offerentium voluntate missas aliis commiserit dicendas, sunt etiam omni obligatione immunes ex quo missas prudenter transmiserint. Porro quinam hic sint Ordinarii, et quomodo inteliegi possint Superiores etiam Congregationum, cfr. PERIODICA, t. 1, p. 135.

[2] 12 mart. 1596, 19 mart. 1603, 18 iul. 1695. Inter Monumenta alterius tomi, n. **40, 43, 45**. Cfr. etiam Supplementum IV alterius tomi.

V. De Praelatis extraordinariis et Quasi-Praelatis seu Quasi-Superioribus

Pellizarius, Manuale, tr. 9, c. 4; *De Monialibus*, c. 10, n. 63-84; *Rotarius, Theol. mor. regul.* t. 3, l. 3, c. 2, punct. 4. 5; c. 3, p. 1; ***Bouix***, *De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 5, c. 1, p. 322-331; p. 6, s. 2, c. 3, p. 475-480; *Piat, Praelectiones*, etc. t. 1, p. 623-644; ***Angelus a SS. Corde***, *Manuale*, t. 2, p. 171-209.

Vicarius duplex. De eo qui supplet Praelatum deficientem.

448. De Vicario. 1. Ii qui, nomine *Vicarii, Vice-Provincialis, Vice-Rectoris*, in locum sufficiuntur Praelati officio suo defuncti, *ordinariam* eius cuius munus gerunt habent potestatem. Quare in ipsis inest facultas delegandi.

2. De Vicario, Ministro, etc. qui adest Praelato fungenti officio suo iam dictum est supra, n. **431**,2.

Visitator ordinarius, delegatus.

449. De Visitatore. 1. Necessitas visitandi domos regulares obvenit imprimis Generali, Provinciali et Superiori locali, qui proinde dicendi sunt *Visitatores ordinarii*. Possunt autem alium in locum suum deputare, qui erit Visitator *delegatus*. Is non ita potest aliis committere suas partes ut omnem suam deleget iurisdictionem.

Utriusque potestas.

2. Visitatoris *ordinarii* potestas ex munere, ex litteris *delegationis, delegati* potestas est diiudicanda. Et attendendae de cetero peculiares constitutiones.

Procuratoris generalis munus;

450. 1. **Generalis Procurator** constituitur ad negotia Ordinis (tum universi, tum Provinciarum, tum conventuum, tum singulorum) agenda apud S. Sedem. Per se ergo, ipsius opera religiosi uti debent ad adeundam S. Sedem atque impetranda indulta; ipsique dare solet S. Sedes litteras et decreta ad Provinciales.

Qualitas;

2. In multis Ordinibus non est merum officium, sed *dignitas*, cum coniunctam habeat fori externi iurisdictionem. Et in quibusdam, ut apud PP. Cappuccinos, quando Generalis abest a curia romana, omnis huius potestas Procuratori obtingit.

Apud alios, ut apud Carmelitas-Excalceatos, Eremitas S. Augustini et in Societate Iesu, nulla est iurisdictione instructus.

Residentia.

3. Romae residere debet. S. C. EE. et RR. 22 aug. 1814; Bizzarri, p. 47, n. III.

Quid Definitores, Assistentes?

451. 1. **Definitores** seu **Assistentes** illi sunt qui consilio adiuvant tum Generalem, tum Provinciales Ordinis regularis. Non habent, qua tales, iurisdictionem : unde munus ipsorum non est dignitas. In plerisque Ordinibus, Definitores saltem generales habent votum « *decivisum* » ; in Societate Iesu « *consultativum* » tantum.

2. Plerumque eodem temporis spatio finitur ipsorum munus quo munus illius cui consiliarii sunt additi eiusque sequuntur vices. *In quodnam tempus instituti?*

3. Porro ipsa officii ratio postulat ut Definitores generales resideant penes Generalem. *Eorum residentia.*

§ 3. *De Superioribus Monialium proprie talium*

Suarez, De Religione, tr. 7, l. 10, c. 11, n. 20; tr. 8, l. 2, c. 9, n. 10-15; tr. 9, l. 1, c. 12, n. 6-11; *Pellizarius, De Monialibus*, c. 10, s. 1 et 2; *Tamburini, De iure abbatissarum*, d. 32; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 5, c. 1, p. 322-331; p. 6, s. 1, c. 4, p. 452-463.

452. De Praelato cui subduntur Moniales. 1. Monasteria monialium alia sunt *exempta* alia *non exempta*. *Praelatus monasterii non exempti vel exempti.*

Posteriora haec ordinariae Episcopi *iurisdictioni* subduntur.

Priora vel subduntur *immediate S. Sedi* vel primo *Ordini Regulari*.

S. Sedes, nisi alium monasterio praefecerit Superiorem, censetur Episcopum dioecesanum delegasse ad generalem monialium visitationem, singulis perficiendam annis.

2. Quae subsunt Praelato regulari, ab hoc quotannis visitantur. Nihilo minus Episcopus cognoscit de observatione clausurae et ab administratoribus rationem de temporali administratione exigit. Nemo praeterea audire potest monialium confessiones nisi approbatus ab Episcopo. Cfr. infra, parte 7, c. 3. *Iura Episcopi in omnia monasteria.*

453. De ipsa Abbatissa. 1. Abbatissa caret *iurisdictione* ecclesiastica [1], sed habet potestatem *dominativam* qua *per se* omnia facere potest quae Superiori competunt ut est caput domus et pater suorum religiosorum. *Potestatis Abbatissae natura.*

2. Potest itaque *praecipere*, etiam sub peccato, et *poenas* domesticas imponere, opportunas concedere *licentias*, aperire et legere *litteras* subditarum [2], quantum refert ad disciplinam regularem tutandam, non autem ad cognoscendas res secreto obtegendas. Potest praeterea irritare monialium *vota*, indicere certas *preces* recitandas pro benefactoribus, *hortari* moniales in capitulo, iisque tamquam mater privatim *benedicere*. In legibus Ecclesiae vel regulis proprie *dispensare* nequit; sed eius iudicio stare per se possunt moniales, si tamquam prudens *Actus: Praecepta, Licentiae, Litterae, Vota, Preces. Domesticae adhortationes. Benedictio. Dispensatio.*

[1] Tamquam parum utilem omittimus quaestionem utrum necne abbatissa a S. Pontifice iurisdictionem delegatam accipere possit. De qua re, cfr. Pellizarium, l. c. n. 117-122, et Santi-Leitner, t. 1, p. 383, 384.

[2] Ita in recentiorum Institutorum constitutionibus statui consuevit, ut litterae omnes tradantur Superiorissae cuius prudenti discretioni permittitur litteras, praeter paucas quae constitutionibus excipiuntur, legere, ita tamen ut quae legerit sciat secreto esse tegenda.

persona declaret ipsas ieiunio vel simili obligatione immunes. Immo sunt qui tribuant Superiorissae facultatem dispensandi, non « *auctoritative* » sed « *ministerialiter* » [1] ex commissione Praelati : quod est condicionem ponere, qua posita, Praelatus dispenset [2]. Sicut enim, per Superiorissam vel personam prudentem de alicuius monialis debilitate certior factus, possit hanc absentem dispensare, ita videtur etiam Praelatus posse in antecessum declarare : « Quas videris viribus infirmas nomine meo pronunties dispensatas. » Praelatus tamen qui in lege Superioris dispensat, casus satis definire debet, ut ipsi de impertienda dispensatione existimetur iudicasse. Non possit in universum dicere : « Quas iudicaveris ob aliquam causam dispensandas, ego dispenso. »

Quid de ratione conscientiae.

Post decretum *Quemadmodum*, non potest iam Abbatissa *exigere* vel *suadere* rationem conscientiae sibi reddendam, nec communiones ordinare. Sed cfr. infra, parte 7, c. 7.

De temporali administratione.

3. Quod ad *temporalem administrationem*, per se est penes Abbatissam eo quem diximus modo. Sed non raro committitur administratoribus exteris, a quibus Episcopus exposcit rationem.

§ 4. *De Superioribus Congregationum virorum*

***Bouix**, De iure regularium*, t. 2, p. 5, appendix 1, p. 371-385 ; ***Craisson**. Des Communautés à vœux simples*, c. 4 sqq. ; ***Santi-Leitner**, Praelectiones iur. canon.*, l. 3. t. 36, n. 9.

Exemptio plena, minus plena.

454. I. **De Congregationibus exemptis.** 1. Observandum prius est exemptionis privilegium alicui Instituto *ex parte* concedi posse, seu quod ad quasdam definitas causas.

Huius interpretatio.

De vi talis gratiae adeundum est ipsum Indultum, in cuius declaratione stricto utendum est interpretationis genere, ita ut, nisi universalioribus verbis sit concessa, generalis exemptio *a iurisdictione* non inferat immunitatem *a visitatione* [3]. Hodie tamen, post latam C. *Conditae a Christo*, Congregationes religiosae vel erunt plene exemptae vel participabunt imperfectam exemptionem quae ius commune evasit Congregationum pontificii iuris, ita ut vix alia in hac re utendum putemus distinctione.

---

[1] Ita S. Alphonsus, l. 4 (5), n. 53 ; Ferraris, v. *Abbatissa*, n. 67, et ipsae *Normae* de recentioribus Institutis, art. 316, contra Pellizarium, l. c. n. 133 et Bouix, p. 459.

[2] Cfr. similem explicationem Suarezii, *De Religione*, tr. 8, l. 2, c. 9, n. 14. 15.

[3] Barbosa, *De offic. et potestate Episcopi*, alleg. 74, n. 6 ex Rota ; Fagnani, in c. Ex parte, 18, *De privilegiis* (v, 33), n. 30.

De plene exemptis agimus Institutis.

Porro, in praesentia, de iis agimus Institutis quae plenam exemptionem nacta sunt.

Horum exemptio personalis ;

2. Superiores istarum Congregationum pollent *etiam iurisdictione*. Quare, quod ad personarum exemptionem quam diximus *passivam*, simili sunt loco quo Praelati regulares. Quae vero alia privilegia Regularibus sunt concessa, ipsis non prosunt nisi speciali fruantur Indulto.

Localis.

3. Quod *ad localem* exemptionem, ab Episcopi visitatione *domus* quidem est immunis, non autem *ecclesia*. Hanc a Conc. Trid. s. 7, c. 8 delegata potestate Episcopus visitare potest. Ita, ex decl. Gregorii XVI, in causa Pinaroliensi, de Oblatis B. M. V. [1] Cuius rei haec est causa, quod sodales Congregationis non sunt Regulares, Ordinario autem tribuitur ius visitandi saeculares ecclesias quomodolibet exemptas [2].

Quid de ordinationibus ;

4. Quod ad *ordinationes* suorum, cfr. infra, parte 7, c. 4.

De obligationibus ?

5. Quod *ad obligationes*, communi fidelium iure, vel, pro sua condicione, clericorum [3], et propriis constitutionibus, si quae de Congregationibus diserte sunt statuta, omnia definienda sunt.

Nominatim de alienatione bonorum, de legendis decretis ;

Cum bona Congregationum sint ecclesiastica, sine S. Sedis beneplacito alienari nequeunt [4].

Speciales Regularium obligationes non participant. Quare, v. gr. praeter decreta de testimonialibus litteris, et de cotidiana communione, de aliis *decretis legendis per se* non debent esse solliciti ; — per se non debent interesse *processionibus*. Haec est enim obligatio Regularium et clericorum qui exerceant officium vel beneficium. Cfr. S. Cong. in Pinaroliensi, ad 1, apud Bazzarri. *Collectanea*, p. 475. 478.

De processionibus ?

De Missarum oneribus.

Quod ad *Missarum onera*, communi clericorum utuntur iure ideoque decretis *Vigilanti studio* et *Ut debita* tenentur sicut omnia Instituta clericorum, etiam non exempta, non autem C. *Nuper* nisi eodem modo ac sacerdotes vel clerici saeculares. Iis applicari debent pleraeque regulae quas dedimus n. **446**, habita ratione, pro variis legum articulis, diversi sensus vocum *Ordinarius. Praelatus regularis,* quae passim recurrunt v. g. *Ut debita* nn. 1, 4, 5, 6, 7. *Per se* nempe *Ordinarius* Regularium et exemptorum est eorum Superior saltem provincialis aut Abbas Monasterii sui iuris. *Praelatus* est qui Ordinibus vel Institutis exemptis praefectus ecclesiastica

[1] Bizzarri, *Collectanea*, p. 479.

[2] Fagnani in c. Grave, 19, *De Officio Ordinarii* (1, 31), n. 11 ; C. Melchers, *De canonica visitatione*, p. 15, n. 15.

[3] Eos per se intellegas clericos qui nullo beneficio vel officio artius obligentur Episcopo.

[4] Episcopi tamen videntur in eorum gratiam uti posse facultate delegata alienandi bona ecclesiastica, si quam obtinuerunt. Resp. S. C. de Prop. Fide 15 ian. 1903. Inter Monumenta alterius tomi n. 201.

pollet iurisdictione. Iuxta decr. *Ut debita*, ubi agitur de quaerendis et accipiendis missis a Praelato (art. 1) et de fide celebrationis non exigenda in casu quo Ordinarius Ordinario transmissit missas, videtur latius sumi posse utraque vox, ita nempe ut Superiores Instituti non exempti comprehendat. Ubi autem quaestio est de missis quae in fine anni tradendae sunt Ordinariis propriis, vox stricte sumi debet, ita ut alumni Congregationis religiosae non plene exemptae easdem Ordinario loci tradere debeant. Cfr. PERIODICA t. 1, pp. 106, 115, 135. Item, Episcopus loci est eorum Ordinarius quod ad acceptanda onera perpetua (C *Nuper*); quod ad rationes reddendas et exigendas cfr. PERIODICA, p. 111.

Superioris non exempti iurisdictio.

455. II. **De Congregationibus non exemptis.** 1. Nulla potitur Congregationis non exemptae Superior *ordinaria* in suos *iurisdictione*, quam tamen, si fuerit clericus, *delegatam*, etiam ab Episcopo, accipere potest. Per se ergo et Episcopus et ipse parochus ea servant iura quae possident adversus fideles in universum.

Potestas dominativa.

2. Verum omnia per se potest Superior quae Praelatus regularis vi potestatis *dominativae et quasi-domesticae*. De hac cfr. exempla n. **430**. **431**. **453**,2.

Si tamen Congregatio sit laicalis, obnoxia est decreto *Quemadmodum*, quod ad communiones et rationem conscientiae. Idemque decretum, in vernaculam linguam versum, est constitutionibus inserendum et semel in anno legendum, sive in publica mensa, sive in capitulo ad hoc specialiter convocato.

Nullus Congregationis alumnus ordinari potest nisi ex voto Superioris. Quod ius, iam constitutum in monachis a Conc. Carthaginiensibus saec. VI confirmatur C. *Conditae a Christo* c. 2, n. VI. Nisi tamen impetrarint titulum privilegiatum, ordinandi sunt alumni aliquo ex titulis quibus utitur clerus saecularis.

Ex usu, munus quasi-parochi.

3. Iam monet Bouix, t. 2, p. 349, usum invaluisse ut Superiores communitatis clericalis fungerentur munere quasi-parochi, suisque conferrent sacramenta parochis reservata. Quod de iure funerandi etiam vult intellegendum.

Longe severior sententia propugnatur apud ANALECTA IUR. PONT. ser. 8, c. 1760.

Administratio temporalis.

4. In *temporali bonorum administratione*, Superior Episcopo non subditur. Quare redeunt huc dicta de Regularibus, n. **432** sqq.

Obligationes.

5. *De obligationibus*, cfr. modo dicta de Congregationibus exemptis.

De Quasi-Superioribus.

N. B. Non est cur dicamus de *Quasi-Superioribus* Congregationum, cum simili sint loco atque in Ordinibus proprie dictis. Numquam tamen Procurator generalis erit Praelatus.

2. De triennali ratione quae S. Sedi est reddenda exstat recens Instructio S. C. Ep. et Reg. Cfr. PERIODICA, t. 2, p. 129.

§ 5. *De Superioribus Congregationum mulierum*

***Bouix**, De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 4, c. 3, p. 278-281 ; s. 6, p. 339-349 ; s. 7, appendix 2, p. 386-400 ; ***Lucidi**, De visitatione*, t. 2, c. 5, art. 4-7 ; ***Craisson**, Des communautés à vœux simples*, c. 4 sqq. ; ***Santi-Leitner**, Praelectiones iur. canon.*, l. 3, t. 36, n. 8 ; ***Battandier**, Guide canonique*, p. 2, c. 2-5.

Regimen undenam eruendum ?

456. Ratio generalis. 1. Regimen harum Congregationum ex propriis constitutionibus approbatis et legitimis consuetudinibus imprimis est eruendum ; dein ex C. Benedicti XIV, *Quamvis iusto*, 30 april. 1749, et C. Leonis XIII, *Conditae a Christo*.

Quibusnam utantur Superioribus ?

2. Cum variae istorum Institutorum domus inter se coniungantur, admittitur, praeter Superiorissam localem, *Moderatrix Generalis*, *Assistentibus* stipata. Sunt etiam *Superiorissae Provinciales*, si divisio in Provincias est a S. Sede admissa.

De Institutis coniunctis congregationi virorum.

3. Quando ista Instituta complectuntur, sub iisdem constitutionibus, viros et sorores, 1[i] et 2[i] Ordinis instar, subdi supremo Praesidi Congregationis virorum mulieres sunt solitae, immo non raro prioris Instituti participare exemptionem ab Episcopi auctoritate. Ab hoc tamen servantur facultates quas C. Tridentinum in Moniales Episcopis delegavit.

De Institutis separatis.

Quod si, ut nunc S. Sedi magis placet, ab omni virorum Congregatione separata fuerint Instituta, singulae domus communem Episcopi loci et parochi sentiunt *iurisdictionem*. Integrum tamen est Episcopo instituere *Cappellanum*, eidemque, si ita ferat consuetudo qualis in nostris est regionibus, etiam invito parocho, parochialia munia in conservatoria conferre. Cfr. resp. S. Conc. 22 feb. 1865. Seclusa vero consuetudine, Episcopus non videtur, contra atque autumat Bouix, II, p. 348. 349, posse conservatorium a parochi iurisdictione eximere. Cfr. idem responsum ; Ferraris, v. *Cappellanus Monialium*, n. 18 ; Lucidi, l. c. n. 459 ; Craisson, op. cit. cap. 9. Wernz, t. 2, n. 828 ; MONITORE, X, 2, p. 49.

Superiorissae potestas dominativa.

457. Potestas Superiorissae. 1. Superiossae eam exercent *potestatem dominativam* quam agnovimus Abbatissis monialium, nec debent de temporali administratione per se ad Episcopum referre. Cfr. dicta n. **385.** Diserte a C. *Conditae a Christo* ipsis addicuntur cooptatio candidatarum, admissio ad habitum et professionem, administratio bonorum vel redituum.

Administratio temporalis.

Modus quo temporalis administratio variis Superiorissis et oeconomis committatur et quae sint reddendae rationes accurate definitur in constitutionibus [1]. Praecipi consuevit ut

[1] Cfr. v. gr. Battandier, n. 244. 249. 276. 291. 294. 295. 303, et Normas recentiores.

tertio quoque anno status temporalis Congregationis mittatur cognoscendus ad S. Cong. Ep. et Regul. Cfr. *Acta Conc. Amer. lat.* n. 335.

Spiritualis directio.

2. Spiritualis autem institutio seu directio a Superiorissa suscipi nequit nisi intra fines decreti *Quemadmodum*. Cfr. infra, parte 7, c. 7.

§ 6. *De Superioribus Institutorum dioecesanorum*

Santi-Leitner, Praelectiones iur. can, l. 3, t. 36, n. 7, 8.

Regiminis ratio generalis.

458. Notio generalis 1. Instituta ista regimine dioecesano utuntur atque, etiam in *disciplina religiosa, iurisdictioni* subduntur *Episcopi*.

Dominativa potestas penes quem sit?

2. *Dominativa* tamen potestas a propriis Superioribus abiudicanda non est : de eius usu cognoscere valet Episcopus.

Spiritualis institutio.

3. Regimen in *spiritualibus* est in Episcopi abitrio.

Bonorum alienatio.

4. Bona huiusmodi Institutorum sunt ecclesiastica, quae proinde regulis de non alienandis bonis ecclesiasticis sunt obnoxia.

PARS SEPTIMA

DE USU SACRORUM ET FORO CONSCIENTIAE APUD RELIGIOSOS

Suarez. De Religione, tr. 8, l. 2, c. 12-25 ; **Pellizarius**, *Manuale*, etc., tr. 8, c. 2 ; *De Monialibus*, c. 10, s. 3 ; **Tamburini**, *De iure abbatum*, t. 2, disp. 2-9 ; *De iure abbatissarum*, d. 16. 34 ; **Rotarius**, *Theol. mor. regul.*, t. 3, l. 1 ; l. 2, c. 3, punct. 2 ; **Bouix**, *De regularibus*, p. 5, s. 3, c. 2 et 3, p. 188-262 ; p. 5, s. 5, c. 2, p. 331-349 ; s. 6, c. 2, p. 341-349 ; **Mélot**, *De Ordinibus et Congregationibus*, c. 17. 19. 25. 26; **Piat**, *Praelectiones iuris regularium*, t. 1, p. 400-489 ; t. 2, p. 170-364; **Angelus a SS. Corde**, *Manuale*, etc., t. 2, p. 335-378 ; **Santi-Leitner**, *Praelectiones iur. can.*, l. 3, t. 35, n. 2-4 ; t. 36, n. 6. 7. 14-17.

Ratio dicendi.

459. Proprius usus sacrorum ipsam consequitur exemptionem et simul cum hac tamquam suo loco proponi potuit. Quo tamen facilius universum istud argumentum uno veluti obtutu cernere possemus, visum est hoc titulo distinctum inscribere caput, quo, quid ferat in fori interni administratione ius tam regularium quam quorumlibet utriusque sexus religiosorum, paucis illustrare nobis in animo est.

CAPUT I

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE

De condicionata iteratione baptismi.

460. De Baptismo suscipiendo quaeri nequit nisi de eo qui sit condicionate iterandus, ut evenit nuper in causa Novicii Fratrum Praedicatorum [1]. Causa ista delata est ad Episcopum. Nostra tamen sententia, nisi ob haeresim externa cum Ecclesia requireretur reconciliatio, quae Episcopi ut

[1] S. C. EE. et RR. 25 nov. 1898. Dubium sub finem Noviciatus exortum est. Quare huius concessa est sanatio, quantum foret opus, ea tamen lege ut Religiosus diserte declararet se indulto uti velle.

Cuiusnam auctoritate sit peragenda ?

Inquititoris nati auctoritate est facienda, *Regulares plene exempti* possunt et dubium solvere et personae sibi omnino subditae condicionatum conferre baptismum. Patet aliis adeundum esse parochum et Episcopum.

A quonam sint confirmandi Regulares,

461. De Confirmatione. Si qui sint confirmandi Regulares, adire debent Episcopum domicilii, i. e. loci monasterii ; nisi suscepturi sint Ordines. Episcopus enim qui legitime, iure proprio vel delegato, Ordines confert, habet vel iudicatur obtinuisse facultatem confirmandi ordinandum.

Religiosi in universum ?

Perinde hic dicendum est de Religiosis late dictis.

CAPUT II

DE SS. EUCHARISTIA

ARTICULUS 1. De SS. Eucharistia suscipienda

De regularium communione consueta.

462. I. Apud viros regulares. 1. Tam Constitutiones quam Praelati regulares regularium communitati generales indicunt communiones, quas singuli facere studeant non tamquam lege sed tamquam norma directiva sibi praestitutas.

Ius etiam est Praelati arcendi quempiam a communione in poenam delicti sive directe sive lata excommunicatione, sive etiam in probationem. Id intellegas, in casu particulari.

Singuli autem regulares ea frequentia accedunt quam cum confessarii consilio proeoptaverint. Confessarius autem iudicium suum accommodabit ad decretum *Sacra Tridentina*, ita ut neminem cotidie regulariter refici prohibeat quem recta mente sacram appetere dapem noverit, sed contra ad cotidie moraliter accedendum animos disponat ac suaviter et prudenter flectat.

Observes denique Superiores clericos haberi in numero Confessariorum quos subditi *sponte sua* adire permittuntur.

N. B. Probe tamen intellegendum est qua ratione Superiori religioso, etiam Praelato, potestatem inesse negaverimus praecipiendi accessum ad sacram mensam. Quamvis enim normae quibus certis diebus dicitur esse communicandum, non iam praeceptivae habendae sint sed mere directivae, ideoque puniri nequeat qui aliquando, statutis diebus, non accedat, S. Sedes tamen valde commendat, ut religiosi ita vivere studeant, ut communitatis communiones non omittant, sed ut aliquid minimum habeant pro sua pietate [1].

---

[1] Cfr. decr. *Sacra Tridentina*, n. 8 ; Normae Cg. Episc. et Regul. art. 151.

Quare si quem noverint subditum diu communione abstinere, vel communitatis communiones habitualiter neglegere, eum prudenter et paterne admonere atque efficaciter corrigere Superiores religiosi et possunt et debent, imponendo v. gr. Exercitia spiritualia, vel alia ratione excutiendo languorem istum animi vel nimiam et scandalosam singularitatem.

De communione paschali et viatico.

2. *Communionem paschalem* et *Viaticum* suis etiam dispensat Praelatus regularis.

Itinerantes regulares ubique paschali praecepto possunt satisfacere.

Quid si iter faciant?

Qui *extra domum Ordinis* graviter decumbunt, viatico muniendi sunt ab eo qui in loco habet iurisdictionem : a parocho si in domo privata vel Congregationis non exemptae [1], a Superiore si in altero monasterio. Quare proprius aegrotantis Praelatus non poterit, sine parochi vel Superioris licentia, subdito hoc sacramentum ministrare.

Si extra domum aegrotent?

463. II. **Congregationes clericales exemptae** simili sunt condicione qua Regulares.

De communione in clericorum exemptis Congregationibus.

464. III. **In Congregationibus non exemptis sed clericorum.** 1. Praeter accessum qui regula definitur, generales communiones concedere vel indicere potest Episcopus, cui, ex C. *Conditae,* in foro interno sunt obnoxii. Idem etiam saepe poterunt, ex tacita quasi delegatione Episcopi, Superiores clerici, qui possunt etiam abstinentiam ab hac sacra dape in paenitentiam imponere. Patet prescriptiones accedendi non esse nisi directivas.

In Congregationibus clericorum non exemptis.

Singulis autem libera, probante confessario, permittitur optio accedendi quotiens id expedire iudicaverint.

De communione paschali et viatico.

2. *Quod ad communionem paschalem et viaticum,* per se communioni fidelium iure utuntur. Quare dispensatio ista spectat ad parochum et Episcopum, qui Superiori religioso utiles facultates tribuere solet. Praeterea, quod attinet ad communionem paschalem, his religiosis qui ecclesiam parochialem non frequentant videtur tacite concessum ut in consueto oratorio praecepto Ecclesiae satisfaciant. Cfr. n. **455.**

In Institutis monialium vel virorum sed qui regantur a laicis.

465. IV. **In Institutis mulierum vel Congregationibus virorum qui professione et condicione sunt penitus laici.**

1. De *communione paschali* et *sacro viatico,* redeunt modo dicta de non exemptis Congregationibus clericorum.

Communio paschalis et viaticum.

2. Quod ad *frequentiam communionis* per vitam :

Communionis frequentia.

a) Solent ipsae regulae vel Constitutiones indicere quot communiones sint per se faciendae in hebdomada, non raro addita ipsa dierum designatione, ita ut habeatur id quod vocant catalogus seu *calendarium communionum.*

[1] Cfr. Mélot, n. 234. Si tamen alter, v. gr. Superior, Cappellanus, habitualiter ibi muniis parochialibus fungantur, ad ipsos etiam, ni fallimur, spectabit haec dispensatio.

De mente S. Sedis.

Ad mentem S. Sedis videtur quadrare, ut in recentioribus Institutis regula praescribantur, singulis hebdomadis, duae communiones, praeter dominicalem [1]. Huc spectat huiusmodi regula, ut moribus suis dignos se faciant qui his *saltem* diebus, nisi rationabili causa excusati, accipiant corpus Christi. Cfr. resp. S. C. EE. et RR. ad Arch. Burdigalensem, 4 aug. 1888. *Monitore,* x, 1, p. 171.

b) Omne vetitum ne frequentius accederent quam regula iubentur, sublatum est decreto *Quemadmodum* S. C. EE. et RR. 17 dec. 1890.

c) Maiori igitur frequentiae, immo cotidianae, S. Sedes minime repugnat, quin potius faveat, ut constat ex recenti decreto *Sacra Tridentina.*

Disciplina decreti Quemadmodum quod ad licentiam communicandi.

3. Decreto autem *Quemadmodum* plane sancita est diciplina paulatim inducta [2] vi cuius ad *Confessarium ordinarium* vel *extraordinarium exclusive* pertinet singulis concedere communionem frequentius quam fert regula vel usus. Quae concessio potius ad formam prudentis arbitrii ex decreto *Sacra Tridentina* reducitur. Cuius arbitrii ipsum decretum tradit regulas. De generali tamen licentia debent subditi semel monere Superiorem [3], qui possit, si velit, contrarias suas rationes confessario proponere. Haec ut paucis declaremus :

Quisnam sit confessarius extraordinarius?

a) *Extraordinarius* confessarius proprie ille est qui ex officio ter vel quater per annum ad Moniales audiendas accedere iubetur. Verum, ob legis rationem, putamus idem ius esse cuiuslibet sacerdotis qui Monialis confessionem audire permittatur.

Quid possit?

b) Videtur itaque confessarius etiam *extraordinarius* singulis paenitentibus *generali modo* permittere posse eum accessum ad S. Communionem quem iudicaverit expedire [4]. Nec cogitur subditus sponte sua confessario ordinario manifestare quid ab altero

---

[1] Id perspicitur in animadversionibus S. Congregationis. Cfr. v. gr. 9 ian. 1860, apud Bizzarri, p. 838, n. 13 ; 25 iul. 1885, ad 12 ; 31 iul. 1896, ad 27 ; 22 mart. 1897, ad 8, apud Battandier, p. 129. Ex iure communi Tridentino, s. 25, c. 10, *De Regul.*, mere, suis constitutionibus, admonendae erant Moniales ut semel saltem in mense confiterentur et ad S. Synaxim accederent.

[2] Cfr. decr. Innocentii XI, *Cum ad anres*, 12 feb. 1679 ; resp. S. Cong., 14 april 1725, apud Monitore, x, 2, p. 176 ; resp. ad Arch. Burdigalensem, 14 aug. 1888, Monitore, x, 1, p. 171.

[3] Superiorem sumas per se localem. Si quid tamen obstet, videtur satis esse si mediato Superiori facultas indicetur. Sed monitio ista iam non videtur urgenda, post inductam disciplinam decreti *Sacra Tridentina.* Cfr. *Periodicum*, t. 2, p. 86.

[4] Facultas ista a confessario etiam extra sacramentum paenitentiae exerceri potest. Confessarius enim is intellegitur qui est ad confessiones excipiendas approbatus ; nec rei natura nec sanctio positiva circumscribunt usum foro sacramentali. Cfr., Monitore, x, 2, p. 176. *Extraordinarius* tamen confessarius hac potestate non fruitur, nisi eo moraliter tempore quo confessionem licite excipere valet.

fuerit praescriptum, dum videtur alterutrius prudenti directione stare posse.

c) Porro, in consilio dando, confessarius haec praesertim examinabit, quo recto, supernaturali, appetitu paenitens in divinum cibum feratur, qua diligentia se praeparet ac gratias agat.

Prudens ratio definiendi accessum ad S. Synaxim.

d) Superior, vel Superiorissa, his non prohibetur animos addere subdito scrupuloso, ut, posita anxietate, utatur concessa facultate, vel immo assentiri subdito qui, ob causam peculiarem satque urgentem, v. gr. in suffragium personae coniunctae, licentiam accedendi ad sacram mensam praesumere velit.

Quae partes linquantur Superiori?

Nec, eo quod ipsum accessum disponere vetatur, videtur nobis prohiberi quin certis diebus indicet subditis communicantibus *communionis intentionem*. Id per se ad potestatem dominativam pertinet nec ullam infert interioris directionis usurpationem. Contra tamen MONITORE, x, 1, p. 140.

Quid de communionis intentione?

e) Praelatus autem cuius isti religiosi sortiuntur forum iurisdictionale, Episcopus v. gr., videtur etiam ob aliquam causam toti communitati indulgere posse communiones extraordinarias.

Quid possit Praelatus?

f) Denique de *speciali* licentia accedendi nemo debet fieri certior [1]. Videtur itaque valde commendandum ut cotidie paretur sacra mensa, ita ut iis quibus fas est expedita sit copia accedendi [2].

De speciali licentia nemo debet fieri certior.

4) Eodem decreto *Quemadmodum* vetantur Superiores interdicere alicui e subditis sacra communione, nisi « post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Paenitentiae sacramentum rursus accesserit. »

Disciplina Decreti Quemadmodum, quod ad prohibitionem accedendi.

Gravem illam culpam non dixerim unam quae *theologice* sit talis, sed omnem post quam dedecere videatur vel mirum esse ut religiosus, non purgatus Paenitentia, accedat ad SS. Eucharistiam. Confirmamur responso S. C. EE. et RR. quod, a P. Franco S. I. allatum, habetur *Monitore*, x, 2, p. 178.

Quid gravis culpa?

N. B. De communionis disciplina ex Decr. *Quemadmodum* plura cfr. l. c. *Monitore*, x, 2, Consultazione xxi, p. 175-186.

ARTICULUS II. De celebratione Missae

466. 1. Possunt Superiores *religiosoram* ipsis in *poenam* interdicere celebratione Missae. Quam privationem Praelati proprie tales, iurisdictione fruentes, tamquam veram suspensionem per modum censurae imponere queunt, ita ut eam violantes fiant irregulares.

Quomodo possint Superiores prohibere celebrationem Missae,

---

[1] Ita iam ante decretum *Quemadmodum*, ad usum cuiuspiam Instituti respondit S. Officium, 2 iul. 1890. Cfr. MONITORE, t. x, 2, (1898) p. 175-186.

[2] Recta accedentium intentio et optanda libertas etiam iuvabuntur, praecipue apud sorores, si, quae cotidie non accedunt, variaverint dies quibus abstineant.

Praecipere applicationem ?

2. Videntur etiam per se, *vi voti oboedientiae*, *praecipere* posse *applicationem* Missae ad definitum finem. Nonnulli dubitant, qui intentionem istam in actibus internis reponunt. Profecto ab usu alienum est ut ab Episcopo vel alio Praelato ex potestate *iurisdictionis* idem praecipiatur.

An subditi teneantur applicare ex iustitia ?

Contendit autem R. P. Lehmkuhl, II, 207, Missas quarum Superior accepit stipendia esse ex *iustitia* applicandas ab iis religiosis quos iis celebrandis deputaverit : ad haec enim tacite pertingere vim professionis religiosae.

De taxa Missae.

N. B. Iam diximus n. **376**, Regulares teneri legitima stipendii indicatione (taxa) facta ab Episcopo.

De Hora.

467. De Hora celebrationis. I. *De Regularibus.* 1. Praelati regulares, cum potestate *quasi episcopali* fruantur, valent, ob causam rationabilem, cum subditis dispensare ut celebrent ante auroram vel post meridiem. S. Alphonsus, l. 6, n. 344 *adde* 7. Quo magis recedatur a tempore statuto, eo gravior requiritur causa.

Praelati regularis facultas dispensandi.

Regularium privilegia.

Ubique :

2. *Regularibus* concessum est privilegium celebrandi una hora ante vel post tempus statutum [1]. Cfr. Breve *Plura inter*, Leonis XII. Immo, ex concessione facta a Pio VI Congregatione Puritatis, rescripto 24 ian. 1783 et 10 maii 1785, possunt *ubique* (etiam in alienis Ecclesiis) celebrare duabus horis ante auroram vel post meridiem. Commendatur ut indulto celebrandi ante auroram parce utantur.

In suis ecclesiis :

3. *In suis ecclesiis*, ex facultate facta Benedictinis possunt, *iustam ob causam*, cum ipsi regulares tum etiam saeculares sacerdotes celebrare duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem. De vigore tamen huius privilegii dubitatur [2].

Quod ad Missionarios ;

4. Generalis Superior *Missionariis* facultatem facere potest, ut sive itineris sive devotionis causa etiam in alienis ecclesiis celebrent duabus horis post mediam noctem. Ex rescripto Gregorii XVI, 13 maii 1838, ad Soc. Iesu.

Feria V *in Coena Domini.*

5. Si omittantur functiones hebdomadae sanctae, licet Superiori regulari, ad ministrandam religiosis communionem, per se vel per alterum, feria V in Cena Domini celebrare missam sollemnem vel privatam in oratorio vel in ecclesia ianuis clausis. Ut idem fiat in oratorio Seminarii vel Communitatis non proprie regularis, opus est indulto apos-

---

[1] Privilegium aestimari potest ex modo quo intellegitur tempus iure statutum. Quod cum moraliter accipiatur, ita ut fas sit Missae initium facere 20 momentis ante auroram, finem vero 20 momentis post meridiem, licebit etiam ampliare privilegium tertia horae parte. Mélot, n. 292, 295.

[2] Ab Alexandro VI concessum Benedictinis privilegium istud celebrandi duabus horis post mediam noctem et tribus post meridiem plerique autumant esse sublatum a C. Tridentino. Ita S. Alphonsus, l. 6, n. 342. Contra tamen Ballerini-Palmieri, *Opus theol. De Euchar.*, tr. 10, s. 4, n. 294.

tolico [1]. Cfr. rescr. S. Rit. C. 9 dec. 1899 (*Decr. auth.* n. 4049) cuius priore parte confirmatur resp. 31 aug. 1839 (*Decr. auth.* n. 2799).

Immo, quamvis sollemnes instituantur functiones, concedunt scriptores ut, eadem die, una Missa legatur in oratorio vel in ecclesia, ianuis clausis, pro commodo infirmorum. Et patet ex privilegio quod Gregorius XVI concessit Provinciae S. I. quae tunc dicebatur Germania Superior, 4 dec. 1841 (*Compend. privil. S. I.* n. 313).

II. *De Religiosis.* His et similibus privilegis alumni Congregationum uti nequeunt, nisi directo concessu vel communicationis privilegio, eadem sibi comparaverint. *Quid de aliis religiosis ?*

468. De loco celebrationis. De Regularium *ecclesiis* et *oratoriis,* praeter ea quae iam dicta sunt n. **375**, plura aptius reicimus in p. 8, c. 3, ubi simul trademus quomodo Regulares ipsi et saeculares iisdem uti possint. Hic igitur mere de usu altaris portatilis videtur dicendum. *De loco celebrationis plura infra.*

De altari portatili. 1. Generale *altaris portatilis* privilegium, decreto Tridentino *De observandis et evitandis in celebratione Missae* (s. 22), Regularibus est ereptum [2], ita saltem ut in saecularibus domibus vel privatis cubiculis nullatenus iam ipsis liceat sacris operari. *Generalis revocatio privilegiorum.*

Quo decreto minime prohibentur Missae in privatis monasteriorum oratoriis, sed id tantum in controversiam venit qua auctoritate et forma sint erigenda. De qua re dicemus infra, parte 8, c. 3.

Interea is videtur esse posse usus benignioris multorum sententiae, ut ob aliquam temporalem necessitatem, in locis quae usum iam habent pietatis ideoque moraliter pro ecclesia haberi possunt, ut puta in sacristiis, capitulis, locisque Ecclesiae annexis, non minus quam in ipsa ecclesia, Superiores indulgere possint altaris portatilis usum. Tridentinum enim, ait Passerini, *De statibus*, t. 3, p. 903, n. 982, prohibet mere ne Missae celebrenter *omnino* extra ecclesiam. In eos autem Regulares invehuntur SS. Pontifices qui in privatis cellis sacris operabantur. Innocentius XIII, C. *Apostolici ministerii ;* Benedictus XIII, C. *In Supremo.* Cfr. Génicot, *Casus conscientiae*, tr. 14, *De Euchar.* s. 2, c. 5, cas. 1.

2. Deinceps quidem est Regularibus concessum privilegium, vi cuius *infirmi* qui e cubiculis exire prohibeantur, eligere permitterentur sacerdotem qui in ipsorum gratiam ibi Deo litet [3]. Verum alienum videtur ab hodierna disciplina *Privilegium in gratiam infirmorum,*

---

[1] Nisi tamen cum Génicot, II, 235, existimes plus fieri posse ex consuetudine.

[2] Cfr. id demonstratum a Gattico. *De usu alteris portat.* c. 13, n. 1-13 ; vel Mélot, n. 282 ; Van Gameren, *De oratoriis*, p. 266 sqq.

[3] A Pio IV 8 mart. 1565, concessum est Canonicis Lateranensibus. Cfr. Gatticum, *De usu altaris portat.* c. 13, n. 13. Sed ab Innocentio XIII,

his uti privilegiis. Cfr. Mélot, *De Ordinibus*, etc. p. 288, 289.

Inter Missiones.

3. *Inter Missiones* tamen, Patribus S. I. indultum est a Gregorio XIII, Brevi *Usum altaris*, 1 oct. 1579, ut ubique gentium, etiam in castris militum erigere valerent altare ibique celebrare et dispensare Eucharistiam, modo locus sit tutus et honestus, et Generalis vel, ipso delegante, Provinciales iudicaverint eo altari esse utendum [1]. Patribus autem C. SS. Redemptoris, rescripto 19 iun. 1773, permittitur ut qui Missionibus dant operam possint in domo ubi inter Missionem resident sacrum facere. Privilegia ista beneficio communicationis privilegiorum non videntur excludi.

In itinere.

4. *In itinere* ex qualibet causa suscepto, possunt Regulares, ex communicatione privilegii Congr. SS. Redemptoris, celebrare in oratoriis privatis domorum absque ordinatione et assistentia Indultarii [2]. Pius VII, Rescript. 20 iun. 1820.

Quinam istis privilegiis uti possint?

Denique de istis privilegiis in universum id observandum est, eadem, si sint *personalia* seu directa ad personas, non prodesse nisi Regularibus, si vero sint *localia*, saeculares eorum usu minime per se prohiberi.

CAPUT III

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

I. In ordinibus virorum

Legitimus confessarius intra Ordinem.

469. Cuinam confiteri possint. 1. Regulares exempti, nisi malint sponte sua proprium Praelatum ad faciendam confessionem eligere, adire debent unum ex istis confessariis quos binos vel plures, pro numero subditorum, in singulis domibus constituere iubentur proprii eorum Praelati. Cfr. n. **416**.

Eorum personalis iurisdictio.

In istis itaque domibus confessarii delegatam in personas domus obtinent iurisdictionem, quam ubique utendam certo Superior

---

23 maii 1723 pro dicione hispanica, et anno 1725, decreto concilii Romani pro dioecesibus ad quas concilium istud pertinet, videtur, ut plures sentiunt, privilegium istud esse abolitum. Quare satius erit simile, si morbus diuturnus, appellare privilegium quod Piis Operariis, a Benedicto XIII, Brevi 9 dec. 1729, a Ben. XIV vivae vocis oraculo, tributum est. *Comp. priv. S. Iesu*, n. 33.

[1] Cfr. Suarez, in 3 p. S. Thomae, t. 3. d. 81, s. 3, n. 4. Cfr. etiam privilegium die 23 aug. 1905 Congr. CC. RR. Infirmis Ministrantium concessum. *Periodicum*, t. 2, p. 34.

[2] Cum viro nobili vel diviti concedebatur in aedibus eius oratorium, addi clausula solebat, vi cuius una tantum in die celebrari posset Missa. idque coram ipso Indultario. *Solebat* inquam, iam enim mitiores clausulae scribi videntur.

dare potest. Cur autem eam domus parietibus circumscribat, nulla apparet ratio. Quare, nisi aliter constet ex Superioris declaratione vel Ordinis usu, dicemus eandem etiam extra domum et in aliis domiciliis a confessariis regularibus in fratres eiusdem domus exerceri posse. Cfr. Villada, *De confessariis nostris*, n. 13.

Extra Ordinem.

2. Extra Ordinem suum nequeunt sine Praelati licentia valide confiteri.

In itinere

3. *In itinere* [1], Religiosi confiteri debent *socio* eiusdem Ordinis qui sit *idoneus*.

Idoneus est qui in suo Ordine periculum fecit scientiae estque ab examinatoribus admissus, vel qui, annuente Superiore, ab Episcopo est approbatus.

Corporis tamen vel mentis infirmitas (utputa scrupuli) causa esse possunt cur socius minus idoneus sit iudicandus.

Quid si sacerdos regularis scientiae suae non fecit periculum ? Cum alii talem nihilo minus existiment esse idoneum, alii contra iudicaverint repellendum [2], libera erit optio confitendi apud talem socium vel apud sacerdotem extraneum.

Hoc deficiente quisnam adiri possit ?

Idoneus enim si desit socius vel nolit audire confessionem, Regulares quemlibet sacerdotem *idoneum* saecularem vel regularem adire possunt. Quomodo hi debeant esse approbati, diximus n. **416**,2.

Facultas Superioris ?

Quae itinerantis confessio cum tacito Superioris consensu peragatur, Superiori integrum est hanc contrahere facultatem, vetando v. gr. ne alium adeant praeter Regularem. Ita Piat, 1, p. 416, 3 ex ipsis verbis Const. Sixti IV, *Supplicari*.

Quid absentibus Confessariis.

Ex responso S. Paenitentiariae 14 maii 1902, adiri etiam potest Confessarius idoneus, i. e. approbatus, si Superior domus aliique confessarii tam diu absint, saltem per diem, ut grave sit religioso toto eo tempore carere absolutione sacramentali [3].

A reservatis in ordine confessarius per se absolvere nequit.

470. De facultatibus Confessarii regularis. 1. Quod ad *casus in Ordine reservatos :*

a) Per se, sine *speciali facultate* [4], cuius vis ex potestate [5]

---

[1] Quis non sit mere ambulans sed *itinerans*, id, attenta legis ratione, prudenter est pensandum. Atque haec norma nobis tradi posse videtur, ut is *in itinere* dicatur qui ita domo absit ut, ob distantiam vel alia adiuncta, ad rationabilem sacramenti usum, morali copia careat domesticos adeundi confessarios.

[2] Ita Piat, 1, p. 419, q. 14.

[3] *De Religiosis*, t. 2, inter Monumenta, n. **234**, p. 642.

[4] In parvis communitatibus omnino deputandus est a Superioribus confessarius ex religiosis proprii Ordinis qui *habituali* polleat potestate in reservata. S. C. EE. et RR. 16 aug. 1866. Bucceroni, *Euchiridion*, p. 172.

[5] Ita v. gr. Praelati locales nequeunt potestatem dare in casus reservatos Provinciali.

et mente concedentis est prudenter colligenda, confessarius regularium nequit absolvere *a casibus in Ordine reservatis*.

Quid in itinere ?

b) In itinere, Regulares non poterunt, salvo iure speciali Ordinis, ab iisdem casibus nisi *indirecte* absolvi. Quare, si necessitas sit confitendi, non videntur astringi ad declaranda ista peccata sacerdoti qui caret facultate. Ballerini-Palmieri, *Opus theol.*, t. 5, tr. 10, s. 5, n. 640,4.

Quid si negata facultas ?

c) Quod attinet ad *casus ipsi Superiori regulari reservatos*, si Confessarius deputatus ad audiendas regularium confessiones iudicet sibi concedendam fuisse facultatem quam Superior detrectaverit, poterit *hac vice* absolutionem nihilo minus impertire [1]. *Hac vice :* haec verba non obstant quin totiens quotiens casus evenerit hac utatur facultate.

Iusta causa detrectandi fuerit si ad cavendum communitati vel aliis, Superiori opus sit maiore casus notitia : hanc per se vel per confessarium paenitens tunc dare debet. Cfr. Suarez, *De Religione*, tr. 10, l. 8, c. 5, n. 10 ; C. de Lugo, *De Paenitentia*, d. 20, s. 4.

Facultas Paenitentiariae.

d) Interdum, v. gr. in pagella Paenitentiariae, conceditur facultas absolvendi a casibus in suo ipsorum Ordine reservatis religiosos qui cum licentia Superioris apud te confiteantur. Facultas ista de omnibus casibus ac de omnibus Confessariis, iis etiam qui in itinere tantum adiri possint, est accipienda. Nec a Superiore restringi potest. Cfr. resp. S. Paenit. 14 maii 1902 [2].

Quid de reservatis ab Episcopo ;

2. Casibus *ab Episcopo reservatis* non afficiuntur regulares. Ergo etiam sacerdotes saeculares qui audiunt Regularem his attendere non debent.

De reservatis S. Pontifici ?

3. Quod ad casus *Papales*, de usu obtentae generalis facultatis ex ipso fonte est diiudicandum.

a) Si enim *per Superiores* communicata est facultas, confessarius horum mentem explorare debebit. Et observes non posse, quod ad *hos casus*, Confessarium causari indebite negatam facultatem, ut absolvat, contra ac pro reservatis in Ordine.

b) Si a *S. Sede*, v. gr. ex pagella Paenitentiariae, nisi facultas ad saeculares restricta fuerit, ea poterit uti confessarius etiam in gratiam Regularium.

c) Si denique *per Episcopum*, requiri videtur assensus Superioris ut ea facultate idem utatur. Cfr. Piat, 1, p. 422.

De casibus Clementinis adeundi proprii Ordinis interpretis.

471. De Casibus Clementinis. Ut iam supra dedimus n. **417**, nulla lege generali prohibentur capitula Ordinum reservare casus. Ipsi vero Superiores, ex C. Clementis VIII,

---

[1] Sic decl. Clem. VIII ad calcem eius decreti de casuum reservatione, 26 mart. 1593.

[2] *De Religiosis*, t. 2, inter *Monumenta*, n. **234**, p. 642.

non possunt iam reservare nisi 11 casus, quos, cum frequenter sint reservati, iuvat hic memorare, paucis additis notis. De eorum tamen interpretatione Regulares suos quisque doctores probatos interrogare potissimum debent, cum hi existimentur tradere Ordinis usus ac mentem, quae variare queunt.

Sunt itaque hi casus :

1. *Veneficia, incantationes et sortilegia.* His declarandis hodie supersedere possumus. *Veneficia, etc.*

2. *Apostasia a Religione, etiam retento habitu.* De hoc cfr. n. **342**. *Apostasia,*

3. *Nocturna ac furtiva e monasterio egressio.* Cfr. n. **305**. *Nocturna et furtiva egressio,*

4. *Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.* Cfr. n. **271**. *Proprietas,*

5. *Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo.* *Iuramentum falsum in iudicio,*

Iuramentum, ut plures volunt, debet esse *sollemne :* quod fiat tactis Evangeliis, cruce, altari, vel pectore sacerdotis. Requiritur *assertorium*, non sufficit promissorium.

Falsum, i. e. cui deest veritas *formalis ;* et, secundum plures, etiam *materialis*.

In iudicio, i. e. coram iudice proprie dicto, non in prius facta instructione sed in ipsa causae deliberatione.

Et quidem in iudicio *regulari*, h. e. secundum non paucos, in causa spectante ad Regulares, et coram iudice iurisdictionem habente in Regulares.

Seu legitimo : seu accipiunt copulative ut idem sonans atque « et » ; *legitimo :* i. e. etiam quatenus ordo iuris saltem substantialiter servetur.

6. *Procuratio, consilium vel auxilium ad abortum fetus animati, etiam effectu non secuto.* De hoc casu cfr. theol. mor. ubi de quinto praecepto. *Abortus,*

7. *Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii seu conventus.* *Falsificatio manus aut sigilli,*

Requiritur ergo non mera confectio falsi sigilli, sed *falsa seu mendax appositio subscriptionis* aut *sigilli* (etiam si utaris vero sigillo Superioris), facta litteris non privatis, sed *Officialis* formaliter talis. Officialis intellegitur Superior et qui proprium sigillum habeat in Ordine, ut, in Soc. Iesu, Assistentes. Non committit casum qui id fecerit requisitus ab ipso Superiore : iam deest falsitas ; vel recreationis causa, aut ut litterae securius perveniant : deest animus decipiendi et nocendi. Piat, 1, p. 469 sqq.

8. *Furtum mortale de rebus monasterii.* Quid sit, habes ex n **271**. *Furtum,*

9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* Cfr. n. **286**. *Lapsus carnis,*

10. « *Occasio, seu vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.* » *Occisio percussio,*

Occisionem accipias *iniustam*, et, secundum quosdam, *in se* volitam.

Vulneratio eo differt a *percussione* quod non est sine sanguinis effusione. Utraque requiritur gravis, h. e. quae iudicio prudentis, *absolute* vel *comparate* ad qualitatem personae, loci, vel scandalum, existimetur gravis. Non sufficit ut peccatum sit mortale. Namque etiam percussio iuridice *levis* est peccatum mortale. Quia dicitur *cuiuscumque personae*, continetur etiam percussio sui ipsius vel eius qui assentitur : modo sit grave peccatum et gravis percussio. *Protusio*, aut prostratio in terram non est necessario percussio.

Aperitio litterarum.

11. *Malitiosum impedimentum aut retardatio aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

Unde non spectat ad litteras familiares aut litteras personarum inter quas haec mutua Superioris et inferioris relatio non est.

Ut sit *malitiosum* (quod in tres casus transferas), opus est, praeter gravem culpam, directa intentione impediendi, retardandi, aperiendi. Nec casus committitur, si ille ad quem destinatae sunt consenserit aut si e litteris tibi iniustum damnum merito timeas.

Impedire, est procurare ut non perveniant ; gallice « intercepter » ;

Retardare, est efficere ut non possint debito tempore pervenire ;

Aperire est non mere legere clausas aut iam ab altero apertas ; si vero *aperueris*, iam, secundum communem sententiam, incurristi in casum, etiamsi non legas.

Hactenus de his casibus quos, ut dicebamus, Ordinum declaratio atque usus restrictius vel benignius accipere queunt. Eosdem fusius proponunt Mélot, op. c. n. 427-439 ; Piat, op. cit., I, p. 448 sqq.

II. **Apud Moniales** [1]

Ante Decretum Quemadmodum.

472. De Confessariis ante Decr. Quemadmodum.

Deputatio confessarii ordinarii ;

1. Ex C. Benedicti XIV, *Pastoralis cura*, deputandus est Confessarius ordinarius *unus* omnibus, maturae aetatis (40 annorum secundum decl. S. C. EE. et RR.), qui non potest esse Vicarius generalis, nec Regularis, nisi agatur de monasteriis quae Regularibus subduntur.

Confessarius iste designatur ab Episcopo si monasterium non sit in dicione Regularium ; quibus si fuerit obnoxium, deputat Praelatus regularis confessarium qui tamen ab Episcopo est specialiter approbandus. Nec confessarius unius monasterii existimandus est per se approbatus pro alio.

Per se deputandus est *ad triennium* et post tertium quemque annum mutandus. Non ubique tamen disciplina ista

[1] Cfr. varia responsa S. Sedis apud Bucceroni, *Enchiridion*, p. 170-172.

accurate servatur, quamvis saepe sit a S. Congregatione inculcata [1].

Accedere porro debet ad audiendas confessiones quotiens fuerit vocatus.

Ipsi autem est sedulo cavendum ne Superioris usurpet provinciam.

Confessarii extraordinarii.

2 Praeterea ab iisdem designandus est Confessarius *extraordinarius*, qui confessarii ordinarii dotes habeat, potest tamen esse Regularis. Is, ex C. Trid., s. 25, c. 10, *De Regul.*, saltem bis vel ter in anno monialibus est offerendus. Hunc omnes adire debent, non tamen ipsi confiteri. Postquam autem suo ministerio est functus, iam nequit confessarius extraordinarius regularis se conferre in monasterium, ne poenis plectatur Regularium qui ad crates Monialium indebite accedunt.

Quid si ordinarius fuerit Regularis ?

Porro, si confessarius *ordinarius* fuerit vir regularis, semel saltem in anno deputandus est confessarius sive saecularis sive regularis alterius ordinis : quo tempore vetatur ordinarius ne cuiuspiam etiam noviciae excipiat confessiones.

Quid si monialis peculiarem exposcat confessarium ?

3. Moniali quae peculiarem exposcat confessarium, etiamsi mere ad spiritualem suam consolationem et profectum, is est concedendus, modo nihil appareat quo spes istius profectus elevetur. Neglegentiam autem regularis Praelati supplet Episcopus.

Quid si in articulo mortis ?

In *articulo* vero *mortis* cuilibet moniali talem postulanti concedatur confessarius particularis sive a Praelato regulari, sive, si renuat, ab Episcopo, sive a Card. Maiore Paenitentiario. Quod si periculum fuerit in mora, confessarius accedat fretus decreto C. Tridentini de iurisdictione in articulo mortis.

Ex decreto Quemadmodum, a Superiore negari nequit extraordinarius.

473. De vi Decreti Quemadmodum. Hanc disciplinam de uno confessario ordinario non abrogat decr. *Quemadmodum*. Admonet tamen « Praesules Superioresque... ne extraordinarium denegent subditis confessarium, quotiens ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. » N. IV dicti Decreti.

Legis declaratio.

Unde Superior (i. e. vir vel mulier quae domui praeest) in universum quidem monere potest subditum, ab eo non posse peti extraordinarium confessarium nisi ob necessitatem suae conscientiae ; sed, sine examine causae, subdito

---

[1] Confirmatio tamen ad alterum triennium ob causas peculiares a S. Conpregatione indulgetur, audito Ordinario et ipsis monialibus quarum duae saltem partes $\left(\frac{2}{3}\right)$ per secreta suffragia capitulariter confirmationi assentiri debent. Ad tertium permittendum triennium, exigitur consensus monialium omnium. Bizzarri, *Collectanea*, p. 14.

petenti annuere debet. Confessarii acciti erit paenitentem cohibere ne deinceps, inanem ob causam, extraordinarium adeat.

Si tamen rationes extrinsecae eaeque graves id suadere videantur, Superior mandando Confessario supersedere debebit et rationes proponere Ordinario, qui de re statuat [1].

Subdito relinquitur optio inter Confessarios approbatos. Quare monialis eligere potest inter confessarios pro monialibus approbatos. Cfr. resp. S. C. Ep. et Reg., 17 aug. 1891, 1 feb. 1892 (*N. R. Th.* t. 24, p. 260. 362).

In hac re, Superior qui neglegens fuerit, ob periculum cui subditus opponitur, facile sibi de gravi peccato timere potest.

Decretum Episcopos praeterea hortatur ut in locis ubi sunt mulierum communitates, curent esse copiam confessariorum qui debitis sint instructi facultatibus.

Absolutio a casibus qui reservantur Papae.

474. De Casibus reservatis [2]. 1. Quod ad casus *Papales*, moniales personis saecularibus assimulantur. Fruuntur tamen iisdem obtinendae absolutionis privilegiis quibus viri regulares, dummodo ei confiteantur qui, ex tenore concessionis, habeat facultatem.

De casibus episcopalibus.

2. Reservationibus *episcopalibus* non videntur affici nisi quae spectent clausuram.

De casibus Ordinis propriis.

3. Quod ad casus *in Ordine reservatos*, videndum est quaenam a Praelato cui subduntur vel a constitutionibus concedatur confessariis facultas.

Huic tamen si videatur male negata facultas, licebit uti privilegio absolvendi illa vice a reservatis, de quo supra, n. **470.** Pellizarius, *De Monialibus*, c. 9, n. 28-30.

Quid si monialis sit extra claustra?

475. Monialis quae ad certum tempus, etiamsi breve, legitime **extra claustra** versatur, adire potest quemlibet confessarium pro utroque sexu approbatum. S. C. EE. et RR. 27 aug. 1852.

III. **In Institutis votorum simplicium**

De Institutis exemptis.

476. 1. a) In Institutis *exemptis* clericorum, per se pro confessionibus adiri debent Confessarii Congregationis, a Superioribus approbati. Nec, sine Superioris licentia, Confessio apud sacerdotem externum valide perageretur.

[1] Cfr. resp. S. C. Ep. et Reg. 5 aug. 1904, datum de monialibus quibusdam (PERIODICUM, t. 1, n. **29**, p. 86). Qui modus agendi tutior videtur quam qui a quibusdam proponebatur scriptoribus, permittentibus ut Superior ipse Confessarium propter causas non iustas et spectantes ad forum externum petitum negaret.

[2] Cfr. Pellizarium, *De Monialibus*, c. 9, n. 24-30.

b) Cum licentia Superioris, adiri potest quilibet sacerdos ad confessiones approbatus.

c) Quilibet etiam sacerdos approbatus adiri potest quando sacerdos in Congregatione facile haberi nequit.

Quocirca, cum ex mente saltem S. Sedis Superiores sacramentales suorum confessiones, excepto raro aliquo casu, audire non debeant, videtur etiam extra Urbem valere responsum S. Officii 1903, secundum quod : « In casu quo praeter Superiorem aut Superiores, nullus adsit in domo Confessarius, omnis sacerdos iurisdictionem ab Episcopo habens, idoneus reputandus est ad sacramentales confessiones excipiendas [1].

De Institutis non exemptis virorum.

2. a) In Institutis non exemptis, sive virorum sint sive mulierum, sive a S. Sede sint approbata sive ab Episcopis, sodales utuntur confessariis quos designarit Ordinarius loci. Et per se sunt simili saecularium loco quod ad casus reservatos et ipsam confessarii approbationem.

b) Quod ad *viros religiosos*, plerumque nulla requiritur approbatio specialis.

Quare, valide saltem, quemlibet adeunt confessarium [2].

De Mulieribus.

477. De Institutis mulierum. 1. Sororibus quae vitam ducunt communem satis solent Episcopi regimen monialium imponere, ita ut nemo valide excipiat confessiones sororum nisi sit specialiter ad id approbatus, sorores vero astringantur regula unius confessarii ordinarii.

Mos Episcoporum.

Statim autem atque *communitas mulierum* uno utitur confessario qui *in ipso conservatorio* excipiat confessiones, vult S. Sedes ut observentur regulae de triennali mutatione non secus atque apud moniales. Neque excipit familias religiosas quarum sodales saepe mutant domicilium [3]. Perinde dicendum est de confessarii extraordinarii deputatione. Stricte praeterea Congregationes quae pontificio utuntur iure tenebuntur decreto *Quemadmodum*. Et decet saltem ut Episcopus in dioecesanas domus eadem inducat statuta. Immo, post

---

[1] Cfr. responsa ista collecta in *Periodica*, t. 1, **n. 39**, p. 99, et hic notam 2.

[2] *In Urbe Roma*, S. Officium, decreto 5 iulii 1899, vetuit ne Superior maior vel minor religiosae Communitatis aut Seminarii aut Collegii audiret confessiones sacramentales suorum alumnorum in eadem domo manentium, excepto aliquo raro necessitas casu, de quo eorum conscientia oneratur. Responso autem 23-25 augusti 1899 declaravit nihil hoc decreto mutatum esse Constitutionibus apostolicis quod *ad Ordines regulares*. Quam declarationem negavit, die 20-22 dec. 1899, transferri posse in Instituta votorum simplicium. Cfr. *De Religiosis*, t. 2, Monumenta, **n. 232**, p, 638-640.

[3] De ista mutatione, cfr. decreta collecta A. S. S. t. 24, p. 709 sqq. Si confessio peragi consueverit in publica ecclesia, ordinarius confessarius huic legi non est obnoxius. S. C. EE. et RR. 20 iul, 1875, *Monitore*, x, 1, p. 170.

decretum S. C. EE. et RR. 16 iul. 1906, nequit approbare Constitutiones nisi conformes sint *Normis* 28 iun. 1901 [1].

Exceptio ista est demonstranda.

2. Quia tamen personae istae quemlibet adire per se possunt, nisi constet de lege peculiari lata ab Episcopo, confessio facta sacerdoti simpliciter approbato iudicanda est *valida*.

Quid de parochis ?

3. Restrictio iurisdictionis non afficit *parochos* quod ad sorores quae in sua paroecia sedem habent : saltem nisi Ordinarius diserte aliter disposuerit. Immo sunt canonistae qui existiment non esse in Episcopi potestate ut tollat, quod ad sorores, iurisdictionem quam ex munere habet parochus in omnes suos parochianos. Mélot, n. 362. 367.

Quid si paucae sint et adire soleant parochialem ecclesiam ?

4. Sorores quae *paucae numero* in variis locis vacant instituendis puellis et frequentare solent ecclesiam parochialem ut Missae intersint et sacramenta recipiant, possunt extra propriam domum confiteri penes quemlibet confessarium ab Ordinario approbatum. S. C. EE. et RR., 22 april. 1872, ad 3. Bucceroni, *Enchiridion*, p. 171. Quod late in alias transfert sorores quibus claustris egredi permittitur *Monitore*, X, 2, p. 165.

Statuto tamen episcopali quo diserte talis ipsis negetur facultas standum esse autumamus, etsi menti S. Sedis videatur minus consentaneum.

Belgii disciplina habitualis.

478. Praesens disciplina in Belgio.

1. **a**) In dioecesi *Gandavensi*, ut audiantur simpliciter professae specialis facultas requiritur ad *liceitatem* tantum. Et confessarius ordinarius potest sacerdoti in dioecesi approbato, semel vel bis, iustam ob causam, facere facultatem (*Statuta* t. 6, c. 2). **b**) In *Brugensi* (t. 6, art. 7) et *Leodiensi* (n. 90) *invalidae* sunt confessiones monialium *claustralium* sine illa peculiari Ordinarii facultate exceptae. **c**) In aliis dioecesibus (*Mechliniensi*, *Statutis*, n. 280, *Namurcensi* ex pagella, *Tornacensi*, *Stat.* n. 152) specialis facultas pro quibusvis sororibus requiritur *ad validitatem* quando confessio excipitur in *conventu*. *Instructiones pro confessariis dioecesis Namurcensis reformatae* declarant extra propriam domum institutam confessionem quarumcumque sororum *valide* excipere quemvis confessarium in dioecesi pro utroque sexu approbatum. Ibidem *licite* audit confessarius in ecclesia publica quin interroget, iuxta resp. S. Paenit. 9 feb. 1901. (Cfr. n. sequentem).

Per exercitia spiritualia.

2. Sacerdotes qui cum licentia Episcopi tradunt Exercitia spiritualia obtinent ex ipsis statutis dioecesanis facultatem audiendi sorores. Silent tamen statuta namurcensia.

Dum sorores extra claustra.

3. Sorores quae *ad tempus legitime* versantur extra conventum, *licite* adeunt quemcumque approbatum (*Mechlin.* n. 283 ; *Brug.*

---

[1] Cfr. *Periodicum* t. 2, p. 127 et *Normae*, art. 139.

l. c. art. 5 ; *Gand.* l. c. ; *Leod.* l. c. ; *Tornac.* n. 155. — *Namurcensia* statuta silent).

4. In *Mechliniensi dioecesi* approbati sunt ad confessiones sororum omnes Canonici, etiam honorarii, Ecclesiae Metropolitanae, omnesque decani. Confessarius vero (tum ordinarius, tum extraordinarius) alicuius conventus, eo ipso valide audit omnes dioecesis moniales, et licite, accedente venia Superiorissae. (*Instr. du C. Dechamps aux commun. relig. des femmes*, 2e édit. par le C. Goossens, c. 4, § 4 et 6.)

Quid si ad horam egressa soror adeat confessarium in publica ecclesia ?

479. Quaeres quid si, nullo itinere vel peregrinatione excusatae, dum actu, ad horam, a conventu absunt, more aliorum fidelium, in publica Ecclesia simplicem confessarium adeant.

R. Cum statuta eam tantum declarent nullam confessionem quae simplici confessario fiat *in conventu,* nec constet accessum ad alienum confessarium esse sub gravi prohibitum, dictis nº **477,**2 perspicitur confessiones istas valere. Ceterum id confirmatur hoc responso S. Paenitentiariae 9 febr. 1901, quo etiam edocetur Confessarius quo usque de obtenta facultate paenitentem interrogare debeat.

« Statuta archidioecesis Mechliniensis et dioecesis Tornacensis haec habent :

1. « Nemo, praeter confessarium tum ordinarium tum extraor-« dinarium, sacramentalem confessionem religiosarum quarum-« cumque in communitate viventium, in monasterio valide excipere « potest absque praevia Ordinarii facultate. »

2. « Monialium quae per aliquot dies extra monasterium versan-« tur, confessiones audire potest in ecclesiis, etc., quilibet confes-« sarius pro utroque sexu approbatus. »

Ita, ad litteram statuta Tornacensia, Mechliniensia autem fere idem sonant, nisi quod, in altero articulo, pro « per aliquot dies », « ponunt « ad tempus. »

« His positis,

« Titius ab Episcopo Tornacensi litteras accipit quibus approbatur ad confessiones excipiendas « personarum utriusque sexus non tamen religiosarum ».

« Dum in publica ecclesia confessarii munere defungitur, fidelibus reliquis se adiungit « Soror » quaedam, ut aiunt, pertinens ad communitatem civitatis in qua Titius excipit confessiones, sed ad horam egressa e suo monasterio ad aliquod negotium componendum. In pluribus enim Institutis, integrum est Superiorissae facultatem facere exeundi per diem. Titius, audita confessione, absolvit sororem illam.

« Postea autem dubitare coepit utrum valide impertierit absolutionem, an contra, defectu iurisdictionis, nulla sit haec absolutio.

« Cum autem huiusmodi casus facile iterari possint, et, pro valore vel nullitate talis sacramentalis iudicii, variare debeat officium

inquirendi de condicione religiosarum quae in ecclesia publica accesserint ad confessarium, ideo suppliciter (orator) adit Eminentiam Vestram quatenus dubium sequens solvere dignetur :

« Utrum Titius, in casu, valide absolverit praedictam religiosam, an caruerit requisita iurisdictione.

« Quod si invalide absolverit, quomodo se in posterum gerere debeat si inter paenitentes animadverterit monialem ; id est, qua cura interrogare debeat de adiunctis in quibus versetur accedens « Soror ».

« *S. Paenitentiaria* ad praemissa respondet : Ratione habita « prioris statuti, Titium valide absolvisse : quoad interrogationes « vero faciendas, nisi prudens suspicio suboriatur quod paenitens « illicite apud ipsum confiteatur, posse Confessarium a supradictis « interrogationibus abstinere. Datum Romae, in Sacra Poeniten- « tiaria, die 7ª februarii 1901. »

B. Pompili S. P. Datarius
A. Celli S. P. Subr.

CAPUT IV

DE SACRAMENTO ORDINIS [1]

I. In Religionibus presse talibus

Litterae dimissoriae.

480. Notiones Ordinum communes. 1. Regulares ordinandi litteras *dimissorias* proprii Superioris regularis afferre debent, quibus simul is testatur nihil ordinationi obesse.

Ad quemnam dirigendae sunt Episcopum ?

Salvo speciali privilegio, dimissoriae istae dirigi debent ad Episcopum loci Monasterii ordinandorum [2] (vel viciniorem si in territorio sint *Nullius dioecesis* [3]), nisi Sedes vacaverit vel Episcopus non sit habiturus, temporibus statutis, *generales* ordinationes. Generales, inquam, quae per se in cathedrali ecclesia sunt faciendae. Ad speciales enim ordinationes quae in variis locis in gratiam v. gr. alicuius Instituti fieri consueverunt, Regulares se addere non sunt cogendi. Possunt itaque tunc ad quemlibet dimitti Episcopum catholicum eiusdem

---

[1] De hoc argumento, cfr. Gasparri, *Tractatus canonicus De sacra ordinatione.*

[2] In quo videlicet ex destinatione Superiorum habitent. Superiores vero qui ex industria subditum domicilio moveant eumque, facta ordinatione, ob falsam causam priori sedi restituant graviter carpuntur a Benedicto XIV. C. *Impositi Nobis.* Non videntur tamen ideo committi poenae decreti Clementis VIII. Cfr. Piat, II, p. 290.

[3] S. C. C. 24 aug. 1619.

ritus, modo habeant authenticam fidem [1] curiae dioecesanae de Sedis vacatione vel de non habendis ordinationibus generalibus. Decr. iussu Clem. VIII editum, 15 mart. 1596; Benedictus XIV C. *Impositi Nobis*. — Is tamen ad quem spectat, ius suum alteri Episcopo delegare non vetatur.

Speciale privilegium.

Religiones quaedam, v. gr. Societas Iesu, speciali fruuntur priviligio recipiendi ordines a quolibet catholico eiusdem ritus episcopo, annuente tamen Ordinario loci ubi futura sit ordinatio. Privilegium istud iis tantum prodest quibus post C. Tridentinum fuerit *directe* concessum vel in *specifica* forma confirmatum. Cfr. Wernz, *Ius Decr.* t. 2, n. 28.

Quid de testimonialibus?

2. Aliae litterae *testimoniales* non videntur in ipsis requiri [2]. Observes autem ante ingressum petendas fuisse, ex iure communi, Ordinariorum litteras testimoniales, ex decreto Pii IX *Romani Pontifices*; et praeterea, si qui coacti fuerint militare, ipsis, saltem in Italia, redeuntibus in Monasterium, opus fuisse testimonialibus litteris Ordiniariorum in quorum dioecesibus saltem per tres menses essent commorati. Decr. S. Congr. Super Disciplina regulari, 27 nov. 1892 ad 5.

Dispensatio ab interstitiis.

3. Ab *interstitiis* valet Episcopus etiam cum Regularibus dispensare quantum opus sit: plures enim generale iam habent privilegium. De veritate autem rationum cur regulares Superiores dispensationem postulent inquirere non potest. Cfr. Lucidi, *De Visitatione*, t. 1, c. 2, n. 122.

Dispensationis causae.

Nisi amplius concessum sit privilegium, ratio cur ab annali spatio inter acolythatum et subdiaconatum, vel inter diaconatum et presbyteratum dispensetur, debet, ex C. Tridentino, c. 11. 14, s. 23 *Ref.* esse Ecclesiae *utilitas* vel *necessitas*. Etsi enim remissio interstitii quod ad presbyteratum dicatur a Concilio facienda ob ecclesiae utilitatem *ac* necessitatem, alterutrum esse satis, declaravit S. C. Conc. 3 maii 1620 (Lucidi, t. 1, c. 2, n. 123). Verum, cum ecclesia sumi possit sive ea cui sacerdos addicatur sive dioecesis, in Regulari satis erit si interstitium remittatur ob necessitatem vel utilitatem monasterii: v. gr. quo levetur ejus inopia, quo oneribus Missarum, ministeriis obeundis satisfieri queat. Ceterum, teste Benedicto XIV (*Instit.* 58) utilitas ecclesiae iam habetur si ordinandus sit vir maturae aetatis et doctrinae laude praestans; raroque hodie, si tempora respicias et clericorum numerum, deficere condicionem, eleganter monet Gasparri, op. c. t. 1, n. 504.

Episcopus competens.

Porro Episcopus cuius est Regularibus, qui privilegio

---

[1] Fides ista requiritur non obstante contraria consuetudine. S. C. Conc. 18 aug. 1888. A. S. S. XXI, 364.

[2] Cfr. resp. S. C. Conc. 28 febr. 1654, quo declaratur satis esse ut Regulares observent formam decreti Clem. VIII, 15 mart. 1596, et alia responsa apud Pallottini, *Sacramentum Ordinis*, II, 177 sqq., vel Piat, II, p. 291.

careant, dispensationem ab interstitiis concedere, est Episcopus *ordinans* [1].

Hoc nomine intellegendus est, non Episcopus titularis qui re vera ordinet, cum is nullam habeat iurisdictionem, sed ille cuius, quod ad ordinationem, Regulares sunt subditi. Erit itaque *per se* Episcopus loci monasterii; vel, si is legitimo tempore non sit habiturus ordinationes, is ad quem Superiores miserint dimissorias. Denique si Episcopus ad quem spectat alteri Episcopo ius ordinandi delegaverit, is etiam poterit dispensare, si ab eodem Ordinario hoc simul sit ipsi concessum, vel fuerit dioecesanus habueritque privilegium dispensandi etiam cum non subditis.

Ita ferunt principia, quibus apparet dispensationem dandam esse ab eo qui competente polleat iurisdictione, et plane confirmatur communi doctorum placito, necnon resp. S. C. C. 20 dec. 1581 quae causam reicit « ad Episcopos dioecesanos ordinantes in quorum dioecesibus sunt monasteria in quibus ipsi ordinandi degunt ». Lucidi, t. 1, c. 2, n. 122.

Dispensatio in aetate.

4. Quod ad *aetatem* ordinandi, potest idem Episcopus uti cum Regularibus facultate quinquennali dispensandi. Ita a S. Officio declaratum, 29 ian. 1896, *facto verbo cum Sanctissimo.*

Periculum de scientia.

5. Salvo speciali privilegio, Regulares *scientiae competentis periculum* facere debent coram Episcopo sicut saeculares. Nec tenetur Episcopus ordinans deferre testimonialibus litteris Episcopi qui proprius est Ordinandi. De aliis qualitatibus stare debent fide Superioris regularis quae in dimissorialibus est danda. Cfr. Piat, op. cit. II, 297.

De tonsura et minoribus Ordinibus.

481. De prima tonsura et minoribus Ordinibus. Haec suis conferunt Abbates infulati, saltem si benedicti.

Quid de noviciis?

Alii Regulares suos etiam Novicios dimittere possunt ad Episcopum, ut istis gradibus ascendant. Cfr. n. **193**, 6.

De Ordinibus maioribus.

482. De Ordinibus Maioribus. 1. Quod *ad tempus*, habent Regulares generale privilegium VI cuius Ordines maiores recipere possunt *extra tempora* et etiam *duobus vel tribus diebus festis continuis.* Ita v. gr. Societas Iesu Brevi Gregorii XIII, *Pium et utile*, 22 sept. 1582; Leonis XII, *Plura inter*, 11 iul. 1826.

De privilegiis ordinationis extra tempora.

Agedum, pluries declaraverunt SS. Congregationes sive Concilii sive Rituum [2], atque ita communis iam habet et tenenda theologorum et canonistarum sententia [3], privilegium

---

[1] *Coll. Prop. Fid.* n. 1168, vel A. S. S., t. 25, 587.

[2] S. C. C. 15 ian. 1689, 20 april. 1782 (Lucidi, *De Visit.* t. 1, c. 2, n. 124; Gasparri, *De Sacra ordinat.* n. 73); praeter plura responsa S. R. C. quae idem tacite supponunt. Cfr. *Decreta authentica*, n. 2682 ad 1, n. 2705-2852.

[3] Lehmkuhl, II, 605; Ballerini-Palmieri, *Opus theol.* t. 5, tr. 10, n. 53. 54. 56; Génicot, II, 433; Benedictus XIV, *Inst. eccl.* 106; C. Gasparri, t. 1, n. 52. 72. 76; Wernz, *Ius Decr.* t. 2, n. 66; Piat, II, p. 300.

ordinandi *extra tempora* ita intellegendum esse ut Ordines maiores conferri possent tantum [1] quavis dominica et die festo de praecepto. Dies autem festi eruendi sunt ex catalogo Urbani VIII [2] licet hodie plures sint suppressi. S. R. C. 12 nov. 1831 ad 1 (*Decr. auth.* n. 2682).

Idem poterat colligi ex ipso tenore quorundam privilegiorum. Ita v. gr. Gregorius XIII de solis *sacris Ordinibus* loquitur cum privilegium concedit *extra tempora*. Nisi dicamus ipsum voluisse ampliorem pro Ordinibus maioribus quam minoribus dare facultatem, referenda est concessio ad dies festos, quibus ipsi minores Ordines recipi valent. Dies autem istos esse festos de praecepto iam ostendit C. de Lugo, *Responsa mor.* l. 1, d. 34. Diserte autem ab eodem Pontifice memorantur dies festi in privilegio recipiendi Ordines tribus *dominicis vel aliis festis diebus etiam continuis*.

Observes hoc Regularium privilegio non obligari Episcopum ad habendas ordinationes extra tempora. Quas si legitimo tempore sit habiturus, non poterunt iidem alterum interea, proprio saltem iure, adire Episcopum. Benedicti XIV C. *Impositi nobis* et S. C. C. 8 aug. 1888, apud Gasparri, n. 75.

De titulo.

2. Quod ad *titulum*, Regulares *sollemniter* professi, iique soli [3] ordinari possunt titulo *paupertatis*. Potiusque permittet S. Sedes ut professio ista fiat ante tempus, quam ut ante vota sollemnia promoveatur Regularis. Decr. *Auctis admodum*, n. 2. Notum est Societatem Iesu uti in hac re iure speciali.

De scientia theologica.

3. Quod ad *scientiam*, idem decretum *Auctis admodum* n. 6, vetat ne Professi ad sacros Ordines admittantur « nisi praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per *annum* sacrae theologiae operam dederint si agatur de *subdiaconatu*, ad minus per *biennium*, si de *diaconatu*, et quoad *presbyteratum*, saltem per *triennium*, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo. »

Age porro, per aliquod tempus operam dare alicui rei, est in eam per illud tempus praecipue incumbere.

Per posteriora autem decreti verba vetantur miscere studia theologica aliis studiis, utputa philosophiae, quibus aditus ad ea munitur ; iubentur autem rite parati et instructi ad haec studia accedere.

Annos denique intellegas studiorum, moraliter sumptos.

Quae sanctio quo efficacius urgeatur, debent iam Regulares [4] Italiae et insularum adiacentium, ante singulos

---

[1] Nisi forte, ut plures permittunt, consuetudo diuturna invaluerit latioris interpretationis.

[2] C. *Universa per orbem*, 13 sept. 1642.

[3] C. S. Pii V. *Rom. Pontif.* 14 oct. 1568 ; Pii IX, C. *Apostolicae Sedis*, 4 sept. 1869 ; Decret., *Auctis admodum*, 4 nov. 1892.

[4] Etiam Societatis Iesu, cuius privilegio, ad hunc tantum effectum, est derogatum.

ordines sacros recipiendos, coram examinatoribus episcopalibus, theologicae scientiae facere periculum [1].

Sanctio suspensionis.

4. Ex C. *Apostolicae Sedis*, inter suspensiones latae sententiae R. Pontifici reservatas, edicitur, n. 4, « Suspensio per annum a collatione ordinum contra eos qui, excepto legitimo privilegio, conferunt absque titulo beneficii vel patrimonii Ordinem Sacrum clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua sollemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. »

II. **In Congregationibus religiosis**

De requisito Superioris assensu.

483. Summa iuris. 1. *De consensu Superioris.* Nullus alumnus Instituti iuris pontificii ordinari potest nisi a suo Superiore fuerit propositus. Id ex potestate dominativa Superioris colligitur ; et formaliter habetur in C. *Conditae a Christo*, c. 2. n. VI.

De litteris dimissorialibus.

2. *De litteris dimissorialibus.* Proprius tamen Episcopus sodalium quod ad ordinationes non est Episcopus loci monasterii, sed Episcopus originis, vel beneficii, vel domicilii intellecti speciali ratione ut pro clericis saecularibus [2]. Itaque ordinari non possunt nisi a tali Episcopo vel ex *eiusdem* litteris dimissoriis ad alterum Episcopum directis [3]. Eiusdemque erit ab interstitiis vel aetate dispensare.

De indultis specialibus.

Plures tamen Congregationes, etiam non exemptae, obtinent privilegium vel indultum temporale, cuius gratia Superior ordinandos alumnos dimittit ad Episcopum monasterii, sicut ex iure communi faciunt Regulares, ita ut huc transferenda sint dicta n. **480-482**. Cfr. etiam *Periodicum*, t. 1, p. 78.

De litteris testimonialibus.

3. *De litteris testimonialibus.* Nullae requirendae sunt Episcoporum litterae testimoniales, si Superior religiosus *dimissoriales* litteras dare possit [4]. Quod si huiusmodi careat Indulto, requirentur eae litterae testimoniales quibus saeculares opus habent. Atque hodie S. Sedes iussa de litteris testimonialibus valde urget [5]. Necesse itaque est ut alumni isti afferant testimoniales litteras tum Episcopi originis tum

Quaenam requisitae ?

---

[1] Cfr. *Periodicum*, t. 2, pp. 30 et 75.

[2] Domicilium istud requirit, praeter iuratum animum perpetuo manendi, continuam decem annorum commorationem, vel notabile tempus habitationis cum instructis aedibus et translata in illam dioecesim maiore bonorum parte, nisi haec fuerint exigua. Lucidi, *De Visit.* t. 1, c. 2, n. 87.

[3] Non posse sine peculiari indulto dari has litteras a Superioribus Congregationum religiosarum, respondit etiam recens S. C. Ep. et Reg. 12 feb. 1894.

[4] Cfr. resp. 1 martii 1895, inter *Monumenta*, t. 2, *De Religiosis*, n. **242**, p. 657.

[5] Cfr. v. gr. S. Congr. Conc. in Causa Parentina et Polen., 14 iul. 1894. A. S. S. t. 27, p. 159 sqq.

omnium Antistitum in quorum dioecesi, septem iam annos nati [1], ad momentum ordinationis commorati sint per tempus quod iudicatur satis notabile ut moraliter potuerint canonicum contrahere impedimentum.

Tempus istud definitur a scriptoribus ad sex menses (moraliter continuos, ex declaratione S. Sedis [2]); pro clericis vero qui militiae sint addicti ad tres menses, ab ipsa S. Congregatione, 9 sept. 1893, 26 ian. 1895.

Litterae autem istae debent esse datae ad ordines suscipiendos et de dignitate candidati positive fidem facere [3]. Quare non satis sunt litterae concessae ad suscipiendum habitum, nisi simul distincte testentur nihil obesse quod ad Ordines suscipiendos. Nec testimonium datum ad Ordines minores sufficit ad Ordines maiores, cum impedimenta sint propria Ordinum sacrorum. Cfr. d'Annibale, *Summula* III, n. 292, nota 11. *In quem finem dandae ?*

Notum praeterea est provehendum ad ordinem superiorem afferre debere diploma de suscepto Ordine inferiore vel prima tonsura.

4. *Titulum paupertatis* non habent Instituta votorum simplicium, sed : *De titulo.*

a) Ut suos ad Episcopum dimittere possint, impetrare solent a S. Sede titulum privilegiatum [4] *Congregationis, Mensae communis,* vel *Missionis*, si evangelio propagando deputentur. *Quemnam habeant ?*

b) Quod ad *usum istius tituli*, observare debent decretum *Auctis admodum*. Quare iis tantum concedere possunt accessum ad maiores Ordines qui *perpetua* emiserint vota, vel saltem *per triennium* permanserint in votis temporaneis si Instituta ultra triennium perpetuam differant professionem [5]. *Tituli usus.*

---

[1] Ita plerique. Cfr. Santi, *Praelectiones*, l. 1, t. 11, append, n. 6 ; Gasparri n. 731. Usus tamen quarundam curiarum, v. gr. Parisiensis, non exigendi testimoniales nisi commoratio pubertatem (14 ann.) sit secuta, videtur nobis servari posse. Nec ante eandem aetatem requiritur haeresis abiuratio formalis (*Coll. Pr. Fidei*. n. 1860, ex S. Off.). Immo, Noviciorum testimoniales non sunt postulandae nisi post 15um aetatis annum. Cfr. Wernz, *Ius Decret*. t. 2, p. 59. nota 86.

Porro, decr. S. C. C. 13 maii 1899, declaratum est sufficere ut de vita et moribus eorum qui iam Ordinem aliquem susceperint a factis ad postremam ordinationem informationibus nova fiat disquisitio. (*Rev. theol. fr.* 1901, p. 475.)

[2] Cfr. *Periodicum*, t. 2, p. 118.

[3] Non sufficit declaratio negativa, non esse famam alicuius impedimenti. Tunc enim, obtenta facultate a S. Sede, providendum est per iuramentum suppletorium. S. Off., 26 ian. 1895.

[4] Etiam nunc opus esse peculiari privilegio, respondit Sacra Cong. Ep. et Reg., 12 feb. 1894.

[5] Quod si alumnus videatur ante triennium ordinandus, S. Sedes concedet ut maturius emittat vota perpetua et stabiliter aggregetur Instituto, potius quam sinet ipsum nondum firmiter Instituto devinctum ordinari. (Decr. *Auctis admodum*, art. 2).

Aperta itaque est S. Sedis mens, ut, quantum Instituti ratio sinat, nullus ordinetur nisi stabili nexu devinctus. Quare si in Superioris sit potestate maturius aut serius perpetua vota permittere, quamvis scripto legis ipsi optio non eripiatur, ad mentem S. Sedis faciet si eos tantum sacris augeri curet quos perpetuae votorum obligationi suscipiendae existimarit idoneos.

Triennium estne mathematice sumendum an non.

Porro de triennii istius aestimatione, haec dicenda videntur : **a**) Anni, deficiente legis definitione, sumi possunt civiles vel ecclesiastici, v. gr. a Paschate ad Pascha ; **b**) Cum non agatur hic de actus valore sed honestate, a mathematico rigore recedi potest, saltem ita ut si pauci desint dies (duo, tres, summum octo) urgeatque ordinatio, vel diu altera eius occasio exspectanda foret, spatium pro perfecto haberi queat. Cfr. dicta a Pirhing, l. 3, t. 31, n. 37.

Fides de studiis.

5. Debent praeterea Ordinandi testimoniales exhibere litteras de *peractis studiis theologicis,* ut dictum est de Regularibus.

De scrutiniis.

6. Ordinandi qui pertinent ad Institutum *non exemptum* iisdem quibus saeculares subiciendi sunt *scrutiniis.* Nomina igitur eorum erunt palam, secundum statuta dioecesana, in ecclesia proponenda, nisi tacita saltem Episcopi voluntate dispensentur.

De voto castitatis,

7. In suscipiendo subdiaconatu, alumni votorum *temporalium,* contra ac facere solent ii qui in perpetuum etsi simpliciter sunt professi, debent, invitante Episcopo, uno gressu procedere in signum castitatis in perpetuum promissae. Aliorum votum susceptione ordinis sacri « sollemnizatur ».

De promissione oboedientiae.

8. In collatione *sacerdotii,* alumni Congregationis *non exemptae* oboedientiam promittunt Episcopo, non secus ac saeculares ; dum Regulares et exempti spondent se proprio Praelato obtemperaturos.

De clericis qui dimittantur vel sponte discedant ?

484 Quaeres quo iure sint clerici qui, votis solutis, dimittuntur vel discedunt *a suo Instituto ?*

Ante decr. Auctis admodum.

1. *Ante* decretum *Auctis admodum,* alumni votorum simplicium legitime liberati suis votis, pleno iure cooptati erant in clerum dioecesis ad quam ante ingressum pertinebant. Cfr. v. gr. S. Congreg. Ep. et Reg. in duabus causis 20 ian. 1860. Bizarri, p. 909-911.

Dispositio istius decreti.

2. Ad parcendum Episcopis, qui de isto onere querebantur, Decr. *Auctis admodum* vetuit sub poena suspensionis, ne alumni *in sacris,* etiam quorum vota tempore finirentur, discederent ab Instituto antequam sibi providissent de ecclesiastico patrimonio et Episcopum reperissent benevolum receptorem. Exceptio autem ista nihil de *reliquo* iure superiore detraxit [1]. Quare :

---

[1] Optime id confirmat dictum a Nervegna, *De iure practico,* etc., p. 172, § 8.

a) Cum iis qui nullo sunt ordine aucti vel minores tantum susceperunt ordines, se geret Episcopus ut cum aliis suis dioecesanis fidelibus aut clericis. S. C. Ep. et Reg. in Mexicana, 20 ian. 1860, ad 4. Bizzarri, p. 909.

Quid de iis qui in minoribus erant ordinibus?

b) Excardinatio seu dimissio ad Superiorem Instituti, quam fortasse perpetuam dederit Episcopus originis [1], perpetua tamen non est nisi *condicionate*, quatenus alumnus permanserit in Instituto, ipso autem egressu vim suam amittit.

Excardinationis additio.

c) Si alumnus discedens velit in aliam dioecesim cooptari, consueti tractatus erunt faciendi, non cum Instituto, sed inter Episcopum recipientem et Episcopum cui, ante vitae religiosae initium, pertinebat candidatus.

Cooptatio in alteram dioecesim.

CAPUT V

DE EXTREMA UNCTIONE ET SEPULTURA

485. I. **De Regularibus.** 1. Quod ad extremam unctionem redeunt dicta de Viatico, n. **462.**

Extrema Regularium unctio.

2. Quod ad *sepulturam*: a) Exsequiae Regularium in propria eorum ecclesia peraguntur.

Sepultura.

b) Immo, ex iure canonico, sepeliri debebant in ecclesia seu coemeterio monasterii. Aliunde, in coemeterio communi quo nunc uti cogimur, tenet hoc principium, quod singulae ecclesiae in illo exerceant suum ius sepeliendi suos. Quare possunt Regulares suos defunctos in commune coemeterium deferre, cum stola et cruce conventus, sine interventu parochi, dum amoveatur sollemnis pompa (i. e. populi concursus, ministri sacris paramentis induti) et recto tramite procedatur.

Idem ius sepulturae competit *monialibus exemptis;* et pertinet ad earum confessarium.

486. II. **De Congregationibus.** Sodales Congregationum *per se* assimulandi sunt saecularibus. Sed, praeterquam quod plures sunt exemptae, in aliis ipse Episcopus indulgere solet ut vel proprii Superiores, si Institutum sit clericorum, vel deputatus Cappellanus in virorum vel sororum oratorio iusta persolvat defunctosque ducat ad coemeterium. Id ipsa consuetudine firmari tradit iam Bouix, op. cit. t. 2, p. 349.

Ius quo utuntur Congregationes.

[1] Hodie parum utiliter, cum vinculum quo clerici ad Institutum tenentur ex decr. *Auctis admodum* definiatur. Cfr. resp. 13 iul. 1894, 4°, *De Religiosis*, t. 2, n. **242**, B, p. 657.

CAPUT VI

DE DISPENSATIONIBUS A LEGE, A VOTIS, ETC.

487. 1. Quomodo Praelati regulares plerumque valeant subditos suos dispensare simili modo quo Episcopus suos fideles, et quaenam sint privilegia Confessariorum regularium dictum est supra. Cfr. n. **421**.

2. De usu iurisdictionis gratiosae ab Episcopo, cfr. n. **382**.

CAPUT VII

DE CURA PROFECTUS SPIRITUALIS ET INTIMO ANIMARUM DUCTU

ARTICULUS 1. Notiones generales et nominatim de ratione conscientiae

De quanam cura hic agatur ?

488. 1. Cura de qua hic agimus distincta est a spirituali gubernatione quae, sacramentorum contenta administratione et sacra praedicatione, erga omnes fideles exercetur. Istius iurisdictionis usus ad viros tantum ecclesiasticos spectare potest, estque penes Superiores regulares quod ad Instituta *exempta ;* et quod ad alia, penes sacerdotes delegatos ab Episcopis dioecesium in quibus habent domicilia. Cfr. C. *Conditae a Christo*, c. 2, n. 8.

Verum hic quaeritur de *spirituali sollicitudine* quae refertur potius ad *domesticam* et *paternam* potestatem, ita ut per se etiam in laicum et in mulierem cadere possit.

Praecipui eius actus.

2. *Eius praecipui actus* huc spectant, ut disponantur communiones, corporis afflictationes, spirituales lectiones, variisque consiliis subditi adiuventur in dubiis, in tentationibus, in iis quae videntur ad spiritualem eorum profectum aptata. Quod quo facilius praestetur, inductus est mos *rationis conscientiae.*

Rationis conscientiae definitio.

489. De ratione conscientiae. 1. *Definitio.* Cum Suarez [1], definitur : « Manifestatio status conscientiae quam subditus facit Superiori ut ab eo intime cognoscatur, tam in moribus, quam in affectibus, quam in propensionibus suis. »

---

[1] *De Religione*, tr. 10, l. 10, c. 6, n. 2.

2. *Finis* primarius et immediatus est *ipsum bonum subditi.* *Mediate* consulitur etiam bono Instituti, tum quatenus coniunctae sunt subditi et Instituti rationes, tum quatenus Superior cognitionem istam ad bonum Instituti ordinare non prohibetur, modo id fiat sine subditi damno aut incommodo positivo, et proinde sine secreti revelatione. Ita v. gr. potest Superior committere ministerium minus gratum subdito quem ex ista ratione noverit firmae virtutis, et contra, arcere honore periculoso quem nimis vanae gloriae deprehenderit cupidum. In haec consetur per se subditus tacite consentire. Cfr. Suarez, tr. 10, l. 10, c. 6, n. 13. *Finis immediatus, mediatus.*

3. Quod ad *secretum,* per se haec conscientiae manifestatio infert gravissimam obligationem secreti commissi ad consilium petendum, nisi quod ob finem ad quem ordinatur permittitur, citra revelationis periculum, usus quem diximus. Potest tamen subditus hunc usum exteriorem positive prohibere, sicut potest etiam maiorem concedere facultatem utendi : permittere v. gr. ut secreto dictum communicetur cum Praelato maiore. Quem consensum, valde circumspecte tamen, etiam *praesumi* aliquando posse non negatur. *Obligatio secreti.*

Praeterea huiusmodi assensus tacitae subest condicioni : modo fiat intra finem ob quem conscientia manifestatur. Quare *gravissime carpendus sit Superior,* et quidem *iniustitiae,* qui *directe vel indirecte* expellat invitum subditum cuius hac tantum via vitium noverit. Nec assensus subditi hanc iniustiam tollit, nisi probe noverit sibi ius esse abnuendi. Similiter, praeter secretam paenitentiam medicinalem, nullam poenam petere potest Praelatus ob delicta hac una via sibi nota.

4. Quod ad *modum* recipiendi conscientiae rationem, is debet esse prudens et paternus, cavendumque est Superiori ne in interrogatione nimis anxius videatur. *Modus.*

5. *Differt* autem *ratio conscientiae :*

a) A *confessione,* cum *obiecto* tum *fine. Obiecto,* nam confessio fit peccatorum tantum, dum ratio conscientiae complectitur et tentationes et actus bonos ; *fine,* nam confessio dirigitur per se ad cordis *munditiam* per gratiam ex *opere operato,* ratio conscientiae ad positivum profectum spiritualem cum auxilio gratiae, ex *opere operantis.* *Collatio rationis conscientiae et confessionis ;*

b) Ab inquisitione *iudicis* vel *superioris domus,* iterum *fine* et *obiecto. Fine* inquam : iudicis enim vel superioris cognitio exercetur ad bonum vel publicum vel totius domus ; *obiecto* autem, quia praeter interrogationes *generales,* si quae fiunt *speciales,* ad ea spectant de quibus iam habetur exterior suspicio quae causam det interrogandi. *Cognitionis iudicialis vel quasi talis ;*

c) Ab interrogatione *paterna,* non tam fine quam obiecto. Utraque enim intendit bonum subditi, sed pater non solet *Interrogationis paternae.*

scitari filium nisi ea quae per se exterius cognosci possint, dum hic plenior fit communicatio ut plenior sit procuratio boni spiritualis.

ARTICULUS II. A quibusnam haec cura exerceatur

Quisnam inter clericos spiritualem hanc curam exerceat?

490. In Institutis clericorum. Spiritualis curae partes iam, quantum opus est, assumere solet *Confessarius*. *Proprius Superior* prudenter hanc spiritualem gerere curam omnibus his mediis non prohibetur [1]. Haec autem non est provincia Episcopi [2], neque eius delegati, quod ad Instituta non dioecesana. In dioecesanis, sponte ad ipsum adeuntes adiuvare non prohibetur ; ut autem rationem conscientiae exposcat, videtur nobis opus esse ut ipsius Instituti sit quasi domesticus Superior, dominativa pollens auctoritate.

In Institutis laicorum, quae cura competat Superiori?

491. In Institutis laicalibus virorum vel mulierum,

1. Paterna quaedam sollicitudo spiritualis non est a Superioribus abiudicanda.

2. Ad ipsos etiam spectat ordinare quae ad *exteriorem disciplinam* quadantenus attinent. Huiusmodi sunt ipsae corporis afflictationes, designatio librorum qui legi possint.

Leges speciales quibus haec cura circumscribitur.

3. Ob plures tamen qui irrepserunt abusus, S. Sedes paulatim inducta est ad ferendas leges quibus concessio vel negatio *communionis* soli addiceretur Confessario [3] ; ratio vero *conscientiae* prius exteriore regulae observantia et profectu in virtutibus circumscriberetur, postea autem omnis eius tolleretur obligatio, et nulla altera permitteretur conscientiae revelatio nisi prorsus spontanea. Hoc decernitur et efficaciter sancitur praecipuis articulis decreti *Quemadmodum*, quorum operae pretium est aliquantum perpendere vim.

De Decreto Quemadmodum.

492. De sanctionibus decreti Quemadmodum [4].

Genus interpretandi.

A. Quod ad *interpretationem*, lex illa quae corrigit ius et directe tam Superioribus quam subditis imponit onera, est *stricte* accipienda.

Instituta obnoxia decreto.

B. Quod ad *Instituta*, lex : **a**) Circumscribitur Institutis virorum et mulierum omnino *laicis :* non afficit ergo Instituta quae a presbyteris reguntur ; **b**) Spectat tam Ordines votorum sollemnium quam Congregationes votorum simplicium et pias Societates. Et decet saltem ut dioecesana Instituta ad idem regimen se accommodent. De novis Institutis, post decretum 16 iul. 1906, recurrunt dicta n. **477**,1.

---

[1] Salvo tamen decreto *Sacra Tridentina*, quo frequentia communionum cum confessario est ordinanda.

[2] C. *Conditae a Christo*, c. 2, n. 11.

[3] Cfr. dicta supra, n. **465**.

[4] De isto decreto apposite scripserunt RR. PP. Lehmkuhl, Adigard e S. I., Meynard, O. P., Pius de Langogne, O. F. M. C.

C. Quod ad *dispositiones :*

Sanctiones ;

Abolitio constitutionum ;

1. Per amplissimas clausulas abrogantur quaelibet constitutiones eorum Institutorum « in eo quod *cordis et conscientiae intimam manifestationem* quovis modo ac nomine respiciunt. Ac propterea serio iniungit (Sanctitas Sua), Moderatoribus ac Moderatricibus ut ex propriis Constitutionibus, Directoriis ac Manualibus hae dispositiones omnino deleantur ac penitus expungantur. » Delentur pariter usus de hac re etiam immemorabiles (art. 1). Materialis illa suppressio constitutionum praecipitur sub peccato : istud tamen non esse per se grave significatur ipsa mitiore forma verborum : *serio iniungit.*

Prohibitio ne Superior suadeat rationem conscientiae.

2. « *Districte prohibet* memoratis *Superioribus* ac *Superiorissis,* cuiuscumque gradus ac praeeminentiae sint, ne *personas* sibi *subditas inducere* pertentent *directe*, aut *indirecte,* praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis, ad *huiusmodi manifestationem* conscientiae sibi peragendam. »

Quam grave sit velitum ?

a) Est ergo prohibitio *gravis*, sed ex genere suo, ita ut admittat parvitatem materiae. Parva erit materia, si levis nec diuturna fuerit coactio vel de re agatur modici momenti, cuius revelatio non afferat notabile gravamen : utputa quodnam sit obiectum examinis particularis.

Quinam obligentur ?

b) *Superioribus* facta est lex, non autem confessariis, qui possunt interdum utiliter subditum ad Superiorem vel Superiorissam remittere.

Quid de novitiis ?

c) Personae *subditae* sunt quotquot fecerint vota. Quid de *novitiis ?* Plerique illos volunt comprehensos : sunt enim vere subditi ; atque id confirmatur recentibus constitutionibus *Sororum Pauperum* [1]. Quidam tamen dubitant. Namque subiectio ista est longe minus perfecta, cum in potestate sit noviciorum iugum istud ponere. Praeterea, cum informandi sint ad vitam religiosam, vix poterit sine anxietate officio suo fungi magister vel magistra noviciorum, si severa ista prohibitione teneantur. Novimus denique ab Em° Cardinali Protectore cuiusdam Congregationis esse responsum novicios hoc decreto non affici. Quare negans sententia sat verisimilis nobis videtur. Quod dicimus, non eo consilio ut magister noviciorum instituat formaliter exigere conscientiae rationem, sed ut possit sincero animo et cum pace suo officio vacare.

Quinam videantur inducere ?

d) *Inducere directe vel indirecte* est moralem aliquam exercere vim. Haec facile inest in simplici Superioris interrogatione. Quare etiam hac tutius abstinebitur.

---

[1] « Pour les communications spirituelles et tout ce qui regarde l'intérieur elle (la Maîtresse des novices) s'en tiendra à ce que le S^t Siège a réglé par le décret *Quemadmodum.* » *Constitutions*, 2 p., c. 2.

Casus.

Non tamen *inducit* Superior qui, dum cernit subditum velle aperire animum suum et interpretative rogare ut audiatur sed aliquo rubore impediri, ipsi animos addit et prudenter viam sternit ad istam ultroneam manifestationem : puta subditum iam sponte queri de animo anxio, etc.

Nec inducit, qui, abstinendo a consilio particulari, in universum ostenderit commoda coniunctionis cum Superioribus et spontaneam illam laudat difficultatum significationem quae decreto permittitur. Cavendum tamen hic est ne subdole in fraudem legis agatur.

Quid conscientiae manifestatio?

e) *Ad huiusmodi manifestationem conscientiae.* Ad huiusmodi, id est ad intimam. Nullatenus igitur prohibetur Superior inquisitione domestica vel interrogatione paterna quam supra n. **431**, descripsimus. Itaque non committit in legem Superior qui, dum subditum observat tristitia affectum, causam scitatur ut ei sit solatio, nec qui interrogat de observato silentio, praesertim si suspicio sit defectus, vel de modo quo noverit orare, ut bonam docere possit methodum.

Obligatio deferendi.

3. « *Subditisque* e converso *praecipit,* ut Superioribus maioribus denuntient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et, si agatur de Moderatore vel Moderatrice generali, denuntiatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat. »

a) Est *per se* gravis deferendi obligatio, si materia gravis, i. e. si *exterior* agendi ratio graviter adversetur legi, etsi Superior subiective non peccarit. Génicot, II, 89. Obligatione tenentur omnes et singuli qui *inducti fuerint,* nisi unus nomine omnium fecerit ; non autem, ex iure positivo, tenentur qui mere noverint aliquem esse inductum.

b) *Superior maior,* si domus sit sui iuris, erit vel Episcopus vel S. Sedes.

c) Cum *tempus* non sit definitum, *per se* opportuna occasio exspectari potest. Facta delatione, subditus satisfecit obligationi, nec per se debet, etsi Superior maior rem nihili facere videatur, alterum adire.

d) Denuntiatio non est leviter facienda, sed certum sit delictum oportet.

e) Obligatio tollitur, ut est verisimile, simul ac Superior videtur, intellecto errore, prorsus ab his artibus revocatus.

Ultronea communicatio.

4. « Hoc autem minime impedit, quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu. »

a) Res ergo, etiam maxime intimas, sponte sua manifestare subditus non prohibetur, etsi praesens lex positive non permittat nisi revelationem ordinatam ad virtutum acquisitionem et progressum. Et quamvis prudentis Superioris sit

quaedam ad confessarium reicere, quae huius officium magis spectent, et impedire ne nimis protrahantur colloquia certi argumenti, fieri tamen potest ut ipse unus animo perturbato esse valeat auxilio, et confessarius utiliter suadeat manifestationem Superiori vel Superiorissae. Cfr. Adigard in suo commentario, qui bene hoc proponit et contrarias rationes redarguit.

b) Moniali petenti ut interrogare, sicut ante, pergat, morem gerere poterit Superiorissa singulis quibus petit vicibus. Licentia autem generali non est utendum nisi quam diu appareat subditum eodem esse animo.

c) Si ultro aliquid consilii petendi gratia aperiatur, poterit Superior, ob tacitam subditi petitionem, interrogare de iis quae necessaria sint ad illud dandum consilium. Immo interpretativa quaedam subditi petitio, ut diximus, non repugnat. Sed hic, cave a periculo hallucinandi.

PARS OCTAVA

DE SACRIS REGULARIUM MINISTERIIS

CAPUT I

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA [1]

S. Thomas, 2, 2. q. 187 art. 1 ; q. 188, art. 2-5 ; *Opuscul.* 19, *contra impugnantes religionem*, c. 2-4 ; *Passerini, De Hominum Statibus*, t. 3 in 2, 2, q. 188, art. 2-5 ; *Suarez, De Religione*, tr. 8, l. 3, c. 19 ; *Sanchez, In Decalog.* l. 7, c. 29, n. 11 sqq. ; *Reiffenstuel*, in l. 3 Decr. t. 37 ; *Schmalgrueber*, in eund. tit. *Tinnebroeck-De Buck, Examen historicum et canonicum libri R. D. Verhoeven*, etc. c. 18-20 ; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 1, p. 1-70 ; s. 3, c. 1, p. 174-187 ; *Mélot, De Ordinibus*, etc. n. 182-187 ; *Biederlack, De iure Regularium*, n. 124 ; *Piat, Praelectiones iuris regul.* t. 2, p. 20-24 ; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, n. 666 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 213-222, 234-237.

Per se Regulares sunt habiles ad exercenda munia spiritualia.

493. Qua ratione sint habiles. 1. *Per se* nihil repugnare quin iidem qui profitentur perfectionem munia exerceant spiritualia, sed contra maxime esse optandum ut utrumque coniungatur studium, plane est in aperto, nisi velis hoc tenere absurdum, quod una eademque caritas ad terminos veluti contrarios dirigatur, dum in Deum simul et in proximum tendere cogitat ; nobilissimaque animarum cura, quam a S. Petro tamquam amoris documentum Dominus visus est postulare, ipsi illi amori sit per se contraria ! Cfr. S. Thom. 2, 2, q. 187, art. 1.

Cur quaedam ministeria minus ipsis congruant ?

2. Si quae ergo inter statum religiosum et nonnulla sacra ministeria cernitur repugnantia, haec *per accidens* manat vel ex *fine speciali* Instituti quod soli vacat contemplationi ; vel

[1] De hoc argumento cfr. *Supplementum* VIII alterius tomi, quod ex Codice R. P. Mélat sumus mutuati.

ex *forma coenobitica* status religiosi, cui minus congruunt nonnulla officia ; vel ex *exemptione* qua Praelati ordinarii non satis servaretur decor ac dignitas, si auxiliariis exemptis ipsi praecipue esset utendum.

494. Error repudiandus. 1. Plane ergo decepti sunt qui eas finxerunt partes Regularium in spiritualibus ministeriis, ut in subsidium Ordinariorum tum demum essent vocandi cum saecularium sacerdotum deficeret copia.

Non tantum deficiente clero saeculari vocandi sunt regulares.

a) Errorem istum videtur invenisse Gulielmus a S. Amore, contra quem S. Thomas scripsit opusc. 19, *Contra impugnantes religionem*, c. 4.

Error Gulielmi a S. Amore.

b) Eundemque acrius propugnavit ianseniana synodus Pistoriensis, arguens regularem statum per se conciliari non posse cum muneribus sacris. Quod assertum profligavit Pius VI, C. *Auctorem Fidei* (1794), damnando prop. 80am hoc modo : « Regula 1, quae statuit universe et indiscriminatim statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet ipsiusmet vitae monasticae principiis ; falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiae Patres et Praesules qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt iniuriosa, piovetusto, probato Ecclesiae mori, summorumque Pontificum sanctionibus contraria : quasi monachi, quos morum gravitas et vitae fidei institutio sancta commendat, non rite nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiae clericorum officiis aggregentur. — Ex S. Siricio, epist. decr. ad Himerium Tarraconensem, c. 13. »

Error synodi Pistoriensis.

Pii VI reprobatio.

c) Ab his non longe discrepabat Marianus Verhoeven, professor Universitatis Lovaniensis, dum opusculo *De regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis*, allegando *mentem Ecclesiae* et *necessitatem ordinis hierarchici*, contendit in negotiis et officiis ecclesiasticis quae ad saecularium curam attinent Regulares non versari debere nisi « in subsidium tantum et defectum cleri saecularis, » eaque demum ratione quam Episcopus iudicaret expedire. Huius proinde arbitrio, posse Regularibus negari facultatem audiendi saecularium confessiones si videantur saeculares sufficere, neque hac exclusione aliquem iustae offensioni dari locum. Opusculum istud redarguit opus cui titulus *Examen historicum et canonicum libri R. D. Mariani Verhoeven*, quod, etsi prodiit sine nomine scriptoris, satis notum est a P. De Buck S. I. praecipuaque opera Pis Tinnebroeck S. I. fuisse conscriptum. Operis istius non est vulgatus nisi prior tomus.

Error satis similis Verhoeven.

2. Re autem vera, praeter iurisdictionis divinitus constitutos gradus, S. Pontificis dico et Episcoporum, ceteros clericos esse Ordinariorum *auxiliarios* facile apparet ; quod

Errores isti destituuntur argumentis.

autem regularis ordo non sit in universum, nisi subsiciva ratione et deficiente saeculari, spiritualibus addicendus muneribus, id, cum iuris divini consideratio potius contrarium suadeat, ex positivis documentis luculenter foret efficiendum. Talis autem Ecclesiae mens colligi nequit ex privilegio *exemptionis*. Namque : **a**) Exemptio est a sola Episcopi dioecesani iurisdictione, non autem ab auctoritate Summi Pontificis, qui, cum sit omnium fidelium Pastor etiam *immediatus*, ubique valet sibi proprios adsciscere adiutores. **b**) Cura fuit SS. Pontificum ita exemptionem temperandi ut ex sacris Regularium functionibus nihil de episcopali auctoritate detraheretur.

Immo positive redarguuntur.

3. Contra autem non satis esse si in modum dumtaxat exceptionis Regulares sacra obire munia volueris, manifesto perspicitur : **a**) Approbatione Institutorum in dies numero frequentiorum quae *per se* ipso fine ad quem nata sunt his addicuntur ministeriis ; **b**) Ipsis statutis positivis, quibus si quaedam munera potius deputantur saecularibus, alia magis pertinere videntur ad regulares [1], in praecipuis autem Ecclesiae dignitatibus aequali loco et iure sunt uterque clerus constituti ; **c**) Ipsis litteris SS. Pontificum et traditione ecclesiastica [2], quam nuper confirmavit S. Pontifex Leo XIII litteris ad Em. Archiep. Parisiensem, gallice datis 23 dec. 1900, in quibus, praeter plura alia, votis religiosis bina haec affirmat intendi, propriam perfectionem et ministeria caritatis erga proximum.

Iuvat locum istum exscribere : « Le but de ces engagements (des religieux) est double : d'abord d'élever les personnes qui les émettent à un plus haut degré de perfection ; ensuite les préparer, en épurant et en fortifiant leurs âmes, à un ministère extérieur qui s'exerce pour le salut éternel du prochain, et pour le soulagement des misères si nombreuses de l'humanité. »

Praesens disciplina.

De gradibus supremis :

495. Praesens disciplina. 1. *Ad Summum Pontificatum, Cardinalatum, Episcopatum,* ordinari possunt Regulares aeque ac saeculares. Immo, in Graeca parte Ecclesiae, ob continentiam perfectam qua etiam huius ritus astringuntur Episcopi, omnes huius gradus Praelati ex monasteriis educuntur.

De munere Vicarii generalis.

2. Ad munus *Vicarii generalis*, nisi fuerint mendicantes,

---

[1] Ut antiquum memoremus decretum, quod spectat v. gr. ad munus Confessarii, in conc. *Nemaucensi*, sub Urbano II, dicitur : « Oportet eos, qui saeculum reliquerunt, maiorem sollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, et plus valere eorum peccata solvere quam presbyteri saeculares. » Mansi, t. 20, c. 934-935.

[2] Cfr. *Supplementum* VIII. Iam S. Thomas (q. 187) arguit ex hac traditione ; et res patet ipsa disquisitione historica facta ab initio.

pariter idonei sunt Regulares. Usus tamen est petendi facultatem S. Congregationis Episc. et Regul.

De Beneficiis minoribus.

3. *Beneficia minora* sunt alia *saecularia, regularia* alia. De his haec duo observantur : **a**) Beneficia *praesumuntur* saecularia ; **b**) Saecularibus saecularia, regularia Regularibus conferenda sunt, nisi aliter Papae placuerit. Generale tamen privilegium habent canonici regulares Praemonstratenses, vi cuius paroeciis saecularibus praefici possunt [1]. Cfr. Benedictum XIV, C. *Oneroso*, 1 sept. 1750.

Alumni Congregationum religiosarum a nullo arcentur beneficio saeculari, vi iuris communis Ecclesiae. Aichner, *Compendium* etc. p. 485.

De dilatanda fide.

4. In *dilatandae fidei missione*, religiosis potissimum utitur Ecclesia.

De ministeriis sacris.

5. *Ad ministeria sacra exercenda*, sacerdotes regulares, aeque ac saeculares, *delegari* possunt a loci Ordinariis.

De gradibus academicis et muneri docendi.

6. Per se etiam promoveri possunt ad *gradus academicos* [2] et *docere* in publicis scholis. Cfr. Pellizarium, tr. 8, c. 4, s. 2.

N. B. De his cfr. cc. Si religiosus, 27, et Nullus religiosus, 28, *De electione* etc. in 6 (I, 6) ; cc. De monachis, 12 ; In Lateranensi, 31. *De praebendis* (III, 5) ; cc. Cum et plantare 3, *De privilegiis* (V, 33) ; cc. In Ecclesiis, 1, *De capellis monachorum* (III, 37) ; c. Presbyteri, unico, *De capellis monachorum* in 6 (III, 18) ; *Clement.* Frequens, 1, *De excessibus praelatorum* (V, 6) ; c. 7, s. 7, C. Tridentini, *De reformatione ;* C. *Ad exsequendum*, S. Pii V, 1 nov. 1567 [3].

CAPUT II

DE SACRIS MINISTERIIS EX POTESTATE ORDINARIA

ARTICULUS 1. De Cardinali vel Episcopo regulari

S. Thomas, 2, 2, q. 185 art. 8 ; *Passerini, De Hominum Statibus*, in h. l. t. 1, p. 385 sqq. ; *Sanchez, In Decal.* l. 6, c. 6 : l. 7, c. 32, n. 62 sqq. ; *Lessius, De iustitia*, etc. l. 2, c. 40, n. 112. 113 ; *Suarez, De Religione*,

---

[1] Olim saeculares parocciae poterant etiam regularibus conferri in titulum. Cfr. Bouix, t. 2, p. 46.

[2] Quod de laurea S. Scripturae praecipue definitum est litt. encycl. S. C. Ep. et Reg. 19 apr. 1904. His habitualis concessa est facultas ut Regulares gradus istos consequerentur. Cfr. PERIODICA nostra, n. **25**, t. 1, p. 81.

[3] Haec, revocata prius C. *In tanta rerum* Gregorii XIII, 1 maii 1573, est dein eiusdem Pontificis oraculo vivae vocis restituta. Cfr. Bouix, t. 2, p. 23 sqq.

tr. 8, l. 3, c. 16-19; ***C. de Lugo***, *Responsa moralia*, l. 5, d. 12; ***Pellizarius***. *Manuale*, etc. tr. 3, c. 5, n. 15-17; tr. 4, c. 1, n. 23; c. 2, n. 183-186. 366-371; c. 4, n. 82-85. 138. 172-178; tr. 5, c. 7, n. 37; c. 8, n. 21; tr. 6, c. 6, n. 13; c. 9, n. 16. 51; c. 10, n. 7; c. 11, n. 9; ***Schmier***, *Iurisprudentia canonico-civilis*, l. 3, p. 290. 294; ***Rotarius***, *Theol. mor. regular.* t. 1, l. 3, c. 4; ***Reiffenstuel***, in l. 1 Decr. t. 6, n. 315-317; ***Schmalzgrueber***, in l. 3, t. 5, n. 86; t. 37, n. 6. 7. 8; ***Bouix***, *De iure regularium*, t. 2, p. 6, s. 1, c. 3, p. 436; ***Mélot***, *De Ordinibus*, etc. n. 103-105; ***Piat***, *Praelectiones iuris regul.* t. 1, p. 188-195. 263. 306; t. 2, p. 115. 633; ***Wernz***, *Ius Decretalium*, t. 3, n. 680; ***Angelus a SS. Corde***, *Manuale*, etc. t. 1, p. 202-204; ***Santi***, *Praelectiones iur. can.*, l. 3, t. 35, n. 10-14.

Promotio permissa iure communi.

496. Stando iure communi, Religiosi possunt creari *Cardinales*, eligi in *Episcopos* et suae assentiri electioni. CC. Si religiosus, 27, et, Nullus, 28, *De electione* in 6 (1, 6); c. Dispendiis, unic. *Extr. Comm. De postulatione* (1, 2) et c. Si religiosus, 2, *Extr. Comm. De electione* (1, 3).

De Cardinali regulari.

497. I. **De Cardinali regulari**. 1. Religiosus promotus ad Cardinalatum vere manet *regularis*, propriaeque Religionis servat in *vestibus* signum [1]. Qui tamen e canonicis vel clericis regularibus assumuntur simili saecularium Cardinalium utuntur vestitu, nisi quod sericis vestibus abstinent.

Eius status, vestes.

Obligatio quod ad vota,

2. *Votis* tenetur professionis suae. Itaque non sibi acquirit bona sed vel ecclesiae cuius gerit titulum, vel Ecclesiae romanae. Solet tamen S. Pontifex ipsi reddere ius testandi.

Postquam, sic iubente S. Pontifice, aliquis coactus fuerit snscipere *Cardinalatum*, non videtur iam voto arcendi dignitates impediri quin fiat *Episcopus*.

Soli S. Pontifici oboedire debet.

Regulas.

3. Quod ad *observantias regulares*, eodem est loco quo Episcopus regularis, de quo statim.

De Episcopo regulari.

498. II. **De Episcopo regulari**. 1. Episcopus iste manet sodalis sui Ordinis.

Eius status;

Habitus;

2. Nisi fuerit canonicus vel clericus regularis, Ordinis propriam ferre debet tonsuram et habitum.

Obligatio quod ad regulas,

3. Quod ad regulas suae professionis, obligationem, de qua aliquantum est dubitatum, ita declaravit S. C. EE. et RR. [2] declaratione a Pio IX, 6 maii 1864 confirmata: « *Affirmative*, ad praescriptum C. Benedicti XIII incip. *Custodes* [3]: nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis quae materiam voti paupertatis deter-

---

[1] Solus S. Pontifex qui ex regularibus assumatur habitum suae religionis plane exuit.

[2] Cfr. causam istam fuse propositam apud Bizarri, p. 767-774.

[3] Constitutio ista, 1 mart. 1725, est de hoc argumento conferenda. Cfr. *De Religiosis*, t. 2, n. **254**, p. 671 (ed. 2 vel 3).

minant ; item tenetur alias regulas et observationes dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare qua tenebatur antequam dignitatem episcopalem assequeretur, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali conveniant. »

Quod ad oboedientiam, Paupertatem.

4. A dominatu praelatorum regularium est exemptus. A. S. S. t. 1, pp. 227. 449. 463. 465.

5. Exceptis scriptis, nihil e claustris secum afferre permittitur bonorum quibus utebatur quando promotus est.

6. Per ipsam promotionem capax fit succedendi, etiamsi pertinet ad Ordinem huius iuris impotentem ; renuntiatio autem ante professionem facta de bonis suis revocatur quod ad hereditates quae non sint alii ante Episcopatum acquisitae. A. S. S. t. 1, p. 227 nota. Omnia autem acquirit suae ecclesiae.

Quid si dimiserit ecclesiam ?

7. Si ab ecclesia sua, ob aliquam causam, recesserit, ad claustra redire debet, sed eligere potest monasterium sui Ordinis, in quo degat ; et, nisi simul renuntiaverit suae dignitati (obtinere potest ut omnibus insignibus se spoliet), non videtur subdi Praelatis regularibus. Neque ad officia et dignitates sui Ordinis is qui soli Ecclesiae renuntiaverit promoveri potest.

Quid si sodalis Congregationis?

N. B. Quae diximus videntur, ob causae similitudinem, traducenda etiam ad Episcopum qui adsciscitur ex *Congregatione religiosa*. Cfr. Avanzini, A. S. S. t. 1, p. 466.

ARTICULUS II. De Parocho regulari

Sanchez, In Decal. l. 6, c. 6, n. 36-39 ; *Suarez, De Religione*, tr. 8, l. 3, c. 19 ; *Pellizarius, Manuale Regul.* tr. 8, c. 4, n. 104-142 ; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 3, d. 9 ; *Rotarius, Theol. mor. regul.* t. 3, l. 3, c. 3, punct. 3 ; *Reiffenstuel, Schmalzgrueber*, in l. 3 Decr. t. 37 ; *Bouix, De iure Regul.* t. 2, p. 5, s. 1. c. 2 et 3, p. 9-55 ; s. 7, p. 350-375 ; *Mélot, De Ordinibus*, etc., n. 170-175 ; *Biederlack, De iure regularium*, n. 125 ; *Piat, Praelectiones*, etc., t. 2, p. 20-24 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale*, etc., t. 2, p. 215-222.

Parochi institutio.

499. Parochi regularis institutio. Haec variat pro varia parochiae qualitate. Etenim :

Si paroecia plene regularis ;

1. Parochia esse potest *regularis*, seu ipso monasterio *perfecto* iure coniuncta. Porro plene incorporatur monasterio paroecia cuius reditus temporales monasterio obtingunt et spiritualis cura est penes monasterium tamquam parochum habitualem. Actualis istius paroeciae cura committitur Regulari, nomine *Vicarii-curati*, qui ad nutum est amovibilis. Hunc designat Praelatus monasterii, examinat tamen in

hunc finem et approbat Episcopus loci, qui etiam tali Vicario confert *institutionem authorizabilem* [1].

Si minus plene ;

2. Parochia potest esse unita monasterio quod ad *solos reditus temporales*. Quo casu, ei praeficiendus est *Vicarius perpetuus*, qui proinde, excepto iure speciali Praemonstratensium, regularis esse posse non videtur [2]. *Institutio* autem pertinet omnis ad Episcopum, relicta Superiori regulari facultate *praesentandi*.

Si plane saecularis.

3. Denique parochia esse potest *saecularis*, in cuius collatione monasterium nullas partes habet. Quod si huiusmodi paroecia vere, ex diplomate pontificio, Regulari conferatur *in titulum*, is separatur a monasterio, atque, a Praelati regularis potestate exemptus, quod ad utrumque forum in dicionem transit Episcopi, bonaque acquirit non iam monasterio sed ecclesiae suae. Cfr. Suarez, *De religione*, tr. 8, l. 3, c. 19, n. 29.

Plerumque autem non obtinet titulum nisi precarium vir regularis, ita ut ne in certum quidem tempus securam habeat possessionem. Quo iure utuntur etiam canonici Praemonstratenses. Cfr. Bouix, t. 2, p, 49, 3. Itaque hunc tantum casum in sequentibus contemplamur.

Regimen parochi regularis.

500. Parochus de quo agimus : 1. Ab Ordine suo non est separatus nec etiam saecularizato ad tempus assimulari potest.

Eius condicio regularis,

2. Ad arbitrium tam Episcopi quam Superioris regularis officio suo privari potest : neque alter Praelatus alterum audire debet. Monendus tamen erit Episcopus ut possit mature providere paroeciae.

Remotio ab officio,

Superiores,

3. Utriusque Superioris experitur iurisdictionem ; ita ut in his quae spectant ad curam animarum oboedire debeat Episcopo [3], cuius in hac re est praevalens ius, in ceteris vero, immo, quod ad suam regularem conversationem et munus in universum, Superiori suo regulari, qui praeterea retinet in ipsum suam dominativam potestatem. Quare neque is prohibebitur subditum in ipsa animarum cura dirigere ac corrigere, salva in his potiore Episcopi auctoritate.

Confessarii,

4. De *foro interno*, seclusa speciali sanctione vel usu, dicendum videtur parochum istum absolvi iurisdictione a Praelato suo diserte vel tacite delegata. Quare obnoxius est casibus in Ordine *reservatis* non autem in dioecesi, nisi spectent ad ea in quibus Episcopo obtemperare debet. Is enim per se reservatis poenis praecepta sua munire potest.

---

[1] Haec, quae distinguitur ab institutione *collativa tituli*, est qua clerico ad beneficium curatum promoto committitur cura animarum per sacramentorum administrationem exercenda.

[2] Reiffenstuel, l. c. n. 6. 7.

[3] Haec accuratius definiuntur in C. *Firmandis*, 6 nov. 7144, Benedicti XIV. Cfr. Monumenta tomi 2.

5. Per se parocho regulari in *socium* deputandus est alter saltem religiosus, nisi alia consuetudo legitime invaluerit. Cfr. Schmalgrueber, l. c. n. 8 ; Bouix, op. c. t. 2, p. 32. *Socius.*

6. Liberam habet redituum administrationem, quibus tum ad se alendum tum ad pias fovendas causas uti potest. *Administratio temporalis.*

Ecclesiae suae acquirit quicquid proficiscatur a rebus ecclesiae vel suis operis quatenus est ecclesiae praefectus; reliqua, quae ex eleemosynis, hereditate, legato, propria arte, etc., comparaverit, pergit monasterio acquirere. Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 119, ex Sanchez, *in Dec.* l. 7, c. 32, n. 76.

Ceterum, in hac re, sua quisque consideret statuta atque usus. Cfr. Laymann, *De voto paupertatis*, n. 17. 18.

501. In Belgio, post Concordatum, decreto C. Caprara [1] innovatae sunt omnes paroeciae, unde nulla iam est stricte regularis [2]. Namque postea parochiam fuisse unitam monasterio (ad quam unionem, ex C. *Trid.* s. 24, c. 13, *De Ref.*, opus est beneplacito apostolico) non legimus. *De parochis regularibus in Belgio.*

502. In locis Missionum, in quibus non sunt canonice erectae paroecia, Missionarii Parochorum officia exercentes non tenentur nisi ex caritate vel decentia, ad Missam pro populo applicandam. Cetera de Missionnariis cfr. cap. 4. *De Missionariis.*

CAPUT III

DE SACRIS MINISTERIIS EX POTESTATE DELEGATA

Passerini, De Hominum statibus etc. t. 2, in 2, 2, q. 187, art. 1, inspectiones 2-6, p. 92-289 ; art. 2, inspectio 3. 5, p. 458-616 ; t. 3, in 2, 2, q. 189, art. 10, p. 893-913 ; *Pellizarius, Manuale*, etc. tr. 8, c. 3-5 ; *Tamburini, De iure Abbatum*, t. 3, d. 9 ; *Rotarius, Theologia moralis regul.*, t. 3, l. 1, c. 2 ; l. 2, c. 3 ; *Bouix, De iure regularium*, t. 2, p. 5, s. 3, c. 2-4, p. 188-268 ; *Mélot, De Ordinibus*, etc. n. 188-389 ; *Piat, Praelectiones* etc. t. 2, p. 170-269, 306-346 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale* etc. t. 2, p. 237-272, 384-400 ; *Santi-Leitner, Praelectiones*, etc. l. 3, t. 37, n. 7-13.

503. De sacris istis ministeriis, haec duo in universum sunt tenenda : 1. Regulares subduntur Episcopis in iis quae spectant *ad curam animarum saecularium* [3]. Quare, in hac re, *Regulares per se subduntur episcopis in his*

---

[1] Decr. *Cum Sanctissimus*, 9 apr. 1802. *Bull. rom. contin.* t. 2. p. 251.

[2] Cfr. causam Cisterciensis Ordinis, a S. Congr. Ep. et Reg. decisam 14 dec. 1855. Bizzarri, p. 698. Videtur tamen ipsa suadere aequitas, ut pergant Episcopi iis Ordinibus qui suis paroeciis sunt privati nonnullas committere paroecias, ut aliquo modo sarciatur damnum quod sine culpa acceperunt.

[3] C. Trid. c. 11, s. 25, *De Regul.* ; CC. *Inscrutabili*, Gregorii XV ; *Firmandis*, Benedicti XIV ; *Romano Pontifices*, Leonis XIII.

quae spectant curam animarum saecularium,

contra atque diximus de exemptione *passiva*, de singulis privilegiis et immunitatibus certum afferre debent documentum. Itaque, ut vidimus, *visitari* possunt tam *parochus* et *quasi parochus regularis* in iis quae ad munus pertinent parochiale, quam *loca* quae huic deputantur curae [1]. Normae visitationis definiuntur C. *Firmandis*, 6 nov. 1744, Benedicti XIV, et C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, Leonis XIII.

Porro haec Episcoporum potestas est *ordinaria*, ut C. *Firmandis* est declaratum, atque *etiam delegata*. ex C. *Inscrutabili*.

Nominatim scholas pauperum vel dominicales.

Nec immunitatem collegiorum quibus adulescentes *ad humanitatem* informantur, obtinent *scholae pauperum* vel *scholae dominicales*. C. *Romanos Pontifices*.

Et in dispensando saecularibus sacramenta.

2. *In administrando sacramenta saecularibus* Regulares observare debent leges dioecesanas. Et in Regulares qui in ista administratione delinquunt, habet Episcopus delegatam iurisdictionem ex C. Gregorii XV, *Inscrutabili*, 5 feb. 1622. Cfr. etiam C. Clementis X, *Superna*, 21 iun. 1670.

Nulla privilegia baptizandi vel confirmandi.

504. De Baptismo et Confirmatione. 1. Nulla per se concessa sunt Regularibus privilegia ab baptizandas vel confirmandas personas quae loci ratione alterius subduntur iurisdictioni. Quare :

De baptismo infantium ; adultorum.

2. Quod ad *baptismum, infantes* regulariter ab ipsis ablui nequeunt sine facultate parochi vel Episcopi ; causa vero baptizandi *adulti* plerumque, ex voto Ritualis Romani et statutis dioecesanis, est ad Episcopum deferenda. Cfr. v. gr. *Statuta Mechliniensia*, n. 227.

Quid si desint pastores ?

Ubi vero desint proprii pastores vel quasi pastores, Regulares cooptare possunt, servatis servandis, eos qui velint recipi in Ecclesiam aut pro filiis petant ingressum : ex facultate expressa vel tacita in missione ad illas terras inclusa, et titulo necessitatis.

De Confirmatione.

3. *Confirmatio* spectat *ad Episcopum*, nec possunt *Praefecti apostolici* sine speciali indulto S. Sedis sacramentum istud ministrare.

Interdum tamen, in regionibns infidelium, peculiari S. Sedis commissione haec ipsis tribuitur facultas.

De munere patrini.

4. Munere *patrini* prohibentur Regulares, nisi fuerint Episcopi aut sacramentum alii Regulari forte conferendum sit. *Rit. Rom.* Decet saltem ut idem observetur ab iis qui lato sensu sunt regulares. Immo ratio prohibitionis aeque in eos convenit. Quare sunt qui existiment aeque hoc munere arceri sodales Congregationis religiosae [2]. Praestat tamen hos adhibere quam sine patrino vel matrina baptismum

---

[1] Excipiuntur tamen, dicto capite Tridentino, domus in quibus capita Ordinum « sedem ordinariam principalem habent ». Cfr. Piat, II, p. 18.

[2] Cfr. MONITORE ECCLESIASTICO, VIII, 1, p. 165.

conferre. S. R. C. 15 feb. 1887. *Coll. Prop. Fid.* n. 641 ; *Decr. auth.* n. 3670.

505. De asservanda SS. Eucharistia [1]. 1. Ex iure *Regularium* communi, possunt tam ipsi quam moniales presse tales [2] in *suis ecclesiis* perpetuo asservare SS. Eucharistiam.

SS. Eucharistiae asservatio in ecclesiis Regularium.

In sacellis vero *domesticis* idem non possunt sine *speciali* privilegio vel immemorabili consuetudine. Cfr. Gatticum, *De oratoriis domesticis*, c. 18, n. 9 ; qui, n. 10, excipit gravissimas quasdam causas, ut si publica eorum ecclesia incendio, vetustate, facta esset inutilis [3].

Quid in sacellis domesticis ?

Immo vetat C. Trid. c. 10, s. 25, *De Regul.*, ne intra chorum vel saepta monasterii Eucharistia conservetur.

Adversus Regulares qui ex officio suo, v. gr. qua rectores ecclesiae vel aeditui, in custodienda Eucharistia partes habent, Episcopus potest aeque ac Superior regularis procedere, si peccaverint in praeceptum (C. Statuimus, un. *De custodia Euch.*, III, 44) diligenter occludendi Tabernaculum et clavem custodiendi. Cfr. litt. enc. S. C. EE. et RR. 9 febr. 1751, apud Lucidi, *De visitat.* t. 1, c. 1, n. 101 ; Benedictum XIV, *De Synodo*, l. 9, c. 15, n. 4.

2. *Congregationes religiosae* opus habent, ad asservandam Eucharistiam, peculiari privilegio vel Indulto Apostolico. *Propria* enim auctoritate nequit Episcopus nisi temporalem asservationem concedere. Lucidi, *De Visitatione*, t. 1, p. 96. Cfr. *S. R. C.* In una Nivernensi, 8 mart. 1879 (*Decr. auth.* n. 3484) quod decretum confirmatum est a S. Pontifice in Decreto generali de Oratoriis semipublicis 23 ian. 1899. (*Decr. authent.* n. 4007.) Cfr. de his etiam Mélot n. 249-252.

In ecclesiis Congreg. religiosarum.

506. De dispensatione SS. Eucharistiae. 1. *Regulares proprie tales :*

Eucharistiae dispensatio.

a) Possunt *in suis ecclesiis* et oratoriis, sive *per se* sive per *alios sacerdotes* (non suspensos), sacram porrigere dapem *saecularibus*, in omni anni parte, excepto die Paschatis, et Romae etiam feria V in Cena Domini. Per communionem tamen ibi factam non satisfit praecepto paschali.

In ecclesiis Regularium.

b) In ecclesiis parochialibus eodem sunt iure quo reliqui sacerdotes.

In ecclesiis parochialibus.

c) *Paschalem* vero communionem dare valent *familiaribus*, et, ut plures volunt, etiam *vagis* et *peregrinis ;* immo

Quid de communione paschali ?

---

[1] De his quae spectant hoc Eucharistiae Sacramentum, cfr. Gatticum *De oratoriis domesticis* ; vel Van Gameren, *De oratoriis*.

[2] Videntur tamen Moniales quae in Belgio et in Gallia pertinent ad Ordines presse tales, etiam post sublata vota sollemnia id privilegium conservasse.

[3] Id probatur a Van Gameren, *De oratoriis*, p. 291.

fortasse etiam *hospitibus*, nisi responsa contraria S. Congregationis prudentem usum praepediant.

In oratoriis Congregationum religiosarum.

2. In oratoriis *Congregationum religiosarum*, eadem SS. Eucharistiae dispensatio videtur ab Episcopo praepediri posse.

Estne dispensatio Euchar. tacite concessa cum facultate celebrandi?

Utrum autem necne putanda sit *tacite* concessa simul cum facultate celebrandi, ex receptis loco usibus erit colligendum, Cfr. Benedicti XIV litt. enc. *Magno*.

Prima puerorum communio.

507. De prima puerorum communione. Discernere quinam pueri prudenter ad primam communionem admitti possint, per se spectat ad parentes et ad confessarium [1]. In non paucis tamen locis id effecit consuetudo, ut pro sua istam cooptationem parochus vindicare valeret. Ita res se habent in Belgio : simul tamen Episcopi Regularibus fecerunt potestatem admittendi alumnos, etiam externos, certis tamen legibus, quae aliae in aliis statutis diocesanis definiuntur.

Quid in Belgio?

Eucharistiae delatio ad infirmum.

508. De SS. Eucharistia deferenda ad infirmum. 1. *Palam per vias et plateas* deferre SS. Eucharistiam soli competit *parocho*. Quare, ne subditum quidem in *privata* domo decumbentem, poterit Praelatus regularis, nisi Parochus vel Episcopus annuat, sacra reficere synaxi. Cfr. supra n. **462.**

Quid si universalis facultas clam deferendi SS. Euchar.

2. *Clam* deferre Eucharistiam si in universum liceat in aliquo loco, Regulares, praesertim si ipsis suffragetur consuetudo, generali illo concessu comprehendi videntur, nisi Episcopus eos excluserit.

De infirmis domus ubi celebratur.

3. Celebranti autem in oratorio in quo, sive ipso iure, sive ex facultate facta, dispensari potest S. Communio, licet etiam deferre, pro communione devotionali, SS. Eucharistiam infirmis qui in cubiculo hospitalis, domus, etc. decumbunt.

De Viatico.

509. De Viatico. 1. Prohibentur Regulares, extra casum necessitatis, viatico munire personas saeculares quae non sunt de ipsorum familia. Immo, ubi accesserit *praesumptio*, delictum plectitur excommunicatione simpliciter S. Sedi reservata.

Sanctio contra Regulares.

Scriptum legis declaratur.

Excommunicatio ista, 14ª ex 2ª serie C. *Apostolicae Sedes*, afficit: « *Religiosos praesumentes clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque parochi licentia.* » Quae ut paucis declaremus :

Quid Religiosi,

Religiosi intellegendi sunt proprie tales : sollemniter professi et qui in *Societate Iesu* fecerunt simplicia vota.

Praesumptio,

Praesumentes non sunt qui fecerint huius vetiti vel poenae ignari, saltem si ignorantia non fuerit affectata [2].

---

[1] Cfr. *Catechismum romanum*, p. 2, *De Euch. Sacr.* n. 69.

[2] Et fortasse etiam si affectata. Cfr. Bucceroni, *Theol. mor.* II, p. 318 ; Ballerini-Palmieri, *Opus theol. De censuris*, Génicot, *Theol. mor.* II, n. 570.

Extra casum necessitatis. Is aderit si, in alicuius probabili articulo mortis, parochus nolit vel non possit haec sacramenta dare. Si enim *iniuste* parochus abnuat facultatem, praesumenda erit concessio Episcopi vel Papae, aut ipsius iuris. Palmieri, *Opus theol.* tr. 16, s. 4, *De Eucharistia*, c. 2, n. 86, ex Suarez. *De Sacramentis*, d. 72, s. 1, n. 9. *Necessitas,*

Clericis aut laicis. Quare censura sunt immunes qui haec conferunt, etiam illicite, religiosis alterius Ordinis. Praeterea, ex ratione prohibitionis, videtur de iis solum agi clericis aut laicis qui subduntur parocho. Huic non subduntur alumni Congregationis exemptae; ipsosque peregrinos a Regularibus hospitio receptos diceremus immunes, nisi obstarent responsa S. Congregationis. *Clerici aut laici,*

Sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per modum Viatici. Tuto ergo, i. e. sine censurae periculo, Regulares S. Eucharistiam dispensant aegroto qui iam Viatico est refectus, vel ei qui communicandi praecepto nondum astrictus petit communionem quae Viatici locum non teneat. *Extrema Unctio aut Viaticum?*

Praeterea si quis Viaticum sacrilege susceperit, convenit inter scriptores eundem posse clam a quolibet sacerdote etiam regulari, Viaticum obtinere: quo, sine periculo sigilli confessionis, divino Viatici praecepto satisfiat. *Quid si quis sacrilege susceperit Viaticum?*

Absque Parochi licentia. Licentiam concedere potest etiam *Episcopus.* Ceterum satis est si licentia fuerit prudenter praesumpta. *Requisita licentia.*

2. Viaticum conferendum est *in territorio proprio,* ob quam etiam rationem plures permittebant Regularibus ut illud hospitibus conferrent. *Viaticum est in proprio territorio conferendum.*

510. De SS. Sacramenti expositione. 1. Nequeunt Regulares *publicam in ecclesiis suis* facere, sine Episcopi licentia, expositionem Sanctissimi Sacramenti. *Publica SS. Eucharistiae expositio requirit licentiam Episcopi.*

Nec contra ius illud Episcopi praescribi potest consuetudine, nisi forte haec fuerit immemorabilis. S. R. C. 12 iun. 1658 ad Ep. Urbaniae (*Decr. auth.* n. 641), et Decr. gen. 3 apr. 1821 (*Decr. auth*, n. 2613).

Videtur tamen, cum nihil de modo consensus definiatur, posse Episcopum « explicite vel implicite, expresse vel tacite consensum generalem » dare. Ita Mélot n. 254, afferens Rotar. t. 3, l. 1, c. 2, p. 1, n. 19. Immo ipsa S. C. EE. et RR. annis 1740. 1741 hanc suasit formam consensus, saltem quod attinet ad expositiones fieri solitas. Cfr. Bizzarri, *Collectanea* p. 393. 395, atque etiam S. R. C. 3 april. 1821. *De modo quo assentiri possit Episcopus.*

Fas est tamen Regularibus, sine licentia Episcopi exponere Venerabile Sacramentum per octavam Corporis Christi, inter Missarum sollemnia et ad Vesperas. *Expositiones Regularibus concessae.*

Specialem praeterea Innocentius XI, C. *Cum inter*, 20 maii 1682

concessit, certis condicionibus [1], pluribus per annum diebus publicam sanctissimi expositionem Regularibus Archidioecesis Mechliniensis. Ad usum istius privilegii respectus est habendus regionum quae tunc in huius Archiepiscopi erant dicione.

Privata expositio permittitur.

2. *Privata* expositio libere permittitur Regularibus.

Verum non convenit quaenam ratio publicae expositionis sit Regularibus ab Episcopo permittenda.

Quid de expositione formae publicae sed non coram fidelibus ?

Alii enim Regulares obnoxios faciunt Episcopo in ea tantum expositione quae *formae* sit *publicae* et *palam* fiat; autumant autem eosdem esse sui iuris, sive expositio ex causa privata fiat in forma privata coram fidelibus, sive forma et causa quidem sint publicae, sed exponatur Sanctissimum vel ianuis clausis et seclusis externis in ecclesia vel in oratorio domestico. Ita Bouix, *De iure regular.* t. 2, p. 212 ; Lemkuhl, *Theol. mor.* t. 2, n. 133 ; Bucceroni, *Theol. mor. De legibus*, IX, *De privilegiis*, n. 131 ; Palmieri, *Opus theol.* tr. 9, c. 1, n. 166. Nec repugnat Wernz, t. 3, p. 788, nota 730.

Alii autem unam permittunt Regularibus expositionem quae *formae* sit *privatae*. Ita Mélot, n. 258, et Piat, op. cit. II, p. 25. 26. Arguunt ex C. Benedicti XIV, *Cum ut recte*, et decretis Sacr. Congr. Nobis tamen ratio eorum non videtur efficax. Quae enim afferuntur decreta vel loquuntur de expositione publica in ecclesia [2], quod per se infert astantes fideles, vel iubent in privata forma fieri expositionem ex *causa privata* [3] ; silent vero de expositione quae ex causa publica fiat ianuis clausis. Immo, dum recens C. *Conditae a Christo* c. 2, n. III, Episcopi dicit esse ius « Sacramentum augustum proponi *palam* venerationi *fidelium* » nonne satis clare de ea loquitur expositione quae fiat *in publico ?*

Censemus itaque Praelatis regularibus sua quasi-episcopali iurisdictione regere posse expositiones quae fiunt ianuis clausis, modo formam publicam ne concedant nisi ob causam publicam ob quam fieri solent expositiones in ecclesiis.

Quid sit forma privata ?

N. B. Forma privata haec est qua mere aperitur tabernaculi ostium, hostia autem maneat pyxide clausa vel obducta velo, ita ut cerni non possit ; *publica* vero forma, cum, hostia detecta, Sanctissimum promitur de tabernaculo, atque in aliquo throno proponitur adorandum.

---

[1] Sunt hae potissimum, ut ante SS. Sacramentum decem saltem ardeant candelae ex cera candida, ut absque intermissione assistant duo Religiosi geneflexi, ut una tantum detur benedictio cum SS. Sacramento.

[2] Ita S. C. C. 17 aug. 1630, apud Benedictum XIV *Institut. canon.* 30, 11 ; S. R. C. 31 maii 1642. (*Decr. auth.* n. 800.) Quod Benedictus XIV, in opere de *Synodo*, l. 9, c. 15, n. 4, ipsa ratione cur dicat petendam esse Episcopi licentiam videtur confirmare : « Quoniam ad SS. Eucharistie maiorem venerationem confert, ne passim et sine causa *publicae fidelium* adorationi exponatur.... »

[3] C. *Cum ut recte*, et citatum decr. S. C. C.

His autem quae de *modo exponendi Venerabile Sacramentum* et de *laudibus vespertinis* iusserit Episcopus, ecclesias Regularium obligare potest [1].

Legis episcopales de modo expositionis et de laudibus vespertinis.

511. De Ecclesiae vel Oratorii legitima erectione. *Varia oratoriorum genera* quae, praeter ecclesias proprie tales, sacris faciendis deputari possunt, videntur prius commemeranda, praesertim cum 23 ian. 1899, Sacra Rituum Congregatio authenticam de hoc argumento declarationem ediderit [2]. Oratoria distinguuntur *publica, semipublica et privata. Publica*, « Auctoritate Ordinarii ad publicum cultum perpetuo dedicata, vel etiam sollemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum, a publica via, fidelibus universim pandunt ingressum. *Privata* e contra stricto sensu dicuntur oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erecta sunt [3]. » Medium inter haec tenent *Oratoria semipublica*. Haec Leo XIII *statuit et declaravit* « Ea esse quae etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt [4]. »

Oratoria quot sint genere ?

Publica,

Privata,

Semipublica.

I. *De erigenda Ecclesia vel Oratorio apud Regulares.* 1. Obtenta erectione monasterii seu conventus, permittuntur Regulares, nisi Episcopus ob iustam causam in concedenda erectione id exceperit, aedificare *coniunctam ecclesiam.*

Legitima erectio ecclesiae vel oratorii publici.

Ut vero erigant *oratorium publicum* a sua domo *separatum*, speciali ipsis opus est venia Ordinarii ; neque oratoria ista a visitatione episcopali sunt exempta. Cfr. Van Gameren, *De oratoriis*, p. 113-117.

2. Quamvis iure communi, ut plures saltem autumant [5], *Oratoria semipublica* religiosorum designanda forent ab Episcopo, a quo praeterea visitari possent, ex privilegio tamen a Gregorio XIII Societati Iesu C. *Decet Romanum*, 3 maii 1575, concesso, quod in hac parte sentiunt doctores communicari cum aliis Ordinibus, satis est si Superior Provincialis ea approbaverit. Itaque ad legitimam erectionem, requiritur :

Oratorii semipublici.

a) Ut oratorium erigatur in *domo regulari*, vel, si in domo rustica seu villa, ut saltem religiosi illuc ad audiendum sacrum convenire soleant. Sin minus, ex decr. 1899, non habueris oratorium semipublicum.

---

[1] De Laudibus, exposito SS^mo cfr nunc responsa S. R. C. 16 febr. 1906. (Periodica nostra, n. **125**, t. 2, p. 114.)

[2] Cfr. A. S. S. t. 31, p. 412. 413. *Decreta authentica*, n. 4007.

[3] *S. R. C.* citato decreto 1899. — [4] Ibidem.

[5] Gatticus, *De Oratoriis domesticis*, c. 18, n. 2 ; Van Gameren p. 273 sqq. etc. Contra tamen Reiffenstuel, in l. 3 Decr. t. 41, n. 19-21 ; Ferraris, v. *Oratorium*, n. 72-77 ; Bouix, t. 2, p. 191.

b) Ut locus deputetur divino cultui, non autem alteri usui.

c) Ut Provincialis (vel Generalis) de oratorii condicione certior factus, ipse *per se* approbet Oratorium. Quod etiam absens per litteras facere potest.

Benedictio istiusmodi oratorii.

N. B. 1. Haec oratoria possunt sed non debent benedici benedictione oratorii publici. Cfr. S. R. C. *Decret. gen.* 5 iun. 1899 ad 5. (*Decr. auth.* n. 4025.) Sed si usus non praevidetur diuturnus, satius erit uti formula benedictionis loci vel domus.

2. Ad usus profanos redigi nequeunt nisi ob iustam causam et annuente Provinciali.

Quid in Congregationibus religiosis ?

II. Quod ad *Congregationes religiosas*, proprie vel late tales, excepto peculiari privilegio, Episcopus, propria auctoritate, concedere potest *unum* oratorium semipublicum. Alterius vero oratorii erectio, contra atque opinabantur scriptores [1], postulat indultum S. Sedis, ex decreto in una Nivernensi, 8 mart. 1879, quod a Sanctissimo, in generali decreto de Oratoriis semipublicis, 23 ian. 1899, est confirmatum [2].

Ecclesiae quae ad regulares pertineant.

512. Quaeres, quaenam ecclesiae **pertinere** dicantur **ad religiosas communitates?** R. Sunt : 1. Imprimis eae quae *ab initio* fuere aere et opera Instituti religiosi sibi constitutae vel ipsi pleno iure a Conditore addictae.

2. Eae quae prius *saeculares*, perfecte dein, mutato statu, in *regulares* sunt conversae. Ad hanc conversionem opus est, praeter Episcopi auctoritatem, assensu capituli Ecclesiae cathedralis [3] et eorum quorum intersit, nisi impetratum sit *beneplacitum apostolicum*. Cfr. c. Pastoralis, 9, *De his quae fiunt a praelato sine consensu capituli* (III, 10) et c. Ad audientiam, 5, *De Eccles. aedificandis* (III, 48).

3. Ecclesiae quae, servata propria indole, ad *usum precarium* committuntur communitati religiosae, idque in tempus indefinitum, vel ratione transitoria ac velut per accidens. Quod suo arbitrio facere potest Episcopus.

N. B. Quominus Ecclesiae *parochiales* unirentur aliis, vetuit Syn. Trid. s. 24, c. 13, *De Reform.* De his cfr. Van Gameren, pp. 123. 124.

Quot Missae celebrari possint in regularium oratoriis ?

513. De sacrificio Missae in istis Ecclesiis et Oratoriis. I. *De Regularibus.* 1. Quod ad *numerum* et diem Missarum, etiam in semipublicis oratoriis, *nullo numero* definiuntur Missae, nullaque dies excipitur.

---

[1] Cfr. Van Gameren, *De Oratoriis*, p. 312, coll. cum pp. 308-310.

[2] *Decr. auth.* n. 3484 et 4007. Usus tamen contrarios, quibus, in nonnullis regionibus, facultatem plura permittendi oratoria Episcopi praescripsisse videntur, non censemus improbandos vel abrogatos.

[3] Nisi necessitas huius assensus impetrandi sit ipsa consuetudine sublata. Cfr. PERIODICA nostra, suppl. XI, t. 2, p. 4, 5.

2. Quod ad *celebrantes*, non ipsi tantum Regulares sed etiam alii sacerdotes, cum regulares tum saeculares, ibi litare possunt. Attamen, in admittendis *sacerdotibus exteris*, saltem si sint saeculares, observare debent quae Episcopus praescripserit de exhibendis litteris *Celebret*, etc. cfr. v. gr. *Statuta dioecesana Mechliniensia*, n. 115. *Saltem si saeculares*, inquam ; nam quid iuris si *Regularis* celebret apud regulares *alterius Ordinis* nusquam definitur. Arbitramur nos e mente Congregationis respondere, si talem fecerimus obnoxium condicionibus quas Episcopus definierit [1]. Ita etiam Wernz, t. 3, p. 788. Si vero in ecclesiis *sui Ordinis* celebret Regularis, non est opus ut ab episcopali curia habeat litteras celebrationis.

Qua lege admitti sacerdotes exteri ?

3. Quod ad *ritum et modum*, a) Ritum presse talem seu liturgiam suam quisque servare debet etiam si in aliena ecclesia celebret.

Celebrationis ritus.

b) Quod autem spectet mere *ad ordinem calendarii :*

Calendarium.

α) In *ecclesiis,* oratoriis publicis et *in oratio principali* Episcoporum, communitatis religiosae, seminarii, collegii, hospitalis, carceris, *semper et perfecte* sequendum est *calendarium loci,* ubi festum agatur duplex ; quod si calendarium permittat *Missam votivam, optio* (sine obligatione) conceditur celebranti dicendi Missam secundum suum ipsius calendarium, ita ut Missa quae ab hoc calendario illi diei deputatur, celebretur, si de Sancto, *festiva* non autem votiva. Cfr. S. R. C. decr. *Urbis et Orbis*, 9 iul. 1895 (*Decreta auth.* n. 3862), decl. 14 mart., 22 maii, 27 iun. 1896 (*Decreta auth.* n. 3892 ad 5. 3910. 3919 ad 17).

In oratorio principali.

Pro loci autem calendario habendum est *calendarium dioecesis,* ubi ecclesia vel oratorium non pertinuerit ad communitatem quae proprio calendario utatur. Cfr. S. R. C. 4 febr. 1898 (*Decr. auth.* n. 3979).

Quid si proprius ordo desideretur.

Porro ad hos effectus iam ad communitatem pertinere arbitramur ecclesiam quae modo *precario* commissa fuerit ipsius regimini, nisi fuerit parochialis aut beneficium saeculare. Minime autem satis est si mere ibi soleat religiosus quidam sacris operari aut titulo personali curam gerere ecclesiae nullatenus ipsi communitati concreditae. Cfr. S. R. C. 17 iun. 1896 ad 17 ; 4 febr. 1898, ad 2 et ad 4 ; et 15 dec. 1899 ad 2 et 3 (*Decr. auth.* n. 3919, 3979 et 4051).

Quaenam ecclesiae sint communitatis ?

β) In *aliis oratoriis quibuslibet,* Missa *semper* dicitur congrua proprio celebrantis officio, etiam si fuerit de Beato nondum stricte canonizato.

In aliis oratoriis.

---

[1] Voluntas Episcopi constare potest ipso, quem tacite permittere videtur, usu non exigendi a Religiosis nisi suorum Superiorum litteras.

Oratio A cunctis ; Nomen Episcopi ; Orationes imperatae.

c) Sive in ecclesiis sive in oratoriis quibuslibet, Regulares, presse tales, *possunt*, in oratione *A cunctis* nomen addere Fundatoris Ordinis ; *debent* vero, etiam in aliena dioecesi, in Missae canone nominare *Episcopum loci* et recitare *orationes intra Missam imperatas*, quas unam vel plures, decreto tamen non *in perpetuum* dato, Episcopus praescribere potest. S. R. C. *Decr. gen.* 3 april. 1821 ad 1 et 2 (*Decr. auth.* n. 2613).

Orationes recitare quas *post* vel *extra Missam* praescripserit Episcopus presse *per se* non coguntur Regulares. Decet tamen ut ad Episcopi votum in publica ecclesia se gerant. Interdum etiam maiorem ex delegatione facultatem Episcopi nanciscuntur. Ita v. gr. litt. encyclicis *Divinum illud*, Leo XIII Episcopo potestatem confert ut etiam in aliis ac parochialibus ecclesiis novendialem ad Spiritum Sanctum supplicationem praescribat, atque, in hac dioecesi Mechliniensi, videtur Episcopus suo usus iure. Cfr. *calendarium dioecesis*.

De Sancto Titulari.

d) Commemoratio Titularis in Officio non fit nisi oratorium sit saltem benedictum et *proprie* publicum. Cfr. S. R. C. 27 iunii 1899 ad 1 [1], Van Gameren, *De Oratoriis*, p. 285. Festum autem celebratur etiam si semipublicum tantum. S. R. C. *Decretum gen.* 5 iun. 1899 ad 5. *Decr. auth.* n. 4025.

De Praecepto audiendi Missam.

4. *Quod ad praeceptum audiendi Missam*, ei satisfit in omnibus oratoriis saltem *semipublicis*. S. R. C. 23 ian. 1899 (*Decr. auth.* n. 4007).

De oratoriis Congregationis Religiosae.

II. *De Congregationibus religiosis.* Eorum oratoria semipublica per se iisdem utuntur legibus quas modo descripsimus. Verum hic potest Episcopus, plenore iure, circumscribere numerum et dies Missarum, alienos excludere sacerdotes vel fideles.

Quid de vetito episcopali ?

Post autem decr. S. R. C. 23 ian. 1899 (*Decr. auth.* n. 4007), confirmata videtur sententia Van Gameren, op. cit. p. 31, secundum quam fideles exteri, qui adversus Episcopi vetitum ibi in die festo interessent sacro, nihilo minus satisfacerent praecepto audiendi Missam. Modus enim implendi istud praeceptum ex lege communi ecclesiae, non autem ex Episcopi statuto est quaerendus.

Aliae functiones in his oratoriis permissae.

514. De aliis functionibus sacris in iisdem locis. 1. In iisdem oratoriis semipublicis, per se licet quasvis aliis peragere functiones quas, pro earum sollemnitate, patitur loci condicio. Itaque fas ibi est : **a**) Sacram *communionem* etiam saecularibus dispensare ; **b**) Saecularium *confessiones* audire ; **c**) Cetera conferre *sacramenta*. Cfr. Van Gameren, *De oratoriis*, p. 288 sqq.

Ius Episcopi.

Si tamen ad Congregationes non exemptas pertineant, ius erit Episcopi prohibendi quas voluerit functiones.

---

[1] *Decreta authentica*, n. 4043.

2. *Sollemnes functiones tridui sacri ante Pascha* celebrari non possunt nisi in his sacellis ubi perpetuo custoditur Sanctissimum. S. R. C. 14 iun. 1659 (*Decr. auth.* n. 1126).

Quid de functionibus tridui sacri ante Pascha ?

Functio feriae VI in Parasceve, celebrari debet ubi celebratur functio feriae V in Cena Domini, atque ibidem erigendum est sepulcrum. Omitti tamen potest functio Sabbati sancti. S. R. C. 9 dec. 1899. *Decr. auth.* n. 4049.

Quid feria V in Cena Domini liceat Regularibus ad communicandos suos, vidimus n. **466**,5.

N. B. Ritus minus sollemnis peragendi functiones istius sacri tridui a Benedicto XIII adornatus est ad usum ecclesiarum parochialium quae copia carent ministrorum et clericorum. In aliis vero ecclesiis adhiberi nequit sine facultate apostolica, quae tamen petenti non negatur. Cfr. S. R. C. 9 dec. 1899, n. 4049.

Ritus minoris ecclesiae.

515. De Praedicatione verbi Dei. I. *De Regularibus proprie dictis.* 1. *Notio.* Praedicatio designat hic *publicam annuntiationem verbi Dei*, quam responsa Sacrae Congregationis satis ample de qualibet pia populi hortatione intellegunt. Non tamen praedicatio nominanda est mera doctrinae christianae explicatio, nec, si quid opinamur, adhortatio facta alicui sodalicio, cum non sit publica.

Regularium praedicatio.

Quid praedicatio ?

2. Quod ad *approbationem praedicatoris :* a) In *propriis ecclesiis*, Regulares praedicare possunt, modo petierint Episcopi benedictionem et is non contradixerit. Ipso contradicente, praedicare non possunt. De sanctione, cfr. n. **380**,4.

Quaenam requisita approbatio ?

b) In *alienis ecclesiis* [1] venia indigent Episcopi. Ex occasione qua data est licentia vel benedictio, prudenter iudicandum est quotiens haec sit renovanda, ubi non est expressus dies *ad quem*. Nisi positive data sit *usque ad revocationem*, vel in definitum tempus, erit, mortuo concedente, denuo a successore petenda. Cfr. Piat, t. 2, p. 266.

Haec pro usu recepto et Episcopi arbitrio plus vel minus severe exigentur.

Ita v. gr. concedunt, nisi Episcopus aliter decreverit, posse a Rectore Ecclesiae praesumi veniam ut permittat probum et honestum sacerdotem semel vel iterum praedicare.

Rarius iam solemus formalem petere approbationem ad praedicandum, quia Episcopus, concedendo iurisdictionem, plerumque simul sacra ministeria approbatis sacerdotibus in universum permittit.

---

[1] Ut praedicent in *publicis plateis*, non constat requiri positivam Episcopi facultatem. Huic tamen id vetanti erit obtemperandum. Cfr. scriptores allatos a Piat, II, p. 260, q. 10.

Age porro, in ecclesia quae Regularibus precario est commissa, omnia fieri debebunt ex voto Episcopi. Is exigere potest ut petatur licentia, et potest etiam sinere ut Regulares agant sicut in ecclesiis stricte propriis.

Quodnam ius contiones habendi, declinandi?

3. *Quod ad contiones regularium in universum :*

a) Prohiberi nequeunt quin in suis ecclesiis habeant contiones, nisi ea hora qua ipsemet *Episcopus* (non parochus vel Vicarius generalis) sollemniter praedicet, vel, ex aliqua causa publica et extraordinaria, coram se sollemniter praedicare faciat. Ita ex *Clem.* Dudum. 2, *De sepulturis* (III, 7) ; *Extrav. comm.* Super cathedram, 2, eodem (III, 6) ; et Inter cunctas, 1, *De privilegiis* (V, 7), coniunctis declarationibus S. Congregationis, de quibus adesis Bened. XIV, *De Synodo*, l. 9, c. 17, n. 7, vel Piat, t. 2, pp. 255. 256.

b) Contiones istae haberi possunt a *simpliciter tonsuratis* quos Regulares probaverint idoneos. C. Gregorii XIII, *Vigore privilegii* (20 nov. 1584). Cfr. Salmanticenses tr. 18, c. 4, n. 174. Attendendum tamen ipsis est ut menti Ecclesiae obtemperare studeant Religiosi. Menti isti parum consentaneum videtur si contiones habeant, in nostris saltem regionibus, qui non sint diaconi vel sacerdotes. Etiam alicubi coeptum est exigi examen de idoneitate ad verbum Dei praedicandum.

c) In ipsorum ecclesiis, nemo potest, ipsis invitis, praedicare, excepto Episcopo. Is potest etiam, si ecclesia sit parochialis, deputare Missionarios. Cfr. Piat, t. 2, p. 256.

d) Prohiberi etiam nequeunt Regulares ne publice explicent doctrinam christianam, vel populo annuntient festa et ieiunia.

e) *Per se* stricte cogi nequeunt ad haec nuntianda vel ad praedicandum [1]. Ut tamen scribendum mandavit S. C. Concilii, mirum fuerit si Regulares, ab Episcopo rationabiliter rogati, noluerint, praetextu suorum privilegiorum, populo, diebus festis, fidei mysteria populo explicare. Cfr. Piat, t. 2, p. 259, q. 8.

Quid de Congregationibus religiosis ?

II. *De alumnis Congregationum religiosarum.* 1. Per se, sodales Instituti votorum simplicium, excepto speciali privilegio, non praedicant nisi approbati ab Episcopo.

2. Positiva onera praedicationis non videtur Episcopus *directe* imponere posse Institutis quae Romano utuntur iure. Decretis tamen generalibus quibus v. gr. prohibet ne diebus festis sacrum palam fiat cui non coniungatur aliqua adhortatio, vel iubet post Missam fundi quasdam preces, per se etiam isti religiosi parere debebunt. Ista enim iussa ad *ecclesiasticam* disciplinam existimantur pertinere.

---

[1] Patet a nobis agi de ecclesiis *non parochialibus*. In parochialibus enim, munia parochialia sub auctoritate Episcopi exercentur. Et si paroeciae sint subiectae monasterio *Nullius dioecesis*, potest Metropolita, tamquam delegatus S. Sedis, compellere Abbates qui curare omittunt ut rite habeantur contiones. C. Trid. s. 5, c. 2, *De ref.*

516. De Sacramento Paenitentiae respectu saecularium. I. *De Regularibus.* 1. *Qua potestate Regulares utantur.* Post C. Trid. s. 23, c. 15, *De Ref.*, nullus sacerdos confessiones saecularium, sacerdotum vel laicorum, valide audire potest, nisi parochiale beneficium habuerit, vel fuerit approbatus ab Episcopo loci ubi iurisdictio exercetur.

Requisita Episcopi approbatio.

Porro, Regulares Mendicantes habent per suos Superiores regulares *delegatam* a S. Sede *iurisdictionem* ad excipiendas Christi fidelium confessiones. Ut plene ergo sint habiles, hoc unum desideratur ut referant etiam *approbationem* Episcopi. Haec, praeter iudicium de capacitate, dicit consensum in iurisdictionis usum.

Undenam Regulares habeant iurisdictionem ?

Nihilo minus usus fert ut Episcopus, approbando, simul, quantum est ex se, deleget etiam iurisdictionem : ita ut hanc plerique Regulares e duplici fonte hauriant, saepe tamen aliis finibus circumscriptam.

2. *Approbationis modi.* a) Approbat vel ipse Episcopus *per se*, vel Vicarius generalis, vel alius quilibet ad id deputatus.

Approbationis modi: Pro eius auctore,

b) Approbatio potest esse *absoluta* et *perpetua*, vel receptis quibusdam *condicionibus et exceptionibus* finita. *Receptis*, inquam, *exceptionibus*. Non valet enim Episcopus restrictiones omnis generis ad libidinem inducere.

Pro amplitudine.

Per se quidem Regularis qui, facto examine, se probasset absolute idoneum, ius haberet quaesitum ad absolutam pro personis saecularibus [1] approbationem, sed ex consuetudine, cui non repugnat S. Sedes, Episcopus permittitur indiscriminatim omnibus Regularibus temperatam tantum concedere approbationem.

Possitne absoluta exigi approbatio ?

Agedum, receptae restrictiones pertinent *ad genus personarum*, v. g. si exceptentur moniales, vel religiosae; *ad locum*, hanc vel illam civitatem; *ad tempus*, ad unum vel plures annos, — ad beneplacitum, — donec revocetur facultas.

Receptae restrictiones.

Non licet autem Episcopo : α) Excipere *tempus paschale*. C. Innocentii x, *Exponi nobis*, 3 feb. 1645 [2] ; S. Cong. Conc. 22 sept. 1668 [3]. Causa enim talis exceptionis adversaretur ecclesiasticae disciplinae, quae vult ut eo praesertim tempore quo urget paschale praeceptum, satis liberam habeant fideles confessariorum copiam neve indirecte cogantur adire parochum. Cfr. Mélot, n. 348-350.

β) Vetare ne absque Parochi licentia vel hoc non *prius* certiore facto. Regulares excipiant *confessiones infirmorum* in eorum domo.

---

[1] Ita ex C. Clementis x, *Superna*, § 4, 21 iun. 1670. Absoluta approbatio non confert potestatem in casus ab Episcopo reservatos : ad hos enim carent regulares *iurisdictione*. Observes ab usu recepto esse alienum ipsos *casus approbatione* presse tali excluderé, Cfr. Lehmkuhl II, n. 404 ; Ballerini-Palmieri, *Opus. theol.* tr. 10, s. 5, c. 2, n. 722. 723. Quare pontificia *iurisdictio* in reservata episcopali *approbatione* non finitur.

[2] Apud Ben. XIV *De Synodo*, l. 12, c. 14, n. 4.

[3] *Mélanges théol.* s. 4, p. 133 sq.

S. C. EE. et RR. 13 sept. 1641 apud Bizzarri, p. 27. Cfr. Ben. XIV, *De Syn.* l. 9, c. 16, n. 9 et Mélot, n. 350.

Peracta tamen confessione, debent ilico monere parochum infirmorum, saltem per scriptam schedulam apud infirmum relinquendam : quod etiam sub poena suspensionis ab facultate audiendi confessiones Episcopus iubere potest.

Pro lege concessionis.

c) Approbatio conceditur vel *sine examine* vel *post examen* : minus gratuitum est tunc beneficium.

Approbationis revocatio duplex.

3. *Approbationis revocatio.* Bifariam revocatur approbatio : *proprie et directe*, per suspensionem confessarii, *indirecte et minus proprie*, eundem revocando ad examen.

A. *De Suspensione.*

Suspensionis iusta causa.

a) Directa revocatio vel iurisdictionis suspensio *licite* fieri non potest sine iusta causa ad confessiones spectante, qualis foret mutatio morum, iudicii, violatio sigilli, etc.

Causam istam non debet Episcopus manifestare Regularibus, bene vero S. Sedi si interrogetur. In dubio de iusta causa, praesumendum esse pro Praelato, tradit C. de Lugo, *De Paenitentia*, d. 21, n. 67. Iam vero, cum approbatio requiratur ad ipsum valorem Confessionis, nusquam autem infirmetur iniusta eius revocatio, haec semper videtur efficax. Ita Mélot n. 347. 350; et favent responsa S. Congregationis [1].

De suspensione totius communitatis.

b) Non potest Episcopus *licite*, inconsulta S. Sede, *suspendere* a confessionibus audiendis simul omnes unius domus Regulares. C. *Superna* et Decreta S. C. EE. et RR. quae reperiuntur apud Bizzarri p. 361 sqq. [2]. Id tamen Episcopis Indiae, Brevi *Cum sicut accepimus* permisit Innocentius X, ob magnam qua ab Urbe separantur distantiam.

Ius auferendi approbationem ante diem nequit a Vicario capitulari exerceri.

c) Ius auferendi approbationem confessario regulari approbato *ad beneplacitum*, vel eandem tollendi *ante tempus* litteris definitum, est Episcopi *ius personale*, quod exerceri nequit a *Vicario Capitulari*. Cfr. resp. S. C. EE. et RR. 19 iun. 1806, apud Bizzarri p. 451 sqq.

B. *De experimento habilitatis per interrogationes.*

Revocatio indirecta : Eorum qui ex examine non mutuantur ius ;

a) Qui approbati fuerint *sine examine*, possunt semper astringi faciendo periculo [3]. Perinde dicendum est de iis qui in tempus sunt approbati, *adveniente* die, vel qui approbati sunt *ad beneplacitum*, quatenus suo beneplacito *ipse* saltem *Episcopus* modum imponere potest.

---

[1] De eodem argumento cfr. C. de Lugo, *De Paenit.* d. 21, n. 64 ; S. Alphonsum l. 6, n. 551; Piat, II, p. 179, ubi retexit priorem sententiam quam proposuerat in *Mélanges théolog.* s. 4, p. 149.

[2] Cfr. etiam resp. S. C. EE. et RR. 8 feb. 1896. *Monitore* IX, 2, p. 49.

[3] Ii quos Episcopus instituerit parochos non sunt obligandi ad examen nisi vehementem dederint suspicionem imperitiae. S. C. C. 15 ian. 1667 ; Ben. XIV, *Instit. canon.* 9, n. 16; C. d'Annibale III, 319, nota 13.

b) Approbati vero *post examen* nullatenus possunt obligari *a Vicario capitulari* ad periculum faciendum [1] ante diem ad quam approbatio est concessa. Neque *ipse Episcopus* id potest qui *per se* approbaverit, nisi causa iusta intercesserit attinens ad confessiones. Is tamen, ad suae conscientiae quietem, revocare potest quos probaverit Vicarius generalis vel Episcopus decessor. Cfr. C. *Superna* Clementis x, c. *Romani Pontificis Providentia*, 6 aug. 1571, S. Pii v.

Eorum qui post examen sunt approbati.

4. *Confessarii Regularis facultates propriae.* Praeter specialia privilegia :

Confessarii regularis facultates.

a) Mendicantes, modo a suis Superioribus legitimam assecuti sint facultatem, possunt absolvere, pro foro interno, a casibus qui *a iure reservati* sunt Episcopis. Ita habet sententia quae S. Alphonso l. 7, n. 99 visa est communior et probabilior.

b) *Peregrinos* absolvere valent a casibus qui in peregrinorum dioecesi, non autem in loco confessionis sunt reservati [2]. Ita ex C. *Superna*, quae excipit tamen casum quo peregrinus venerit in *fraudem reservationis*, i. e. qui ideo, saltem principaliter, alienam petierit dioecesim ut effugeret iudicium proprii Ordinarii.

II. *Congregationes religiosae per se* non alia fruuntur iurisdictione fori interni quam quae per Episcopos sit communicata. Nequit tamen Episcopus arbitraria facultatum negatione impedire earum sacerdotes quominus ministeria suae professionis religiosae exercere valeant.

De iurisdictione Congregationis religiosae.

517. Quaeres an possint **Confessarii Regulares a proprio Praelato suspendi** ab audiendis confessionibus ?

Suspensio a proprio Superiore. Eius vis et obligatio.

1. Possunt quidem ; atque ea suspensione tollitur omnis iurisdictio quae per Ordinem communicatur. Quare nullus iam erit usus privilegiorum sive quae Regularibus sunt communia, sive quae alicuius Ordinis sunt propria.

2. Non tamen aufertur iurisdictio quam Episcopi solent, una cum approbatione, Regularibus sicut reliquis Sacerdotibus conferre.

Quare Regularis qui hanc suspensionem posthabeat, plerumque *valide* non tamen *licite* audiet saecularium confessiones [3]. *Non licite*, inquam : quo vero gradu culpae, id ex modo quo obligent Superiorum praecepta erit eruendum. Cfr. supra, n. **297**.

---

[1] Cit. instr. 1806, Bizarri, p. 451 sqq. Immo etiamsi approbatio fuerit *ad beneplacitum*, hanc facultatem S. Congregatio abiudicat a Capitulo vel Vicario capitulari.

[2] Possunt tamen Regulares uti ea facultate absolvendi peregrinos quam probabilis sententia addicit simplici confessario. Cfr. theol. moralis scriptores.

[3] S. C. EE. et RR. 2 mart. 1866, A. S. S. 1, 683.

Familiares, quinam?

518. Quaeres de familiaribus Monasteriorum, quinam sint et qua potestate absolvantur.

Descriptio generalis.

1. Familiares sunt personae saeculares quae, secundum Trid. conc. s. 25, c. 11 *De Reg.* « sunt de monasteriorum seu locorum familia. » Iidem a Clem. x, C. *Superna* describuntur « qui sunt vere de familia et continui commensales, non autem... qui tantum ipsis (Regularibus) deserviunt. » Hinc :

Quid de famulis ?

a) Secundum communem sententiam, in Regularium familiaribus referuntur *famuli* qui in domo ubi vita agitur regularis, continuo, i. e. diu noctuque, habitare solent, — quamvis actu fortasse, v. gr. per iter, versentur extra monasterii saepta, semper tamen sub oboedientia Regularium constituti, — minime autem qui sumptu suo aluntur, vel diurni sunt operarii ad certos conducti dies. Cfr. v. gr. Lehmkuhl, II, 395.

De alumnis convictoribus.

b) Disputatur de *alumnis convictoribus* in collegio quod a religiosis vere regitur. Namque si regulares magistrorum tantum fungantur officio, ipsa domus non est regularis, nec in ea vivitur sub eorum oboedientia.

Plures, v. gr. Santi, *Praelectiones*, l. 3, t. 36, n. 14, negant eos esse vere familiares. Nituntur quibusdam responsis S. C. EE. et RR., eo potissimum quod datum est in Parmensi, 21 iul. 1848. Verum his rem non confici satis apparet ex ambiguo exitu posterioris causae Setinae, quae partium concordia est soluta [1].

Perperam vero a Santi inter condiciones in familiaribus a C. Tridentino requisitas ponitur eos debere in locis exemptis *actu servire*. Verba enim ista nec in Tridentino sunt decreto, nec in C. *Superna*. Reperiuntur tantum in C. Gregorii XIII *Circumspecta*. Sed **a**) C. ista est lata pro Fratribus Militibus Hospitalis S. Ioannis de Deo ; **b**) Quaestio movebatur de personis quae aliquo modo erant istorum Militum servitio addictae. Quare S. Pontifex, postulando ut *actu inserviant*, non tam requisivit ut essent loco servientium, sed ut qui eam condicionem allegabant *actu* servirent. **c**) Denique servitium ibi late intellegebatur etiam de spirituali cappellanorum ministerio.

Non pauci tamen convictores istos ad familiares ascribunt. Ita Pichler, *Ius can.* decis. 177 ; Pellizarius, *Manuale*, tr. 8, c. 3, n. 302 ; Schmalzgrueber, cons. 32 ; card. Tarquini, in libello typis edito per occasionem causae Setinae, etc. Scriptum enim legis Tridentinae et Clementis, quod supra dedimus, ad convictores istos aeque atque ad famulos aptatur ; potiore autem iure in eosdem quadrat ratio,

[1] Documenta ista habes apud Lucidi, II, c. 6, § 2, n. 42-48. Causa Setina plenius describitur in A. S. S. t. 3, p. 47-61.

cum plenius quam famuli a Regularibus regantur. Accedit huc pluribus Ordinibus et Congregationibus diserte concessum esse ut convictores essent inter familiares [1]. Quod videtur cum aliis Ordinibus communicari.

Ad hoc quidem argumentum, opponit Santi l. c. exemptionem non comparari communicatione privilegiorum. Quod verum est, si de substantiali exemptionis beneficio agatur. Sed num regula ista eleganter traducitur ad hanc alteram speciem, in qua mere agitur de subsiciva quadam definitione exemptionis iam pari iure pluribus concessae Institutis ?

Quare, quod satis est, convictores istos esse familiares vere est probabile. Cum tamen per ferias redeant sub solum dominatum parentum, tunc iam non videntur in familiae versari condicione. Lehmkuhl, II, 398.

De hospitibus, infirmis.

c) *Hospites, infirmi*, etc. qui curis Regularium sunt commissi non videntur satis sub eorum oboedientia, ut, quantum est ex C. Tridentino et C. *Superna*, dici possint *familiares*. Repugnat etiam resp. citata in causa Parmensi [2].

2. Age porro, quotquot sunt vere *familiares* absolvi possunt a confessariis regularibus etiam nulla petita Episcopi approbatione. Quia vero, contra ac novicii, simul plane manent saeculares, famuli et convictores videntur etiam, probabilius, absolvi posse a confessariis saecularibus. Lehmkuhl, II, 398.

Potestas dispensandi in irregularitatibus ;

519. De Potestate dispensandi. 1. *In Irregularitatibus.* a) Regulares possunt, tam ad suscipiendos quam ad exercendos ordines, dispensare ab irregularitatibus ex *delicto occulto* et *pro foro tantum interno*. Ex communicatione privilegii quod Soc. Iesu tribuit C. *Plura inter*, 11 iui. 1826, Leonis XII. His non continetur irregularitas ob homicidium plane voluntarium, quae digna est speciali mentione.

b) Ex communicatione privil. Congregat. Clericorum Excalceat. Crucis ac Passionis D. N. I. C., seu rescripti Pii VI, 27 maii 1789, dum sacris missionibus aut publicis exercitiis tradendis iucumbunt, paenitentes pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum dispensare valent ab omnibus irregularitatibus *occultis*, etiam quae *specialem, expressam* et *individuam* mentionem alias exigerent.

In censuris ;

2. *In censuris*. A non reservatis absolvunt omnes confessarii approbati ; confessarii *regulares* proprie dicti possunt praeterea absolvere a censuris reservatis quae *iure communi*

---

[1] Immo PP. Doctrinae christianae concessum est manetque privilegium excipiendi, sine Episcopi approbatione, confessiones alumnorum externorum, modo confessiones in ipso collegio audiantur.

[2] Recens tamen S. C. Episc. et Regul. privilegium agnovit Fratrum S. Ioannis de Deo.

reservantur Episcopis, excepta, in Italia extra Urbem, clerici percussione cuius absolutio tribuitur Episcopo : percussionem dico levem a quolibet, aut gravem quae a muliere sit facta. Cfr. Lehmkuhl, II, 968.

In votis. 3. *In votis.* Praeter quinque vota reservata S. Sedi [1] et ea quorum dispensatio tertio afferret praeiudicium, possunt certe *commutare,* et secundum sententiam inter Regulares communem, etiam *dispensare* in votis. Communis sententia postulat ut sint ab Episcopo approbati pro confessionibus ; permittit vero ut hac facultate utantur etiam extra confessionem.

Facultas *commutandi* constat ex C. *Inter ceteros*, § 29, Iulii II, data Canonicis Regularibus et C. *Plura inter* Leonis XII concessa Societati Iesu ; *dispensandi* vero satis bene demonstratur ex priore Constit. et C. *Etsi a Summo* § 40 Leonis X. Dubium de hac re cfr. Piat. II, p. 332-333.

Quid, si iuramento confirmata ? Quod si fuerint *iuramento confirmata*, ea *commutare* [2] nihilo minus possunt ex C. *Decet Romanum Pontificem* 3 maii 1575, Gregorii XIII.

In ordine ad petendum debitum. 4. *In ordine ad petendum debitum*, confessarii regulares dispensare possunt :

a) *In affinitate contracta* ob incestum commissum post factum coniugium. Ita, ex oraculo Iulii II in gratiam Fratrum Minorum, quod, cum C. Paenitentiarius Maior illud fecerit authenticum, non est revocatum (cfr. supra n. **359**). Cfr. Piat, II, p. 344-345.

b) In *voto castitatis* ab altero tantum coniugum post matrimonium facto. Non est enim *perfectae* castitatis, nec proin reservatum. Quod si ante matrimonium fuerit emissum, non pauci affirmant privilegium Regularium illud etiam spectare. Sententiam tamen istam solido argumento non videntur efficere. Cfr. Piat, II, p. 343. 344.

N. B. Utrum necne confessarii regulares, ad exercendas has facultates, opus habeant Superiorum licentia, non videtur constare, ait *Monitore*, X, I, p. 189.

De Extrema Unctione. **520. De Extrema Unctione.** Huc redeunt dicta de Viatico. Cfr. n. **509**.

De Matrimonio. **521. De Matrimonio.** Regulares, non minus quam sacerdotes saeculares, opus habent delegatione sive parochi proprii alterutrius sponsorum, sive Episcopi, ut licite, vel adeo, in locis ubi viget Decr. *Tametsi*, valide intersint matrimonio tamquam testes « authorizabiles ».

---

[1] Castitatis perpetuae, religionis, visitandi limina Apostolorum, peregrinationis Hierosolymitanae vel S. Iacobi in Compostellis.

[2] Non semel negavit S. C. Prop. Fld. facultate in vota contineri facultatem in iuramenta. Cfr. *Collectanea* n. 1183-1184. n. 2085. 2087.

522. De iustis funebribus. Regulares habent etiam *ius funerandi* quotquot *saeculares* in ipsorum ecclesiis legitime elegerint sepulturam. Unde et exsequias peragere, et corpus, non quidem sollemniter, sed cum stola et cruce conventus, in coemeterium deferre possunt. Quo casu, ad parochum spectat ius levandi corpus idemque associandi usque ad ecclesiam regularem, et ipsi competit certa pars (quae consuetudine definitur) emolumentorum quae obveniunt ecclesiae tumulanti. Haec dicitur *quarta* funebris. Cfr. Piat, *Praelectiones*, etc. II, p. 306-328 [1]. *De iure funerandi.*

523. De campanis ecclesiarum. 1. Nihil iam, sive ex usu contrario sive ex privilegio ab Innoc. XI concesso Fratribus Praedicatoribus C. *Exponi nobis*, obstat *Extravagans communis*, Quia cunctos, un. *De officio custodis* (I, 5), quominus *Regulares* etiam Mendicantes habeant plures campanas. *Quot liceat Regularibus campanas habere ?*

Campanae tamen istae, secluso speciali privilegio, cuius usus propriis ecclesiis per se circumscribendus est, sunt ab Episcopo *benedicendae*.

2. Campanas suas Regulares proprie tales *libere pulsant* [2]. Attamen, saltem in locis ubi hoc ius maioris ecclesiae servatur, pulsare nequeunt campanas postquam feria V in Cena Domini siluerint campanae ecclesiae principalis, vel antequam in Sabbato Sancto rursus pulsari coeptae sint. C. *Dum intra*, Leonis X et plures decl. S. R. C. *De earum pulsu.*

3. Si Episcopus generalem indixerit pulsum, Regulares hac iussione tenentur. S. R. C. 3 april. 1821, ad 3. *Decr. auth.* n. 2613.

4. In ecclesiis non exemptis *per se* observanda erunt praescripta Episcopi de campanarum pulsu.

524. De Indulgentiis. Gratiae quae naturam habent Indulgentiarum nequeunt populo publice proponi [3] vel typis vulgari sine licentia Episcopi. C. Trid. s. 21, c. 9 *De Ref.*; sess. 25 Decr. *De Indulgentiis*. *Indulgentiarum publicatio.*

525. De Benedictionibus. 1. Post resp. S. C. Concilii, 17 ian. 1896, quae iussit communicari decretum S. R. Congr. 13 iun. (21 nov.) 1893, a quolibet sacerdote, qui expetitus fuerit, *benedictio mulieris post partum* fieri potest, idque in qualibet ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae. Parochus expetitus ministerium detrectare nequit. *Decr. auth.* n. 3813, *Monitore eccl.*, IX, 2, p. 74. Cfr. etiam *Monit.* XIII, p. 127. *De Benedictione mulieris post partum ;*

---

[1] De isto iure funerandi non raro moventur quaestiones. Cfr. responsa S. Congregationis in PERIODICA.

[2] Nihil obstat responsum 15 nov. 1905, quod ob causas particulares vetitum aliquod Episcopi probavit. Cfr. PERIODICA, n. **101**, t. 2, p. 57.

[3] Hoc de prima publicatione videtur intellegendum, non totiens quotiens eandem voluerint nuntiare. Cfr. Piat, t. 2, p. 29, nota 3.

Domorum, agrorum, animalium;

2. Nemini etiam reservatur *privata* benedictio domorum (excepta benedictione in Sabbato Sancto), navium [1], agrorum, animalium. Cfr. S. R. C. 13 iun. 1893 *Decr. auth.* n. 3801 ad VI.

Aliarum rerum.

3. Quod ad *facultates benedicendi* res (numismata, rosaria, etc.) ut Regulares iis utantur, nulla opus habent Episcopi facultate, nisi haec ipso facultatis scripto requiratur, vel agatur de erigenda *Via Crucis*. Si vero ipso Indulto postuletur Ordinarii licentia, Episcopi assensum petere debebunt Regulares qui extra sui Ordinis conventum has facultates exercere velint, intra vero huiusmodi Conventum, satis erit si licentiam obtinuerint Superioris qui in suo Ordine vera praeditus sit iurisdictione. Cfr. S. C. Indulg. 5 feb. 1841 ad 2. (*Decr. auth.* n. 286); 2 ian. 1888, *Monitore*, IX, 1, p. 54.

De isto consensu, Instructio generalis 14 iun. 1901 optat ut sit expressus; declarat tamen sufficere *tacitum* vel *implicitum*, « et in aliquo casu, quando practice aliter fieri nequeat » etiam prudenter *praesumptum*.

Eadem Instructione, ad *validum* usum facultatis benedicendi numismata, etc. cum applicatione Indulgentiarum Apostolicarum et S. Birgittae, opus est ut sacerdos sit saltem ad virorum confessiones audiendas approbatus; ac *decere* dicitur ut petitio facultatis commendetur a Superiore Ordinis vel Instituti quod iuris est Pontificii. Cfr. *Monitore* XIII, p. 199.

De SS. Reliquiarum veneratione.

526. De Sacris Reliquiis. *Publico* cultu donari nequeunt reliquiae nisi ab Episcopo fuerint recognitae et probatae. Ita Conc. Trid. s. 25 Decr. *De invoc. venerat. et reliquiis sanctorum*. Quo decreto teneri Regulares in suis ecclesiis, declaravit S. C. C. v. gr. in Viterbiensi, 25 iun. 1622, in Olomucensi, 7 iun. 1755.

De processionibus frequentandis,

527. De processionibus. 1. Regulares, nisi strictiore clausura ut Carthusiani, aut speciali privilegio, ut Carmelitae Discalceati et Societas Iesu excusantur, debent, si vocati fuerint, interesse processionibus publicis et consuetis, aut quas pro bono publico indixerit Episcopus. C. *Dum intra*, Leonis X; C. Trid. s. 25, c. 13, *De Regul.* Recusantes possunt ab Episcopo poenis sibi bene visis compelli. S. R. C. 28 sept. 1658. *Decr. auth.* n. 1096.

Excusantur tamen quorum sedes a civitate 1/2 milliario absint. *Decret. auth.* n. 1096.

Vel instituendis.

Episcopi est controversias de « praecedentia [2] » compo-

---

[1] *Decr. auth.* Rit. n. 1424.

[2] Hoc ordine veniunt Regulares inter se. Praecedunt *Canonici Regulares*; deinde *Clerici regulares*, tum *Monachi*, denique *Mendicantes*. Inter *hos*, potiore iure sunt qui in quasi possessione sunt praecedentiae, sin minus qui in loco priores habuere Monasterium. Cfr. v. gr. S. C. EE. et RR.

nere [1].

2. Ipsi Regulares, extra *ambitum ecclesiae* vel *claustri*, nequeunt processiones facere, sine petita licentia Episcopi vel parochi.

Non indigent tamen illa licentia ad processionem quam velint instituere infra Octavam Corporis Christi [2].

PARERGON. De societate meritorum et bonorum operum

528. 1. Quos sui Instituti cognoverint amicos vel benefactores solent Superiores regulares, etiam scripto diplomate, ad participanda eiusdem Instituti merita et bona opera asciscere. *Usus Religionum.*

2. Quae potestas, non tantum Generali Superiori, sed etiam Provinciali et locali inest, respectu operum suae Provinciae vel Domus ; eademque manat ex *dominativa* potestate. *Quinam possint bona opera communicare.*

3. Quod ad vim et efficaciam istius communicationis : *Communicationis vis.*

a) Nulla, sine speciali privilegio, tribuitur indulgentia, sed ex quo socius fias bonorum operum, iam ad eos ascriberis pro quibus non pauca Sacrificia et Suffragia diserte praescribi et offerri consueverunt. *Per modum suffragii,*

b) Nec omittunt religiosi ad Superiorum mentem seu intentionem privatas fundere orationes ; immo, iure ac merito existimantur tacitam sed generalem habere voluntatem iuvandi sua impetratione quotquot Instituto suo sint accepti. *Per modum impetrationis.*

Simile beneficium etiam a Sancti Ordinis patronis exspectari potest.

c) Praeter hanc formalem impetrationem, non secus ac praesentia Ordinis merita incipiunt ei prodesse qui in Ordinem cooptatur et valere apud Deum ut rationes largiendi *Et meriti.*

---

15 mart. 1895 (MONITORE, IX, 1, p. 171). Extra saltem processiones, competit FF. Praedicatoribus privilegium vi cuius inter Mendicantes primum habent locum. Cfr. Piat, II, p. 43-46.

Inter Regulares eiusdem Ordinis, prior est qui prius fecit professionem sollemnem ; vel simplicem, si agitur de simpliciter professis ; inter novicios vero, qui prius habitum induit. Ferraris v. *Praecedentia* n. 30 ; MONITORE, XI, p. 179.

[1] Quod intellege de ordinatione illa quae moram non patitur. Definitiva enim istius litis sententia spectat ad Congregationem, quae non ita raro has causas dirimere debuit. Cfr. Passerini, t. 3, p. 907, n. 994.

[2] Ex Greg. XIII. C. *Cum interdum*, 11 mart. 1573 ; Innoc. XII C. *Sua nobis*, 25 feb. 1696. Ferraris. v. *Processiones*, n. 28. Immo ex Innocentii XI C. *Cum inter*, 20 maii 1682, possunt in Archidioecesi Mechliniensi etiam alteram instituere, in die dominica vel festiva de praecepto, determinanda ab iisdem Regularibus, cum approbatione Archiepiscopi, infra terminum unius mensis.

bona, ita, ob peculiarem illam coniunctionem cum Ordine, personis multiplex tribuitur auxilium divinum et misericordia. Quo enim gratior sis Deo, eo magis in largienda tibi et coniunctis dona inclinat divina Munificentia.

Quare participatio ista amplis verbis celebratur a scriptoribus, v. gr. a Tamburini, qui de hoc disserit argumento, t. 2, d. 9 quaesit. 3 et 4. Cfr. etiam S. Thom. in l. 4 *Sententiarum*, d. 45, q. 2, art. 1.

CAPUT IV

DE RELIGIOSIS MISSIONIBUS IN PARTIBUS ACATHOLICORUM VEL INFIDELIUM

Pellizarius, Manuale, etc. tr. 8, c. 4, s. 3; *Vericelli, De Apostolicis Missionibus*, q. 98; *Zitelli, Apparatus iuris ecclesiastici*, c. 4; art. 2; c. 6. 7; *Mélot, De Ordinibus*, etc., p. 124-128, 206-213.

N. B. Fusius, ut animo destinatum est et si Deus dabit, argumentum istud in distincto opere de missionariis persequemur. Hic brevem dabimus summam eorum quae caput esse videntur.

Fontes iuris.

529. Fontes iuris tribus praesertim continentur Constitutionibus. *Religiosorum quorumcumque*, 8 nov. 1601 [1], Clementis VIII; *Firmandis*, 6 nov. 1744, Benedicti XIV; *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, quae posterior Constitutio, a Leone XIII data pro Anglia et Scotia, formaliter est extensa ad Foederatos Americae Status, Americam latinam, regiones Indiarum et quotquot subsunt Propagandae Fidei; et a Romanis Congregationibus pro perpetua norma habetur.

Adeunda praeterea sunt varia Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide, nominatim 12 aug. 1851, 23 feb. 1880, 28 ian. 1886, de Vicariis Apostolicis et missionariis Societatis Iesu, denique, ea quae habentur in Collectaneis Prop. Fidei.

De regimine missionis religiosae varia disciplina.

530. Regimen districtus ecclesiastici et missionis religiosae, in iis saltem locis ubi hierarchia ecclesiastica non est restituta, prius uni eidemque est commissum, ita ut Vicarius Apostolicus simul esset in his partibus primarius Superior regularis [2]. Verum dein satius visum est ambo munia separare; et hodie, nisi specialis Sacrae Congrega-

---

[1] Vericelli, op. c., q. 98, d. 26 vel Vermeersch, *De Religiosis*, t. 2, p. 717.
[2] Decr. 1851.

tionis facultas accedat, distinctus constituendus est Superior regularis, ubicumque missio regatur per aliquem qui episcopali charactere sit insignitus.

Partes Vicarii apostolici et Superioris regularis.

Hinc, omnis gubernatio et *administratio Vicariatus* pertinet ad solum Vicarium apostolicum. Huius auctoritas ordinariam auctoritatem Episcopi in sua dioecesi proxime imitatur.

Regulari vero *disciplinae* praeest solus Superior regularis. Huius auctoritas est quasi provincialis ; subditur tamen, nisi missio sit sui iuris, Superiori provinciae cui missio est concredita. Instituitur a Superiore Generali, audita prius, saltem in missionibus Societatis Iesu, sententia Vicarii Apostolici et Superioris Provinciae. Restituta hierarchia, sententia Episcopi non iam est exquirenda (Pr. F. 21 ian. 1895).

Ipsius Instituti exemptio.

531. Condicio ipsius Instituti. 1. Institutum servat sua privilegia et nominatim *exemptionem*, quam ipsi, etiam in parvis domibus, confirmat C. *Romanos Pontifices*.

Scholae et collegia.

2. *Scholae et collegia* quae ab Instituto, secundum proprium suum finem, suscipiuntur, plane eodem sunt iure in Missionibus quo extra Missiones.

Ratio dependentiae.

3. Quod si in pluribus rebus Episcopi vel Vicarii apostolici auctoritas praevalere videtur, causa est, non derogatio iuris communis [1], sed peculiaria adiuncta Missionis, in qua regulares fere omnem exercent curam animarum saecularium et multas recipiunt eleemosynas quae, ex mente donantium, Missioni potius quam Instituto sunt attributae.

De Sodalibus. Eorum exemptio.

532. Condicio religiosorum. 1. Hoc statuitur summum principium : quatenus sunt *Religiosi*, eadem ratione qua in Europa immunes sunt iurisdictione Episcopi vel Vicarii apostolici ; quatenus autem sunt *Missionarii* et saecularibus sacramenta ministrant, vel iis deputantur ecclesiis, piis locis, Institutis, quae sunt in potestate Episcopi vel Vicarii Apostolici, *etiam* et *praecipue* his obtemperare debent.

In potestate autem sunt Episcopi vel Vicarii apostolici regimen seminarii cleri saecularis, cura monialium, ecclesiae quasi parochiales, scholae elementares vel pauperum.

Missio ;

2. Religiosi in Missiones mittuntur a proprio Instituti Superiore, qui, in hunc finem, indultum apostolicum habere solet.

Debutatio ad munia ;

3. Ad munia quae sunt in potestate Ordinarii loci praesentantur a Superiore regulari, instituuntur vero a loci

---

[1] Hoc iure communi iam novimus in erigendis coenobiis, ecclesiis, in cura animarum saecularium Religiosos etiam exemptos potestate Ordinarii loci esse obnoxios. Quare his et similibus hic supersedemus.

Ordinario, atque ab eodem iurisdictionem accipiunt. Decr. 1886.

Oboedientia in muniis exercendis ;

4. In exercendis istis muniis praecipue parere debent Ordinario loci, a quo visitantur et cui debent de sua administratione reddere rationem.

Obligatio frequentandi collationes, Litandi pro populo ;

5. Dum actu his ministeriis funguntur, debent interesse collationibus cleri.

6. Quam diu veram paroeciam non obtinent, in quasi-paroeciis non debent pro populo ex iustitia Deo litare.

Remotio ab officio.

7. Removeri possunt tam ab Episcopo vel Vicario Apostolico quam a proprio Superiore, aequo iure, ita ut neuter ad alterum de re debeat referre. (Decretum 1886.)

Qua iurisdictione absolvantur ?

8. In foro autem interno, sui Ordinis iurisdictionem experiri pergunt, nec saecularizatis ullatenus assimulari queunt.

Quisnam solvat controversias inter religiosos ?

9. Controversiae minus graves inter religiosos subortae dirimuntur a Vicario Apostolico tamquam delegato S. Sedis.

Bonorum temporalium varium regimen.

533. De bonis temporalibus. 1. Ab hoc initio est proficiscendum, bonorum temporalium quae Missionibus deputantur triplex esse genere regimen.

a) Alia enim *plene ad religiosum Institutum* pertinent, ita ut ad Ordinarium nulla eorum spectet cognitio.

b) Alia Instituto vel religiosis *sunt concredita*, ab ipsisque procurantur (administrantur), ita tamen ut Ordinario reddendae sint rationes.

Quod ut praestent, « Episcopum docere debebunt Regulares quantam v. gr. pecuniam acceperint » et « quantum de ea et quos in usus impenderint » atque in universum, non secus ac saeculares missionarii, eiusdem stare mandatis. Cfr. C. *Romanos Pontifices*. Immediata tamen gestio ad Regulares spectat et a mente S. Sedis non minus quam a largientium voluntate fuerit alienum, si hanc sibi provinciam usurparit Ordinarius. Quocirca nullo etiam pacto coguntur Regulares ea quae sic fuerint missionariis deputata per medium Ordinarium ad eosdem transmittere, dummodo ne detrectent rationes, quas solas decreta pontificia Ordinario addicunt.

Immo de gestione ista, cum per subditum exerceatur, etiam Superior regularis cognoscere potest, ita tamen ut potior sit Ordinarii sententia.

c) Alia denique bona *plene* sunt *Ordinario* commissa ab ipsoque etiam immediate reguntur et partiuntur.

Bona data intuitu Religionis vel Missionis cuinam subiciantur regimini ?

2. Iam vero, omissis pecuniis et donis quae ab Ordinario sibi sunt comparata, bona quae Regularibus *qua talibus* obtingunt a iurisdictione Antistitis sunt exempta; de iis autem quae *intuitu Missionis* sunt ab ipsis accepta, Ordinario rationem reddere debent.

Quaenam bona alterutrius sint classis ?

3. Quaenam alterutrius sint generis definit voluntas donatoris, cuius exquirenda sunt documenta. Quod si de eius mente non constet, probatae sunt regulae quaedam vel praesumptiones statutae in Concilio Westmonasteriensi. Has cfr. in *Collect. P. F.* p. 160, vel in monumentis alterius tomi, n. **277**, p. 730 sq.

De *pecuniis*, quae aliunde ad certum mittuntur Missionarium, id nobis videtur dici posse, nisi expressa fuerit alia voluntas, pecunias dono datas, quae ex iustitia tribuendae sint quasi-paroeciae vel pio loco cuius Ordinarius gerit tutelam, putandas esse oblatas *intuitu Missionis*, alias autem ipsius Missionarii usibus esse traditas ac proinde ad Institutum religiosum plene pertinere. Patet, fructus industriae, v. gr. stipendia Missarum, etiam acquiri religiosis.

PARS NONA

DE TERTIIS ORDINIBUS ET PIIS SODALICIIS SEU CONFRATERNITATIBUS

CAPUT I

DE TERTIIS ORDINIBUS

Ferraris, Bibliotheca canonica, v. *Tertiarii ; C. d'Annibale, Summula,* I, n. 106 ; *Hilarius, Liber tertii Ordinis ; Scherer, Handbuch des Kirchenrechts,* l. 4, c. 2, § 150 ; *Beringer, Die Ablässe,* p. 2, s. 3, n. 74-76 (p. 799 ed. 13) ; *Piat, Praelectiones,* etc. t. I, p. 30 ; t. II, p. 53 sqq. p. 115 ; *Angelus a SS. Corde, Manuale,* etc., t. 2, p. 423-433 ; *Hergenröther und Kaulen, Kirchenlexicon,* v. *Tertiarier und Tertiarierinnen.*

Communis Tertiariorum ratio.

534. Notio et genera Tertiariorum. 1. Tertiarii sunt quotquot, origine vel fine Instituti aut propria condicione praepediti quominus perfecte regularem cuiusdam Ordinis sequantur disciplinam, subsidiam quampiam eius regulae rationem profitentur.

2. Quare, communis est omnibus Tertiariis *professio quaedam vitae sanctioris ;* genere autem sunt trigemini.

Triplex genus : Religiosi,

a) Primi vere sunt *coetus religiosi virorum* vel *mulierum,* qui in numero Ordinum vel Congregationum religiosarum presse vel late sumptarum reponendi sunt. In aliis vota sunt sollemnia : ita in *Tertio* illo *Ordine regulari* qui in C. *Misericors,* 30 maii 1883, a Leone XIII memoratur ; in aliis vero vota tantum simplicia : quo regimine plerumque utuntur hodie congregatae mulieres Tertiariae, easdemque in nostris partibus videmus exercendae caritati in proximum, curandis infirmis, puellis docendis, etc., utilissimam operam navare.

Ad hoc genus referendus est Tertius Ordo S. Dominici, quem in Gallia condidit Lacordaire, ut eius sodales instituendae iuventuti operam dare possent. Namque finis iste a primo S. Dominici Ordine visus est alienus.

Quae Instituta, quamvis substantiam status religiosi contineant, dicuntur tamen Tertii Ordines, cum ob originem, qua ex societate vitae inducta apud Tertiarios sunt nata, tum quia tertiam sequuntur regulam, ad religiosam professionem et peculiarem finem propriis constitutionibus aptatam.

Tertiariorum istorum instituta alia sunt sui iuris, alia primo Ordini coniuncta et obnoxia, ita ut eius participare possint privilegia et quandoque exemptionem. Exemptionem tamen non habent mulieres Tertiariae. C. d'Annibale, l. c.

Vel Familiares ;

Hic memorandi etiam sunt hi qui singuli recipiuntur in monasterium virorum, ibique, nomine *Tertiariorum* vel *Oblatorum*, emissis votis simplicibus, sub oboedientia degunt Praelati regularis suntque exempti ab Ordinarii iurisdictione. Cfr. dicta n. **163**,5.

Beatae, Beguinae.

b) Alteri, seu potius alterae, namque hodie non sunt nisi mulieres, recepto habitu religioso et contentae voto castitatis, privatas incolunt aedes, dicunturque *Beguinae* [1], *Bizochae*, *Beatae*. Personae sunt ecclesiasticae, fruentes privilegio canonis et indulgentiis primi Ordinis.

Saeculares, Laici.

c) Tertii denique sunt perfecte *saeculares* et *laici*, qui, pro sua condicione, religiosam disciplinam sectantur.

Tertiariorum religiosorum commune privilegium quod ad indulgentias.

534bis. Ex decreto 28 aug. 1903, omnia Instituta Tertiariorum qui vitam agunt communem et simplicia faciunt vota religiosorum, dummodo Ordini cuius nomen et vestem ferunt legitime fuerint aggregata :

Omnes participant indulgentias primo et secundo Ordini directe a S. Sede concessas, tam personales quam locales ecclesiarum. Immo, si ecclesiam seu oratorium publicum ipsis desit, possunt *ipsi* Tertiarii et ii qui in eorum communitate degunt, indulgentias ecclesiarum in principali domus oratorio domus lucrari.

Speciales autem Tertii Ordinis indulgentiae, *saecularium* Tertiariorum factae sunt exclusive propriae.

Requisita condicio in vestibus.

Per se oportet ut vestes habeant aliquo modo similes primi et secundi Ordinis. Verum specialia decreta hanc condicionem satis relaxarunt. Cfr. rescripta S. C. Ep. et Reg. 18 martii 1904 pro sororibus Tertiariis SS. Trinitatis in Hispania ; 30 ian. 1905 pro Generali Fratrum Minorum, et 18 nov. 1905 pro Generali Fratrum

---

[1] Has ne confundas cum singulari Instituto Beguinarum Belgii, quae congregatae sunt in separatis vicis (*béguinages*) quos antiqui in Oriente vocassent *lauras*. Post annos aliquot vitae communis, permittuntur suam quaeque in vico habitare domum, promissa oboedientia cuidam Generalissae (*Grande Dame*) et castitate quam diu voluerint permanere in sua professione. Nocte, exclusis viris, clauditur vicus. Institutum istud ad nullum pertinet Ordinem ; pleraeque tamen sunt simul Tertiariae saeculares alicuius Ordinis, v. gr. S. Dominici.

Minorum Cappuccinorum (PERIODICA, n. **54**, t. 1, p. 147 ; n. **102**, t. 2, p. 57).

Tertii Ordinis saecularis definitio.

535. Quid Tertius Ordo saecularis et quinam sint. *Tertium Ordinem saecularem* describemus, probatum aliquod vitae genus (Ordo), quo, sub regimine Ordinis regularis presse dicti, ad christianam iustitiam et perfectionem contenditur eo modo quem fert condicio vitae saecularis.

Tertius Ordo S. Francisci.

Praecipuum Institutum istius rationis est saecularis *Ordo de Paenitentia*, S. Francisci, cuius primam occasionem ita refert Leo XIII : « Assectabantur maximo concursu, quacumque ille (S. Franciscus) ingrederetur : nec raro ex oppidis, ex urbibus frequentioribus universi promiscue cives homini erant supplices ut se vellet in disciplinam rite accipere. Quamobrem causa nata est viro sanctissimo, cur sodalitatem *Tertii Ordinis* institueret, quae omnem hominum condicionem, omnem aetatem, utrumque sexum reciperet, nec familiae rerumque domesticarum vincula abrumperet [1] ».

Alii Tertii Ordines.

Tertii Ordinis Dominicani prima initia fuere *Fratres et Sorores de Militia Iesu-Christi*, quos adversus *Albigenses* ordinavit S. Dominicus [2].

Ut Tertius alicui Instituto adiungatur Ordo, opus est auctoritate S. Sedis.

Porro Tertius est Ordo Praemonstratensium, Fratrum Praedicatorum, Carmelitarum [3], Eremitarum S. Augustini, Minimorum, Servorum B. M. Virginis, Trinitariorum [4]. Tertiariis assimulandi sunt *Oblati saeculares* S. Benedicti [5].

Tertius Ordo cur dicitur verus Ordo ?

536. Quae sit ratio ac natura Tertii Ordinis saecularis. 1. Dicitur *verus Ordo* [6], tum quia est ordinatus modus vivendi, directus non quidem ad evangelicam perfectionem, sed ad iustitiam christianam [7], tum quia approbata regula, noviciatu, professione, habitu peculiari, exteriorem imitatur Ordinis religiosi rationem. Cfr. n. **62**.

Est saecularis.

2. Sed Ordo est *saecularis*, carens essentia status religiosi : deficiunt consilia evangelica, obligatio regulae vel perseverantiae in professione, nec ulla vota fieri sunt solita [8].

---

[1] C. *Auspicato*, 17 sept. 1882. Idem autem Pontifex, C. *Misericors*, 29 maii 1883, novas leges eidem Ordini praestituit.

[2] Hilarius, op. c. p. 57, sqq.

[3] Huius etiam tertii Ordinis apte temperata est regula, 8 ian. 1883.

[4] Cir. *Kirchenlexicon*, l. c.

[5] V. gr. in Congregatione Cassinensi.

[6] C. Benedicti XIII *Paterna Sedis Apostolicae*, 10 dec. 1725 ; Leo XIII, 7 iul. 1883 in audientia Superiorum generalium Ordinis seraphici.

[7] « In curandis Iesu-Christi *praeceptis*, instituta franciscalia tota sunt posita » C. *Misericors Dei Filius*.

[8] In Tertio Ordine Carmelitarum emittuntur vota quaedam oboedientiae et castitatis ad praesentem statum aptata, quae dimissione ab Ordine auferuntur.

3. *Sub ductu Ordinis regularis presse dicti*, sive primae sive tertiae regulae.

Sub ductu Ordinis regularium.

4. Nomine igitur ac re Tertii Ordines distinguuntur a Confraternitatibus, habentque perpetuum privilegium istas collegialiter (sub propria Cruce ac veste sodalium uniformi [1]) *praecedendi*, in processionibus, etc. Quod formaliter est declaratum de Tertiis Ordinibus S. Francisci, S. Dominici, Carmelitarum [2]. Cfr. S. Rit. Cong. *Decr. auth.* n. 3664. 3794. 3795. 3819. 4012.

Praecedit Confraternitates.

Inter ipsos Tertios Ordines, prior incedit is qui tempore prius hoc loco est institutus.

537. Fratrum cooptatio. 1. Accessus ad tertium Ordinem per se patet quibuslibet Christi fidelibus, sive laicis, sive clericis, modo sint saeculares. Namque, quo perfectior sit regularis Ordinis imitatio, post decreta S. Congr. Indulgentiarum 16 iul. 1887 et 31 ian. 1893, ascisci nequeunt quotquot statum religiosum, vel in dioecesano Instituto, sunt amplexi. Atque cooptationes religiosorum, ante factae, infirmatae sunt.

Quinam cooptari possint?

2. Posteriore decreto sancitum etiam est, ne quis in plures simul Tertios Ordines cooptari valide posset. Opus ergo fuerit priorem abicere professionem, antequam ad alterum ascribi queas. Formalis enim transitus generatim non licet (31 ian. 1893, ad 8).

Quid de iis qui iam ad unum pertinent Tertium Ordinem?

3. Valide in Tertium Ordinem allegitur etiam qui in nullum simul cooptatur definitum Tertiariorum collegium seu sodalicium [3]. Consuevere tamen, si numero satis sint in uno loco, erigi in quadam ecclesia congregationes fratrum vel sororum Tertii Ordinis. Erectio ista fieri nequit nisi annuente Ordinario loci cui ius praeterea est congregationes istas in Regularium ecclesiis visitandi, non tamen quod attinet ad interiorem disciplinam [4].

Num opus sit Congregatione Tertiariorum?

538. Regulae, non sub peccato sed tamquam condiciones ad consequendas indulgentias et gratias, praeter christianam conversationem, praescribere solent ut, saltem sub vestibus, deferatur aliquis habitus proprius, et cotidie preces quaedam vocales recitentur : has supplet breviarium iis qui canonicis horis tenentur.

Vis regulae.

Quaenam praescribantur?

---

1 Opus tamen non est ut vestem integram assumant, sed sufficit ut propriis quibusdam utantur insignibus. Cfr. resp. S. Rit. Congr. 10 nov. 1905. (Periodica, n. **95**, t. 2, p. 44.)

2 Immo incedere possunt coniuncti primo Ordini, sub huius cruce, statim post primi Ordinis Fratres. Resp. S. Rit. Congr. 30 iun. 1905. (Periodica, n. **82**, t. 2, p. 28.)

3 S. Cong. Indulg. 14 iul. 1891 A. S. S. XXIV, 447 vel 558.

4 S. Cong. Indulg. 31 ian. 1893, ad 2. A. S. S. XXV, 506.

Gratiae.

539. Gratiae fere sunt *indulgentiae*, ad quas referendae sunt *absolutiones generales*, peculiaria *suffragia* post mortem, praeterea, sacerdotibus, usus quidam altaris privilegiati et quandoque facultas recitandi breviarium Ordinis regularis. Secundum recentem disciplinam, nullus iam *Tertius Ordo saecularis* indulgentiis fruitur primi vel secundi Ordinis vel alius Tertii Ordinis; sed suas quisque proprias habet quibus oportet ut sit contentus. (BERINGER, p. 803, n. v.)

Absolutionis generalis natura,

540. De Absolutione generali. 1. Haec est *deprecativa* poenarum peccati absolutio per modum non Sacramenti sed Sacramentalis, seu Benedictio cui S. Sedes coniungit etiam beneficium indulgentiae plenariae.

Collatio.

2. *Statis diebus* impertitur, *publice* quidem a Rectore Congregationis vel confessario delegato; *privatim* a quolibet confessario, saltem post absolutionem sacramentalem [1], datam in ipsis festis designatis vel in horum pervigilio.

Formula.

3. *Formula* huius absolutionis praescripta est a Leone XIII, 7 mart. 1883. Attamen, post sacramentalem absolutionem, etsi *per se* suadendus est usus formulae paulo longioris, *ad valorem* satis est haec pauca proferre; « *Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum Indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii* † *et Spiritus Sancti. Amen.*

Sodalium cooptatio.

541. De Tertio Ordine S. Francisci [2]. 1. In eum *cooptant* quotquot Superiores sunt Ordinis Minorum, Conventualium, Cappuccinorum, vel etiam Tertii Ordinis regularis; et quotquot ab iis delegantur sacerdotes [3].

2. Cooptari possunt quilibet utriusque sexus Christi fideles, modo quattuordecim annos sint nati. Ab uxore petendus est assensus viri, nisi aliter confessario sit visum.

Noviciatus, Professio;

3. *Noviciatus* indicitur unius anni, quem sequitur *professio*. Haec tamen nullam infert obligationem.

4. Ne, per tempus quo illud omittunt, careant privilegiis et iuribus, continuo (diu noctuque) sub vestibus deferre debent cingulum et parvum scapulare, definito ritu recipienda. Scapulare foret per se cingulo revinciendum, toleratur tamen, ubi vigeat, *usus* scapularis minoris qualia sunt

---

[1] Cfr. Angelum a SS. Corde, II, p. 429.

[2] Pleraque exscribimus ex C. *Misericors Dei Filius*.

[3] Ex recenti decreto S. C. Indulg. 4 martii 1903, novicii solius Congregationis Tertiariorum S. Francisci, in alia professionem facere possunt, et Professi ab una in aliam transire. Et sacerdos alicuius Congregationis rector, potest, si alio ipse transferatur, Congregationem huius loci sine nova delegatione suscipere dirigendam, dummodo Visitatorem Ordinis certiorem faciat. Non obstat congregationes istas ad varias Fratrum Minorum familias pertinere.

scapularia confraternitatum. (S. C. Indulg. 30 april. 1885, 10 iun. 1886.)

Ratio vivendi,

5. Sodalibus praescribitur modestus vitae cultus, fuga pompae mundanae, caritas mutua, confectio testamenti, abstinentia a non necessario iureiurando, oratio ante et post refectionem, vespertinum conscientiae examen, cotidiana, si fieri potest, assistentia rei divinae, et, nisi persolvant vel horas canonicas vel officium parvum B. M. V., cotidiana recitatio duodecim Pater et Ave et Gloria Patri.

Gratiae.

6. Quod *ad gratias :* Indulgentiae et privilegia huius Tertii Ordinis omnia nunc collecta habentur authentico elencho qui 11 septembris 1901 est approbatus. Ex iis haec pauca memoramus (Cfr. BERINGER, p. 809 sqq.) :

a) Ubi desit ecclesia vel franciscalis vel in qua canonice sit erecta Tertii Ordinis congregatio, Tertiarii, visitando *ecclesiam parochialem* « lucrari valent omnes indulgentias tam omnibus fidelibus ecclesias franciscales [1] visitantibus concessas quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae. » (Decr. 31 ian. 1893.) Immo qui in locis quales sunt seminaria, hospitalia, carceres, degunt, si moraliter impediuntur quominus ecclesiam visitent, possunt visitando istius loci oratorium domesticum, omnes lucrari indulgentias Tertii Ordinis pro quibus visitanda foret ecclesia.

b) Bis in anno indulgetur ipsis *Benedictio Papalis*. Qua qui ex condicione loci frustrantur, obtinere possunt, in compensationem, binas absolutiones generales.

c) Quotquot dicuntur Missae in suffragium fratrum vel sororum Tertii Ordinis ipsis prosunt quasi dictae sint in altari privilegiato.

d) *Tertiarii sacerdotes*, etiam Novicii [2], ter in hebdomada personali fruuntur beneficio altaris privilegiati, nisi iam simile pro alio die obtinuerint Indultum.

Possunt etiam, nisi choro sint ascripti, recitare horas canonicas secundum calendarium Ordinis S. Francisci, dummodo conformatio habeatur simul tum quoad Officium, tum quoad Missam.

Regimen.

7. Tertius Ordo regitur a *Visitatoribus (Patribus regularibus)*, qui nequent esse laici. Visitatoribus et Superioribus regularibus Ordinum S. Francisci competit facultas commutandi capita legis vel ab iis solvendi eos qui gravi et iusta causa eadem servare prohibentur.

---

[1] Ergo etiam Indulgentiam Portiunculae.
[2] S. C. Indulg. 3 sept. 1885.

CAPUT II

DE CONFRATERNITATIBUS

Pellizarius, Manuale, etc. tr. 8, c. 5, s. 6, *Aichner, Compendium iuris canonici*, p. 504-508; *Scherer, Handbuch des Kirchenrechts*, l. 4, c. 2, § 150; *Beringer, Die Ablässe*, p. 2, s. 3, p. 511 sq. (ed. 13); et s. 4; *Hilgers-Mazoyer, Manuel des Indulgences*, p. 110-130. 311. 348 et passim; *Piat, Praelectiones iuris regularis*, t. 2, p. 51-61; *Angelus a SS. Corde, Manuale* etc., t. 2, p. 349-357, 433-450; *Wernz, Ius Decretalium*, t. 3, tit. 25, p. 792 ss; *Tractatus de Indulgentiis ad usum alumnorum Sem. Mechlin.* p. 99-145; *Hergenröther und Kaulen, Kirchenlexicon*, v. *Bruderschaften.*

ARTICULUS I. Notiones communes

Confraternitas sumpta improprie.

542. 1. *Improprio dicendi usu, Confraternitas* est omnis Congregatio fidelium ad pias et devotas exercendas actiones [1]. Haec igitur ex *pietate* vel *caritate* christiana quasi ex stirpe nascitur, *fineque speciali* fovendi aliquam devotionem, peragendi opus bonum, distinguitur a Tertio Ordine, quo ipsa sodalium iustitia magis directe intenditur.

Confraternitas vera.

2. *Vera* autem *Confraternitas* postulat, praeter huiusmodi *finem, canonicam coetus erectionem,* qua fiat persona iuridica nec iam sodalium consensu dissolvatur, et *propriam sedem, certo loco,* ecclesia vel adeo altari constitutam.

Quid piae societates?

His tunc notis distinguitur ab aliis coetibus, qui, etsi fortasse quibusdam donati sunt indulgentiis, mere tamen sunt, diserte vel tacite, approbati, atque sociorum permanente consensu prorsus exsistunt. Tales sola quandoque sodalium voluntate exsistunt [2], positive autem probare vel prohibere in potestate est Ordinarii. Hos porro coetus nominamus *pias societates*, de iisque nihil praeterea videtur esse dicendum.

Confraternitatum antiquitas,

543. Primas confraternitates nonnulli repetunt ab Ordinibus Mendicantibus; sed iam saec. v ineunte, Alexandriae exstitit sodalicium *parabolanorum* [3]; immo, a° 336 occurrit Constantinopoli sodalicium « ad peragendas in communi omnium exsequias »; atque etiam saeviente persecutione, *collegia funeraticia* Ecclesiae christianae iam iuridice sunt agnita. Cfr. Wernz, n. 704. IV.

Genera.

544. Ut potissima indicemus **genera** in quae *verae* partiuntur confraternitates:

---

1 Ita fere Pellizarius. l, c. n. 260.

2 Cfr. Scherer, l. c.; Wernz, n. 704.

3 I. e. Hominum ipsius vitae profusorum, cum parati essent etiam pestifera lue infectis opitulari. Cfr. Beringer l. c. § 2.

1. Pro varia constitutione interiore, Confraternitates :

a) Aliae, *stricte tales*, sunt collegia cum quadam interiore hierarchia ad modum organici corporis constituta, quorum sodales proprio in pompis et caerimoniis induuntur habitu, qui vulgo *sacco* appellatur. Huiusmodi habentur Romae et in Italia, in nostris vero partibus fere ignorantur. *Confraternitates stricte tales.*

b) Aliae, licet etiam Confraternitatum nomen sortiantur, non raro iam potius dicuntur *Congregationes, Sodalitates,* seu Confraternitates *late tales* [1]. Quarum nonnullae ad priores satis accedunt, ob consuetos sodalium conventus, sollemnem cooptationis ritum et quandam consiliariorum electionem, minus tamen *arto* vinculo sodales colligant. Sunt etiam quae, excepta canonica erectione, magis pias societates imitantur, cum sine necessario congressu et copulatione personarum, in eas confluunt quotquot, levi expleta condicione, nomen dare voluerint. Quod ut domestico firmemus exemplo, eiusdem quidem generis sunt Congregatio Mariana et Congregatio a Bona Morte nuncupata. Prior tamen longe magis quam altera stricte acceptae Confraternitatis est similis. *Late tales.*

2. Aliae confraternitates sunt *coniunctae Instituto religioso,* aliae tali vinculo *solutae.* *Coniunctae vel non Instituto religioso.*

3. Aliae sunt *universales,* aliae *certo loco* seu *dioecesi circumscriptae.* *Universales et regione circumscriptae.*

Nunc singulatim de tribus quibus concrescit confraternitas : de *directione ad finem,* de *canonica erectione* et *aggregatione*, de *sedis designatione.*

545. I. **De fine.** Olim magis deputabantur confraternitates operibus *caritatis :* redimendi christianos captivos, visitandi atque alendi carcere detentos, excipiendi hospites, levandi infirmos, dum hodie potissimum *pietatis* excercent officia : specialem honorem Venerabilis Sacramenti, cultum Virginis, etc. Opera autem ista egrediuntur fines praeceptorum quibus omnes tenentur Christiani. *Finis.*

546. II. **De canonica erectione**, i. e. legitima institutione.

1. *Ad quemnam spectet.* a) *Iure ordinario* Confraternitates erigit Episcopus. Idque est ipsius proprium, ita ut S. Congregatio [2] suaserit *Vicario capitulari* abstinere ista institutione, hac, ni fallimur mente, « Ne Sede vacante aliquid innovetur [3] ». Vicarius autem *generalis* opus habet speciali delegatione. Hanc tamen concedere potest Episcopus ipso *Quisnam Confraternitates erigat iure ordinario.*

[1] Cfr. S. C. Indulg. 26 nov. 1880, ad. 3 (*Decr. auth.* n. 453) ; Decr. *Urbis et Orbis*, 25 nov. 1897, A. S. S. xxx, p. 276. Cfr. etiam Beringer, op. c. p. 500.

[2] S. Congr. Indulgentiarum, 23 nov. 1878. *Decr. auth.* n. 438.

[3] L. 3 Decr, t. 9.

modo quo mandatum confert Vicarii [1]. Erigendo Confraternitatem, Vicarius generalis acceptam facultatem memorare debet, S. C. Indulg. 2 aug. 1888.

Vi privilegii.

b) *Privilegio* autem sunt suae cuique fere Ordini confraternitates, quas per se instituit Superior generalis, tam in propriis ecclesiis quam in aliis, annuente tamen Ordinario.

Vi delegatae facultatis.

c) Eaedem, saltem quae, ex privilegio, a Superioribus religiosis, *simul cum erectione*, indulgentiis ditantur, nequeunt ab Episcopo institui potestate *ordinaria*. Immo, generali S. Sedes facultate *delegata*, si quam ad erigendas Confraternitates Episcopus acceperit, non paucae subinde exceptae sunt Confraternitates seu Congregationes, ita ut alias, v. gr. SS. Rosarii, erigere nullo pacto queat, alias vero, v. gr. Marianas Congregationes, instituere quidem possit non tamen indulgentiarum sodalicii primarii facere participes [2].

De facultate subdelegandi.

In locis tamen Missionum, si solam demas SS. Rosarii confraternitatem vel piam Unionem [3], pleniores adhuc a Cong. Prop. Fidei Episcopis sibi obnoxiis tribuuntur facultates.

Quas delegatas facultates Episcopus, post Decr. S. Officii 17 dec. 1898, *Vicario generali* vel alii sacerdoti subdelegare potest, nisi ipso indulto subdelegandi ius negetur vel artioribus limitibus circumscribatur.

Erigendae Confraternitatis leges communes.

2. *Erectiones legis.* a) Communes leges huc spectant, ut *gratis* (nisi sarciendi sunt sumptus) erigatur Confraternitas ; in aliis atque monialium ecclesiis [4] ; denique ut *una* tantum Confraternitas erigatur *in uno loco* [5].

De lege loci et distantiae.

Agedum, loca satis distincta sunt plura eiusdem municipii oppida *situ ac nomine* separata propriamque habentes ecclesiam parochialem. Immo, recens, 5 mart.-20 maii 1896, Leo XIII concessit per S. C. Indulg. ut in *magnis civitatibus* [6]

---

[1] Si litteris istis declarat se indulgere Vicario etiam quae specialia sint Episcopo. S. Congr. Indulg. 16 nov. 1888.

[2] Has proponit Beringer, op. cit. § 7, p. 543-544.

[3] Hanc facultatem a Prop. Fide adhuc tribui posse negavit S. Officium, cui causa est a S. C. Prop. Fid. et Congr. Indulgent proposita. Resp. 8-10 mai 1901 (MONITORE, XV, p. 1).

[4] S. C. EE. et RR. 22 aug. 1891, iterum declaravit sibi non placere ut in monasteriis monialium erigantur confraternitates laicorum, immo praecepit, ut erectae tollerentur secus transferrentur ; et S. C. Indulg. 29 feb. 1864, respondit non expedire ut id fiat in ecclesiis Congregationum quae scholas habent. De istis hoc intellegendum est Confraternitatibus quae statis diebus laicos congregant. Quod autem Pius IX et Leo XIII permiserunt ut in conservatoriis erigerentur Confraternitates SS. Cordis, et Cordis Imm. Mariae pro conversione peccatorum, id pro ipsis monialibus earumque familiaribus et discipulis solum concessum fuisse videtur.

[5] Ita decr. 31 ian. 1893. Namque antea requirebatur praeterea distantia 3 milliariorum, i. e. circiter 4 1/2 kil.

[6] Quaenam, pro numero incolarum et amplitudine territorii in magnis reponendae sint urbibus, prudenti permittitur Ordinarii definitioni.

possent Ordinarii, pro suo arbitrio et prudentia, in singulis casibus in hac lege dispensare, servata tamen distantia quae ipsorum iudicio videretur congrua.

Exceptiones.

Praeterea hac lege distantiae plures Confraternitates seu Congregationes sunt solutae, nominatim Congr. B. M. V. ; quare plures etiam eodem loco erigi possunt.

Leges erectionis faciendae ab Episcopo.

b) Ad *erectionem ab Episcopo* nihil praeterea requiritur, praeter authenticum eius diploma in archivio ecclesiae servandum.

A Superiore regulari.

c) In erectione autem quae fit auctoritate *Superioris generalis alicuius Ordinis,* salvo *peculiari privilegio,* observandae sunt, *sub poena nullitatis,* regulae praeceptae C. *Quaecumque* 7 dec. 1604, Clementis VIII, quatenus instauratae decreto Urbi et Orbi Pii IX, 6 ian. 1861. Sunt autem quae hic subiunguntur.

Litterarum forma ;

α) *Litterae erectionis* debent eius esse *formae* quae substantialiter congruat formulae praescriptae a Clemente VIII Et, nisi in ipsis litteris contineantur, simul saltem cum istis dari debent praecipua capita Constitutionis *Quaecumque.*

Ita ex decr. 8 ian. 1861 et 19 oct. 1866.

Numerus.

β) *Una* tantum eiusdem instituti et generis erigi potest *in uno loco,* ea quam modo diximus ratione.

Assensus Episcopi.

γ) Prius obtinendus est scriptus *assensus Episcopi,* vel Vicarii generalis, rite, ut supra, delegati. Quo dando consensu abstinere debet Vicarius capitularis [1]. Litterae quibus assensus significatur commendare debent Instituti pietatem ac religionem. Cfr. S. C. Indulg. 5 mart.-20 maii 1896.

Exceptio.

Attamen si agatur de Confraternitatibus a Superioribus religiosis *in propriis suis ecclesiis* erigendis, Ordinarii consensus tunc solum est necessarius, quando agitur de Confraternitatibus proprie dictis. (Cfr. n. **544**, 1), vel de iis quae suo Ordini non sunt *reservatae.* Si enim de Confraternitatibus agitur quas diximus late acceptas, et quae ipsorum Ordinis sunt *propriae* sufficit, in propriis Religiosorum ecclesiis, consensus praestitus ab Ordinario pro erectione Conventus Ordinis in dioecesi [2].

Indulgentiae.

δ) Nullae aliae ab erigente communicari possunt confraternitati *indulgentiae,* praeter eas quae in hunc finem fuerint concessae. Requiritur autem specifica et individua mentio singularum.

Statuta.

ε) *Statuta,* si quae sint condita (non sunt essentialia), probari debent Episcopo, qui eadem corrigere potest.

---

[1] *Decr. auth.*, 438.

[2] Cfr. resp. 25 aug. 1897, collatum cum resp. 15 nov. 1905. Severiorem arbitramur interpretationem Nouv. Rev. Théol., t. 30, p. 80, qua minus ad uniuscuiusque loci condicionem quam ad modum quo Confraternitas in Urbe constituitur foret respiciendum. Cfr. Beringer, p. 826.

Indulgentiarum promulgatio. ζ) *Gratiae et indulgentiae* communicatae Confraternitati debent prius ab Episcopo cognosci quam promulgentur.

Eleemosynae. η) Confraternitas *eleemosynas* excipere et erogare debet « iuxta formam per Ordinarium praescribendam [1]. »

Taxa diplomatis. θ) Litteras erectionis *gratis* omnino sunt dandae, si demas expensas « pro pergamena, scriptura, etc., pro quibus non licet accipere ultra 30 libellas. »

Poenae. ι) Praeter nullitatem, statuitur eo ipso contra aliter erigentes privatio officii (in ordine ad erectionem vel aggregationem) et inhabilitatis reservatae S. Pontifici.

Erectionis vis. 3. *Erectionis vis et effectus.* Erectione facta *a capite Ordinis*, Confraternitas canonice exsistit ut corpus morale, instructum etiam gratiis et indulgentiis.

Episcopalis autem erectio, salvo speciali Indulto, mere tribuit esse iuridicum, nullas autem indulgentias. Hae quaeri tunc consueverunt ope *Aggregationis*.

Aggregationis Notio, **547. De Confraternitatis aggregatione.** 1. *Notio.* Aggregatio est Confraternitatis iam canonice erectae adiunctio ad Confraternitatem principalem seu Archiconfraternitatem, ad obtinendam communicationem indulgentiarum et gratiarum.

Leges: Praeter modo descriptas, 2. *Leges.* a) Observanda sunt omnia illa, proportione habita, quae in Confraternitatis erectione postulantur, ut n. **546**, 2, **c.** est dictum.

Unitas, b) Uni tantum Archiconfraternitati coniungi potest quodlibet sodalicium.

Similitudo, c) Ipsa Archiconfraternitas non potest quaslibet sibi copulare Confraternitates sed eas tantum quae fine et titulo sunt sui similes [2]. Cfr. S. C. *Indulg.* 17 iul. 1891. Beringer op. c. p. 533, vel A. S. S. XXIV, 125.

Perpetua aggregatio. d) Aggregatio debet fieri *in perpetuum.*

Aggregationis vis. 3. *Vis.* Aggregatione consequitur Confraternitas gratias et indulgentias cum praesentes tum futuras quae primariae Confraternitati directe obtingunt, nisi huic quaedam titulo speciali fuerint concessae. Nec per se est in potestate Archiconfraternitatis aggregantis deminute seu partim tantum has gratias participare aggregatis sodaliciis. Cfr. Beringer l. c. § 6 ex S. C. Indulg. 18 iun. 1742 et 2 mart. 1748, *Decr. Auth.* n. 135 et 171 ad 1.

---

[1] *Exigi* nulla potest pecunia nisi per modum eleemosynae ad compensandos sumptus Missarum, etc. Et omnino est in votis S. Sedis ut pauperioribus nihilo minus pateat accessus. Aliae tamen contributiones seu largitiones in pios usus commendari possunt, modo in his colligendis serventur leges praescriptae Statutis dioecesanis, vel Ordinarius annuerit. Cfr. *Tractat. Mechlin.*, p. 106.

[2] Privilegium in hac re habet Archiconfraternitas in subsidium animarum Purgatorio detentarum erecta Romae in eccl. S. Mariae in Monterone. Cfr. Beringer, s. 3, n. 71, p. 788.

548. Quaeres qua alia via impetrari possint **Indulgentiae.**

Quibus aliis viis impetrentur indulgentiae?

R. *Directa gratia* S. Sedis.

Directa gratia.

Rescriptis istis concedi solent : **a**) Tres Indulgentiae plenariae, quarum una pro principali festo sodalicii, binae vero reliquae sodalibus comparantur die qua cooptantur et in articulo mortis ; **b**) Quater in anno, indulgentia septem annorum et septem quadragenarum ; **c**) Indulgentia 60 dierum pro singulis bonis operibus sodalium.

R. P. Beringer, a quo haec mutuamur, hanc, p. 3, n. 48, indicat formam supplicis libelli :

« *Beatissime Pater !*

In ecclesia Sancti.... loci.... dioecesis.... canonice instituta est pia sodalitas sub titulo Sancti.... eo fine ut.... Quo magis sodalium fervor et devotio augeatur, ipsa sodalitas humillime petit, ut S. V. eam indulgentiis ditare dignetur, scil.... Sodalitas praedicta nulli archiconfraternitati est aggregata neque ab Ordine religioso instituta, sed a R^mo^ Episcopo N. N. canonice erecta eiusque testimonium hisce adiungimus.

Et Deus, etc. »

Ne tamen coacerventur Indulgentiae, consueverunt Brevia Pontificia his clausulis muniri quibus gratia ista tollitur eo ipso quod aggregatione vel alla institutione aliae Indulgentiae comparentur. (Cfr. BERINGER, p. 533,d.)

Canonica erectione, ex privilegio.

Quaedam praeterea sunt Confraternitates quae ipsa *canonica erectione* fruuntur indulgentiis, quasi essent aggregatae. Ita confraternitas SS. Sacramenti. *Decr. Auth.* 23 april. 1876, n. 13 ; 22 april. 1752 n. 192 ; 22 aug. 1842, n. 308 ad 1 et ad 4.

Sedes, oratorium vel altare ;

549. III. **De loco vel sede.** 1. Itaque sua cuique confraternitati est certa sedes. Haec est ecclesia vel definitum oratorium, et nonnullis, v. gr. SS. Rosarii, etiam altare,

Sedis mutatio.

2. Sedes ista mutari nequit nisi ex auctoritate Episcopi vel ipso annuente, saltem cum de ea agitur Confraternitate quae non potuit erigi nisi eiusdem nutu. Pro transferenda Confraternitate SS. Rosarii, indultum apostolicum vel novum diploma Magistri Generalis Ord Praedicatorum necessarium est. Praeterea, si Confraternitas est presse dicta, videtur requiri etiam « consensus maioris partis confratrum collegialiter praestitus [1]. »

Legitime autem facta translatione, servantur a Confraternitate omnes indulgentiae, nisi quaedam, quod raro evenit, fuissent intuitu loci concessae.

Rectoris designatio.

550. De Confraternitatis regimine. 1. *De Rectoris designatione.* a) Confraternitates quae in *saecularibus ecclesiis*

1 *Decisio Rotae* 4 feb. 1744, apud Beringer, op. cit. § 11.

instituuntur, Rectore utuntur quem Episcopus designaverit. Quod plane constat, ubi erectio ab ipso Episcopo fuerit peracta, magisque videtur veri simile, si, privilegio pontificio, a Superiore regulari sodalicium sit conditum. Beringer, p. 515.

Designari valet *parochus* pro tempore. Immo si in paroecia nullus alius commoretur sacerdos, tacita videtur facta parochi designatio. *Decr. auth.* 8 ian. 1861, n. 389.

b) Confraternitatibus quae, in propriis ecclesiis, a Regularibus reguntur, ducem praeficit regularis Superior, utputa Provincialis. Beringer, op. c. p. 515.

c) In Confraternitatibus quae instar collegii magis stricte sunt constitutae, sodales iure potiuntur Rectorem seu Cappellanum eligendi.

Confraternitatis regimen.

2. *Regimen Confraternitatis* est totum penes Rectorem. Institutio consilii seu Magistratus non est essentialis, nec ad valorem actuum requiritur. Omnino tamen suadendum est ut in hac re observentur statuta et regulae, praesertim cum usus quidam pecuniarum postulare possint tacitum saltem sodalicii consensum, cuius isti consiliarii sunt quasi nati interpretes.

Ad *alienanda bona* immobilia vel pretiosa, observanda est Extrav. *Ambitiosae*. Cfr. supra, n. **436**.

Normae definiendi controversias cum parocho.

3. *Controversiae* inter parochum et Confraternitatem strictioris rationis componendae sunt ad normas Decreti Urbis et Orbis S. Rit. Congr. 10 dec. 1703-12 ian. 1704, (*Decr. auth.* n. 2123) quod Benedictus XIV auxit commentariis *Instit. can.* 105.

4. Non eo ipso quod quis Rector est nominatus, habet iam facultatem benedicendi rosaria et scapularia cum applicatione indulgentiarum, sed legitima a ius habente ei opus est communicatione. S. C. Indulg. 18 nov. 1842. *Decr. auth.* n. 342 ; conferendo cum 30 ian. 1839, n. 270, 1 et 22 febr. 1847, n. 343, 1.

Penes quem est ius cooptandi in sodales ?

551. De cooptatione in Sodales. 1. *A quonam facienda. Cooptare in Sodales* pertinet per se ad Rectorem.

Per se non inest in Rectore ius alterum sufficiendi in suum locum ad recipiendos sodales, imponendos habitus, etc.

Facultas potestne aliis committi ?

Alterum ad eosdem actus designare possunt ii (Episcopus, Superiores regulares) quorum est Rectorem instituere. Immo, quod ad confraternitates latius dictas, solent Episcopi vel Ordinum capita amplas habere facultates designandi etiam multos alios qui valeant novos quaerere et recipere socios.

Quinam cooptari possint ?

2. *De iis qui cooptari possunt.* a) Cooptari *valide* possunt quotquot fideles cupierint, si *pro toto orbe* et *in perpetuum* est sodalicium approbatum. Si pro *regione* tantum, requiritur commoratio candidati in illa regione. Atque a cooptantibus

servandi etiam sunt praestituti fines, v. gr. non exercendi facultatem in loco ubi adsit domus Regularium ad quos per se spectat, etc.

Quid de Regularibus ?

b) Nihil *per se* obstat quin cooptentur Regulares, annuente proprio Superiore, vel sodales alterius confraternitatis.

De adultis non consciis, de defunctis ?

c) Cooptari nequeunt *adulti* rei *non conscii*, vel *defuncti*. In prioris receptione patet desiderari essentialis condicio. Alterum omnino firmatum est decr. Urbis et Orbis 25 aug. 1897 et 10 aug. 1899 ad 6.

De pueris ?

d) *Puerorum* cooptatio non videtur invalida, cum id respondeat generali oeconomiae eorum sanctificationis ; per se tamen non expedit, nisi id ferat receptus usus alicuius Confraternitatis, v. gr. S. Scapularis.

De absentibus ?

e) *Per se* recipi nequeunt *absentes*, qui mere litteris vel per alteram personam postulent cooptationem, sed requiritur ut saltem se sistant praesentes coram aliquo qui facultatem habeat cooptandi. Concessit tamen S. Congregatio, decr. 26 nov. 1880, ut in casibus singularibus Moderatores eorumque delegati « dispensare possint a statuta forma inter praesentes, ac absentes etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite admittere. »

Immo, si agitur de Confraternitate minus stricte dicta, seu quae laxiore vinculo sociali copulat sodales, absentium receptio est *valida*. Commendatur tamen ut, quam plurimum, receptio sit inter praesentes, et suadetur institutio plurium delegatorum qui in variis locis facultate polleant asciscendi sodales.

Peculiaris praeterea Sodalitatis Constitutio vel propria privilegia vel usus permittunt quandoque ut recipiantur absentes.

Potestne quis seipsum cooptare ?

f) Nihil per se obstat quin aliquis seipsum cooptet.

Necessaria inscriptio.

3. *De ritu servando.* a) *Inscriptio* in albo confraternitatis est necessaria ad lucrandas indulgentias, quotiens agitur de Confraternitate veri nominis [1]. Atque in piis Unionibus plerumque idem requiri est solitum.

A quo momento habentur indulgentiae ?

Non refert tamen per se a quonam *materialiter* fiat [2], modo ipse cuius est cooptare alia via suam intentionem cooptandi satis significaverit. Immo, etsi inscriptio ista est prorsus necessaria, iam tamen a peracta receptione acquiruntur indulgentiae. S. C. Indulg. 3 aug. 1899 ad 7.

Alii ritus.

b) Non raro, praesertim in strictius accepta confraternitate, ritus aliquis praeterea sancitur servandus. Id ex statutis vel aliis documentis est colligendum.

---

1 S. C. Indulg. 16 iul. 1887 ad 4 et ad 5.
2 S. C. Indulg. 25 sept. 1845. *Decr. auth.* n. 331.

Receptio gratuita.

c) Receptio debet esse *gratuita*. Annuente tamen Ordinario, indicari potest solvenda quaedam pecunia, modo pauperum habeatur quae dicta est ratio.

Eius perpetuus effectus.

4. *De vi.* Cooptatio habet effectum *perpetuum*, nec tollitur nisi vel legitima demissione vel positiva voluntate confratris nolentis iam ad confraternitatem pertinere.

Obligatio regulae.

552. Obligatio confratrum per se est nulla. *Regulae* enim nihil sub peccato praecipiunt; nec eorum neglectus, etiam diuturnus, efficit ut quis non iam pertineat ad Confraternitatem.

Condiciones ad lucrandas indulgentias.

553. Ad lucrandas indulgentias, 1. Satis per se est illa facere opera quibus sunt coniunctae, etsi regulae fuerint prorsus neglectae;

Commutatio operum.

2. Requisita visitatio ecclesiae potest a confessario, his quos existimaverit impeditos, converti in alterum opus [1]. Pari modo commutari potest *communio* his qui in ecclesia communicare nequeunt [2].

Episcopi ius visitandi.

554. De iuribus Episcopi. 1. Confraternitates saecularium quae collegium imitantur subduntur Episcopo, qui potest eas visitare, v. gr. quod ad legata pia et onera Missarum, etiamsi in ecclesia exemptorum sunt erectae. C. Trid. s. 22. c. 8. Cfr. Beringer, § 10.

Permittendi pia impendia.

2. Sine assensu Episcopi, nequit Confraternitas reditus suos expendere in aliquod distinctum opus pium. S. C. C. 6 mart. 1797, § 5.

3. Confraternitatum quae extra Regularium ecclesias conveniunt Episcopus dici potest supremus Moderator.

Cetera iura habes ex ante dictis.

Confraternitatis abolitio perfecta,

555. De dissolutione Confraternitatis fere perinde dicendum est ac de abolitione Instituti religiosi.

1. Si legitima ratione perfecte fuerit exstincta, plane pereunt indulgentiae et gratiae.

Imperfecta, ob iniustam vim;

2. Si vero illegitime, v. gr. per vim iniustam civilis potestatis, servatur *ius postliminii*, quod tamen tempore nimis diuturno auferri potest.

Quid si deficiant sodales?

3. *Defectus* sodalium, quo fit ut aliquandiu nullus fuerit coetus, non tollit iura quaesita ex perpetua erectione. Quare, sine formali erectione, nova sodalium cooptatione Confraternitas instaurari poterit.

556. De ordine Confraternitatum. 1. Omissis *Tertiis Ordinibus*, qui iure sunt priores, in processionibus Venerabilis, ceteris praeit Confraternitas Sanctissimi Sacramenti.

---

[1] S. C. Indulg., 16 iul. 1887.

[2] Hoc est statutum generale, non tantum sodalium confraternitatis, sed fidelium christianorum. Cfr. S. C. Indulg. Decr. Urbis et Orbis, 18 sept. 1862 (*Decr. auth.* n. 393) et decr. 16 ian. 1886.

2. Hoc casu excepto, prior incedit quae diuturno usu praecedentiam possidet, vel quae in illo loco prius tempore est canonice erecta. *Canonice* inquam, civilis enim institutio non est hic attendenda. Cfr. recentem causam Barensem, definitam a S. Congr. Concilii, 25 maii 1901. A. S. S. t. 34, p. 13-24.

ARTICULUS II. De quibusdam Confraternitatibus nominatim

Quo pacto de his agamus.

N. B. Minime nobis est propositum plene persequi quod ad praecipua pertineat sodalicia eamque proponere eorundem rationem quae ex propriis Confraternitatum quaerenda est libris seu tractatibus; sed volumus tantum peculiares quasdam tradere notas quas novisse iuvat et aptas ducimus ad generale prioris articuli argumentum magis illustrandum.

557. De Confraternitatibus **SS. Cordis Iesu** et pia foederatione **Apostolatus Orationis**.

Variae SS. Cordis Iesu confraternitates.

1. Sex sunt *Archiconfraternitates* SS. Cordis: *Romana*, cuius sedes est in ecclesia S. Mariae dictae a Pace; *Paredensis* [1] (Paray-le-Monial) cui aggregari possunt Confraternitates Galliae et Belgii; *Molinensis*, quae Galliae est reservata; et tandem quae in *Basilica Montis Martyrum* [2], quae, uti romana, universali aggregandi facultate fruuntur. Cfr. Hilgers. op. cit. n. 97-101.

Accessit recens Romae Archiconfraternitas *Cordis Iesu Eucharistici*, in ecclesia S. Ioachim, quae a Patribus Congregationis SS. Redemptoris administratur. Cfr. BERINGER, p. 628.

De Apostolatu orationis.

2. Foederatio in honorem S. Cordis Iesu, cui nomen *Apostolatus orationis*, non est Confraternitas sed pium opus, eo institutum consilio, ut fideles coniungantur perpetuae interpellationi S. Cordis Iesu.

Eius indoles,

Operi praeest ut *Director generalis* ipse Superior Generalis S. I., qui tamen munus istud alteri a se electo et in urbe Tolosana commorante committere potest. A Directore generali vel ab eo quem elegerit instituuntur directores *dioecesani*, ab Episcopis designati. *Locales* directores a dioecesanis, probante Episcopo, nominantur. Omnes denique Episcopis subduntur, salvis statutis ab ipsa S. Sede approbatis.

Regimen.

Sodalium cooptatio.

Porro *cooptatio sodalium* perficitur relato nomine in tabulas aggregati sodalicii et recepta schedula *(billet d'admission)*. Immo his dispensantur fideles in regionibus missionum ubi nimis difficile foret nomina inscribere, et quotquot pertinent

---

[1] *Archiconfrérie de la Garde d'honneur du Sacré-Cœur.*

[2] *Archiconfrérie du S. Cœur de Jésus pour la liberté du Pape et le salut de toute la Société; et Archiconfrérie de prière et de pénitence en l'honneur du S. Cœur de Jésus.*

ad Instituta religiosa quae sodales Apostolatus suarum orationum et bonorum operum participes fecerint. Quaelibet exterior cooptationis significatio, etiam quae verbo consistat, satis est ut personae istae sint cooptatae.

Varii gradus. Sodales autem tribus constituuntur gradibus, pro susceptis exercitationibus. Sed primus gradus solus est essentialis omnibusque communis : suae tamen cuique gradui sunt propriae indulgentiae.

De Confraternitate SS. Sacramenti. **558.** Confraternitas **SS. Sacramenti**. 1. Haec non tenetur lege distantiae.

2. Ipsa canonica erectione fruitur indulgentiis romanae Archiconfraternitatis, cuius sedes est in Basilica S. Mariae supra Minervam (FF. Praedicatorum), ita ut nulla formalis requiratur aggregatio.

3. In processionibus Venerabilis Sacramenti ceteras antecedit Confraternitates.

Congregationis B. M. Virginis **559.** De Congregationibus **B. M. Virginis**. 1. Quod *ad ius quo utuntur*, sunt verae Confraternitates, etsi latius *dictae* (n. **544**, 1), sed quae, peculiari privilegio, eximuntur C. Clementis VIII *Quaecumque* et decreto Pii IX, 8 ian. 1861. Quare, v. gr. lege distantiae plane solvuntur, ita ut plures in una ecclesia esse possint.

Indoles, et exemptio ;

Erectio. 2. Eriguntur *ab Episcopo*, qui nequit tamen, etiam vi facultatum quae dicuntur extraordinariae, eas indulgentiis Congregationum propriis ditare ; aut a *Praeposito Generali S. I.*, etiam, annuente tamen Episcopo, in ecclesiis a Societate alienis.

Aggregatio. 3. Indulgentiae igitur Congregationum quae Episcopi auctoritate sunt erectae comparantur aggregatione ad Congregationem *Primam Primariam*, Romae in sacello templi S. Ignatii institutam.

Aggregari autem possunt quotquot *pro titulo* habent festum seu mysterium B. M. V. [1]. Addi tamen potest alter patronus secundarius.

In litteris indicandum est quo sexu et condicione personarum confletur coetus.

Potestas Praesidis. 4. Praeses Congregationis potest alterum *sacerdotem* ad recipiendos sodales, ex rationabili causa, delegare.

Cooptationis ritus. 5. Ad *validam* receptionem, nihil aliud requiritur nisi :

a) Ut signo externo constet mutuus consensus candidati atque eius qui ius habet cooptandi.

b) Ut nomen mandetur tabulis Congregationis.

---

[1] Quare Congregationes quae dicuntur SS. Angelorum sumant titulum S. Mariae ab Angelis, vel Reginae Angelorum, aut ponantur SS. Angeli ut patroni secundarii.

Ius Episcopi.

6. Quae erectae sunt Congregationes in ecclesiis Societatis parum obnoxiae sunt visitationi Episcopi : haec, si fiat, fere spectabit extraordinarias collectas, Missas forte fundatas. Reditus enim certos habere nequeunt ; dominium bonorum est penes Societatem, cui Congregationes istae intelleguntur incorporatae ; et, quod ad statuta et regimen, plenissime subduntur Generali Societatis. Cfr. Br. *Laudabile*, 15 feb. 1758, Benedicti XIV.

De SS. Rosario.

560. De Confraternitate **SS. Rosarii**. Notum est quantis laudibus, in annuis fere encyclicis, Leo XIII frequentissimum usum SS. Rosarii commendaverit. Quod spectat ad Confraternitatem :

Designatio Rectoris,

1. Directores Confraternitatum, ex usu trium saeculorum, nominantur a R^mo^ Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, assentiente, in ecclesiis saecularibus, Episcopo loci. Leo XIII, C. *Ubi primum*, 2 oct. 1898.

Altaris.

2. Ne sodales multis indulgentiis careant, est confraternitati proprium designandum sacellum vel altare : quae designatio ab eo peragi consuevit quem ad erigendam sodalitatem delegaverit R^mus^ Ordinis Magister Generalis.

Sodalium cooptatio.

3. Per se, dato nomine ei cui est ius, perficitur cooptatio, et antequam materialiter referatur nomen in tabulas, indulgentiae iam obtinentur [1].

4. Materialis ascriptio ad tabulas a quolibet fieri potest, dummodo is sodalem admiserit qui facultate cooptandi polleat. Immo, si magnus est concursus, plures inscribendis nominibus deputari possunt, tunc autem singulae tabellarum paginae sunt ab ipso Rectore obsignandae, ut materiales nominum relationes sic authentice ratas habeat. Rescr. C. Praefecti S. C. Indulg. 7 iul. 1877.

Hebdomadalis rosarii recitatio.

5. Solent sodales singulis hebdomadis integrum recitare rosarium, estque unicum onus ipsis, citra tamen culpam, impositum. C. *Ubi primum*. Quominus multas istius precationis hebdomadalis [2] indulgentias lucrentur, non obstat quod singulas decades recitarint separatas, dummodo intra hebdomadam perfectum sit rosarium. Decr. Pii IX, 22 ian. 1858.

Debeine rosarium benedici ?

6. Quamvis retinendus sit in sodalitate usus Rosarii rite benedicti, pleraeque [3] tamen indulgentiae sunt sodalium personales, quae benedictionem istam non exigant.

---

1 S. C. Indulg. 3 aug. 1899, ad 7.

2 Istius inquam precationis hebdomadalis ; ut enim ceteras indulgentias lucreris, *coronae* quas praeterea recitaveris moraliter interrumpi nequeunt.

3 Eae tantum sunt excipiendae quas Benedictus XIII omnibus fidelibus concessit : id est, indulgentia centum dierum unicuique *Pater* vel *Ave*

Quibus operibus inter recitandum abstinendum?

7. Denique, dum rosarium recitant, fideles iis tantum abstinere debent negotiis quae internam impediant attentionem. S. Cong. Indulgent. 13 nov. 1893.

561. De Scapularibus. 1. *Origo et varietas.*

Scapularium prior ratio.

a) Parva scapularia quibus fideles indui consueverunt aliud in initio non fuerunt quam propria variorum Ordinum scapularia, pro maiore fidelium commoditate ad parvam formam redacta. Ita fere in expositione rescr. 18 aug. 1868, *Decr. auth.* n. 423.

Quare tunc magis immediate signa erant cuiuspiam coniunctionis cum Ordine religioso quam peculiaris devotionis. et solent adhuc singula ad quodpiam Institutum religiosum definite pertinere.

Varia huius rationis scapularia.

Prioris rationis fuere scapulare *B. M. V. de Monte Carmelo*, scapulare *SS. Trinitatis*, scapulare *B. M. V. Septem Dolorum*, quae tria scapularia ab iis tantum valide recipiuntur qui simul cooptantur in Confraternitates eiusdem nominis.

Altera ratio recentior.

b) Fere non aliud quam peculiaris cultus significatur iam scapularibus caeruleis *Immaculatae Conceptionis* Clericorum regularium Theatinorum, et rubris in honorem *Passionis dominicae*, quae curanda committuntur Patribus Lazzaristis.

Scapularia huius rationis.

c) Ad hoc alterum genus maxime ascribenda sunt cum scapulare *SS. Cordis Iesu*, commissum Congregationi Oblatorum B. M. V. [1], tum scapulare in honorem *S. Ioseph*, cuius curam gerit Ordo Minorum Capuccinorum [2].

De legibus scapularia benedicendi,

2. *Leges quaedam de Scapularibus.* a) Idem sacerdos scapularia benedicere debet qui ea est impositurus. Porro satis est si benedictum sit quod primum quisque induerit scapulare definitae formae. Quae in locum obsoleti ac triti deinceps assumuntur nulla opus habent benedictione.

Imponendi,

b) Valide imponuntur uni humero, praesertim si sacerdos ea collo circumdare non facile possit. S. C. Indulg. 26 nov. 1892. Praeterea, ad plures induendos, uno eodemque scapulari uti licet [3], fere sicut Episcopus ordinans una sacra veste plures ordinare potest.

Deferendi,

c) Deferri autem possunt vel supra vel infra vestes, ita ut extremas scapularis partes habeant pectus et dorsum [4].

---

coniuncta si integram persolveris coronam; et, semel in anno, plenaria indulgentia.

Immo quas, 12 maii 1851, *communi* rosarii recitationi tribuit indulgentias Pius IX, fideles lucrantur etiam si ipsis desit benedictum rosarium. Cfr. Beringer, op. c. p. 370-371.

[1] Leo XIII, per S. R. C. 19 maii 1900, *Monitore*, XII, p. 200.

[2] S. R. C. 15-18 apr. 1893, *Monitore*, VIII, 1, p. 175. Cfr. S. C. Indulg. 8 iun. 1893, *Monitore*, VIII, 1, p. 128; et 6 maii 1895, *Monitore*, IX, 1, p. 103

[3] 18 aug. 1868 *Decr. auth.*, n. 421.

[4] 12 mart. 1855, 12 feb. 1840, *Decr. auth.* n. 367, 277.

Frustra ergo tenentur in crumena. Satis tamen tutum videtur ea humeris quidem induere sed clausa culeo vel sacculo, qui non sit scapularibus consutus. Cfr. *Revue théol. franç.*, t. 4, p. 56.

Conficiendi,

d) Scapularia ex *lana* confici debent ; quod si scapulare Passionis sis indutus, cavendum praeterea est ut ex funiculis pendeant rubrae lanae.

Referendi nomina in tabulas.

e) Per se nomina eorum quibus imponitur scapulare SS. Trinitatis, vel B. M. V. de Monte Carmelo vel Septem Dolorum referri debent in tabulas Confraternitatis legitime erectae [5]. Privilegia tamen non inscribendi nomina adhuc vigent. Ita, 26 sept. 1892, respondit S. C. Indulg. in causa Soc. Iesu, simul admonens Patres S. I. ut curent nominum relationem, ne sodales recepti in eorum obitu priventur suffragiis. *Clerici Regulares* (Theatini) optant etiam ut Romam mittatur folium quo describuntur ii qui scapulari caeruleo rite sunt induti. Immo ab ipsis est recens erecta Confraternitas Immaculatae Conceptionis. Non constat tamen opus esse ut qui scapulare induant isti confraternitati simul dent nomen.

Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo.

f) Dignitate ceteris praestat scapulare *B. M. V. de Monte Carmelo*. Quare, decreto 27 apr. 1887, statuit S. Pontifex ipsum in posterum esse separatim benedicendum et imponendum. Licet tamen scapulare istud iam cum aliis coniunctum benedicere et imponere, modo, peculiari formula usus, distinctam scapularis B. M. V. de Monte Carmelo facias *benedictionem et impositionem*. S. C. Indulg. 11 mart. 1897.

Eius impositio et benedictio,

Privilegia et onera,

Notum est scapulari isti, ut pie fidelibus est persuasum, coniungi duplex privilegium : alterum, *bonae mortis*, ad quod satis est scapulare istud, rite impositum, pie gerere in articulo mortis ; alterum, *Sabbatinum*, seu in breve tempus contracti purgatorii, quod postulat praeterea ut colatur castitas status in quo quisque versetur, et, nisi obligati iam sint sodales ad magnum vel parvum Officium, recitent cotidie parvum Officium B. M. V.

Illiteratis imponuntur, loco parvi Officii, observanda communia ieiunia Ecclesiae et abstinentia a carnibus feria IV et sabbato, singulis hebdomadis, si demas diem Domini natalicium.

Commutatio operum.

Per se, ad praescripta ista opera in alia commutanda, speciali opus est facultate, quae tamen regulariter cum ipsa induendi potestate hodie concedi consuevit. Immo recenti decreto SS. Indulg., 14 iun. 1901, omnibus confessariis

---

[1] Non sunt stricte urgenda verba quibus praecipitur ut ad *proxime vicinum* mittantur monasterium vel confraternitatem.

facta est facultas commutandi singulis petentibus *abstinentiam* feriae IV et Sabbati [1].

Congregationis Bonae Mortis

Natura,

562. *De Congregatione Bonae Mortis.* 1. Est vera sed minus stricte dicta Confraternitas. Quia tamen eius erectio non est Societati Iesu reservata, etiam in ecclesiis Societatis Episcopi consensus ad legitimam eius erectionem requiri videtur. Cfr. n. **546**, 2, c, γ.

Titulus,

2. Pro *titulo* habere debet haec Confraternitas : « *D. N. I. Chr. in cruce morientis et B. M. V. perdolentis.* »

Privilegia,

3. Speciali decreto eximitur lege distantiae et consueta formula erectionis.

Erectio,

4. Erigi potest a Generali S. I. in omnibus ecclesiis, requisito assensu Ordinarii.

Sodalium cooptatio,

5. Requiritur relatio nominis in tabulas Confraternitatis. Ad recipiendos tamen sodales, praeses, facultate delegandi ab Episcopo vel Superiore praeditus, alterum sacerdotem deputare potest.

Regimen.

6. In ecclesiis Societatis Iesu nihil per se Confraternitas ista possidere valet ; a Praeposito Generali S. I. dissolvi potest eidemque in temporalibus et spiritualibus plenissime subditur.

Sanationes vitiorum.

N. B. Cum facile, in erigendis sodaliciis vel cooptandis sodalibus, defectus committantur essentiales, solent plerique Ordines Indulta quibus sanentur vitia identidem impetrare.

---

[1] Eodem decreto usus linguae vulgaris est in privata parvi Officii recitatione permissus *Monitore*, XIII, p. 201.

LAUS DEO ET MARIAE

APPENDIX

Formulae quaedam usitatiores

exquirendi vel dandi litteras testimoniales et dimissorias

Litteras dimissorias vel testimoniales rogare vel concedere saepe debent Superiores religiosi. Nulla tamen ipsis servanda praescribitur forma sollemnis. Ad maiorem tamen Superiorum commoditatem, nonnulla hic subicimus exemplaria huiusmodi litterarum quae frequentiore usu venire possunt.

I. Litterae testimoniales ante ingressum in Institutum
(Decret. 25 iunii 1848)

A. *Ordinaria petitio*

Rev^me^ et Ill^me^ Domine,

N. quantum novimus, natus *in tali loco vel dioecesi* et talis aetatis, cooptari cupit in novicios *clericos* (vel) *laicos talis Instituti.* Quocirca, infrascriptus Superior, ad quem spectat de eius admissione deliberare, ut gravi satisfaciat obligationi quae ipsi per decretum *Romani Pontifices*, 25 iunii 1848, est imposita, enixe rogat Amplitudinem Vestram ut ad se mittere curet testimoniales decreto isto praescriptas litteras de supradicto candidato qui in dioecesi Amplitudinis Vestrae *est natus* (vel) post expletum 15^um^ aetatis suae annum *est ultra annum commoratus.*

Pro maiore Amplitudinis Vestrae commoditate, subicimus hic articulos de quibus secundum laudatum decretum, distincte est referendum.

Natales (Si illegitimus, qua ratione? An legitimatus et quo modo?)

Aetas.

Mores et vita.

Fama.

Condicio (civilis : honesta, nobilis, exigua?)

Educatio (liberalis, an ad opera servilia ; christiana an acatholica ; accurata, an neglecta ?)

Scientia (Quaenam, ubinam, quonam profectu facta studia litterarum vel scientiarum. — Quasnam didicit, exercuit artes mechanicas ?)

Obstatne praesens aliqua vel imminens inquisitio iudicialis ?

Obstatne aliqua *censura* vel *irregularitas ?*

Obstatne aliquod *impedimentum canonicum* [1] *?*

Obstatne *aes alienum.* (Si debitis gravatus, indicetur causa.)

Obstatne difficilis *administratio*, cuius ratio sit reddenda ?

Estne praeterea *peculiaris quaedam observatio* facienda ?

Dignare, Reverendissime et Ill^me^ Praesul, debitas in antecessum accipere gratias, una cum devotissimis obsequiis

Amplitudinis Vestrae

Humillimi servi in Christo,

Tali loco, tali die et anno. N. N.

B. *Pro clerico vel quopiam qui ordines quosdam susceperit*

N. B. *Si candidatus nonnullos susceperit ordines, satis erit testimoniales impetrare litteras eorum Antistitum in quorum dioecesi post susceptos ordines ultra annum commoratus fuerit.*

Hac itaque formula litterae peti possunt.

N. *tali loco, tali die et anno* natus et *tali ordine* auctus, in novicios clericos *talis* Instituti admitti cupit. Cum post susceptos ordines ultra annum in Amplitudinis Vestrae dioecesi commoratus sit, ut decreto *Romani Pontifices*, 25 iun. 1848 pareamus, enixe et demississime hisce petimus ut infrascriptum Oratorem certiorem facias nihil ex parte *natalium, aetatis, morum, famae, condicionis, educationis, scientiae, censurae* vel *irregularitatis, aeris alieni, rationum reddendarum, inquisitionis iudicialis*, vel alius impedimenti, obstare quominus in Instituti Nostri novicios cooptetur.

De qua gratia iam in antecessum gratum animum Amplitudini Vestrae aperire volumus. ipsique simul devotissima deferre obsequia, quibus nos profitemur

Amplitudinis V^ae^ Rev^mae^ et Ill^mae^

Humillimus servus in Christo,

N. N. Superior.

C. *Pro religioso alterius Instituti*

N. B. *Si, post vota in aliquo Instituto facta, quispiam in aliud Institutum statim transeat, litterae petendae sunt a Superiore Generali vel Provinciali (si Institutum Provincialibus careat, a Superiore locali) Instituti ad quod candidatus pertinuit.*

---

[1] De proprio Instituti impedimente hic quaeri potest.

Haec itaque forma usurpari potest :

Admodum Reverende Pater,

N. professus Instituti cui R. V. praeficitur, legitima obtenta venia, in nostrum Institutum cooptari cupit. Quocirca, ut S. Sedis mandatis obtemperemus quae decreto *Romani Pontifices* 25 iun. 1848, una cum declaratione 3 nov. 1852 ad 1, continentur, a R. V. litteras postulamus testimoniales quibus nobis certius constet de candidati natalibus, aetate, moribus et vita, fama, condicione et educatione, scientia ; et resciamus eum nec iudicialiter inquiri, nec censura, irregularitate, aere alieno, rationibus reddendis de difficili administratione, vel aliquo impedimento praepediri quominus inter nostros alumnos cooptetur.

Simul, Admodum Reverende Pater, hanc occasionem libenter arripimus tibi exhibendi devotissima nostra obsequia una cum maximis gratiis in antecessum de informatione oblatis.

Paternitatis V^ae^ Rev^mae^
Humilis servus in Christo
(Locus, Dies) N. N. (qualitas scribentis).

II. **Testimoniales litterae ut alumnus dimissus ex Instituto in Seminarium admitti possit.** (Decretum S. C. Concilii, 22 decembris 1905.)

Praesentibus litteris ego, infrascriptus Superior (Generalis, vel Provincialis, vel, hoc deficiente, localis), fidem facio N. N. qui ad nostrum pertinuit Institutum, iis esse moribus, indole et ingenio ut nihil obstare videatur quin, sacerdotalem statum quondam suscepturus, in Seminarium admittatur.

III. Litterae ad ordinationes suscipiendas

A. *In Ordine regulari*

Regulares exhibere debent dimissorias et testimoniales litteras sui Superioris.

1. Ad clericatum vel ordinationem non sacram

Te, dilectum in Christo N. Ordinis Nostri professum votorum (simplicium vel sollemnium), *tali conventui* addictum, dimittimus ad Reverendissimum et Illustrissimum Dominum.... dioecesis Episcopum, vel sibi benevisum Antistitem, ut ab eo clericatum vel ordinem recipias, ad

quam ordinationem Te simul testamur idoneum et omni impedimento immunem. Quatenus autem dioecesana curia testetur non futuram esse, statuto tempore, ordinationem in hac dioecesi, Te dimittimus ad quemlibet nostri Ritus Antistitem in pace et communione cum S. Romana Sede consistentem.

In quorum fidem has dedimus manu nostra subscriptas litteras et sigillo huius Provinciae (conventus, Ordinis) munitas.

(Dies et locus) N. N. Praepositus Provincialis.

N. B. 1. Si dispensandum fuerit in interstitiis, prout Ordo habuerit vel non habuerit privilegium, haec inserentur :

a) (Post *recipias*). Non observatis interstitiis, ex Ordinis privilegio.

b) (Post *immunem*). Testamur simul iustas esse causas ob quas Rev^mus^ Episcopus ordinans tecum in interstitiis dispenset.

2. Ubi non agitur de prima tonsura, candidatus nominetur *clericus ;* ubi de ulteriore ordine minori, designetur officio iam suscepto, v. gr. : *exorcista, lector ;* (Te professum... et lectorem) ; et afferatur fides ordinationis.

2. Ad ordinationem sacram

Te, dilectum in Christo N. Ordinis nostri sollemniter professum et iam (acolytham, Subdiaconum, Diaconum), *tali* conventui addictum, dimittimus ad Rev^mum^ et Ill^mum^ Dominum.... dioecesis Episcopum, vel sibi benevisum Antistitem, ut ab eo *subdiaconatum titulo paupertatis*, (vel) *diaconatum* (vel) *sacrum Presbyteratus ordinem* recipias, ad quam ordinationem testamur te esse aetate et aliis requisitis qualitatibus idoneum et nullo impedimento prohibitum. Fidem nominatim facimus te, ad normam Decreti *Auctis Admodum, per annum* (vel) *per duos annos* (vel) *per tres annos* sacrae theologiae operam dedisse, praemisso regulari aliorum studiorum curriculo. Quatenus autem (etc. ut supra).

N. B. a) Si deficiat aetas, addendum est : cum dispensatione apostolica super aetate, vi talis Indulti. (Vel) : Rogamus simul R^mum^ et Ill^mum^ Praesulem ut, cum iustas dispensandi causas adesse testemur, velit Tecum sua uti facultate dispensandi in *tot mensibus* aetatis.

b) Plerumque, ob privilegia Ordinis, additur : *etiam extra Tempora.*

c) De *interstitiis* redeunt dicta supra in N. B.

B. *In Instituto votorum simplicium*

1. *Si Institutum fruatur Indulto alumnos ad ordines dimittendi, nulla alia afferenda sunt documenta atque ea quae a Regularibus exiguntur. Eadem uti ergo possunt formula, his paucis exceptis :*

a) Memorandum est Indultum quo dimittendi ad ordines alumnos conceditur facultas : « Vi Indulti *talis diei*, concessum est Superiori Generali *talis Instituti*, ut alumnos sui Instituti, servatis servandis, dimittat ad Episcopum loci vel, vacante sede aut si dioecesanus Episcopus statutis temporibus ordinationes non sit habiturus, ad quemlibet Episcopum eiusdem ritus in gratia et communione cum S. Sede Romana. »

b) Pro *subdiaconatu*, Titulus erit iudicandus vel communis, vel quem Institutum habet ex privilegio : *mensae communis*, vel *missionis*.

c) Ordinandus debet esse professus votorum perpetuorum, vel saltem a tribus annis fecisse vota, si Institutum vota perpetua ultra triennium differre consueverit. (Decr. *Auctis Admodum*.)

2. *Si Institutum caret privilegio concedendi dimissorias litteras ordinationum, alumni debent ordinari ab Episcopo qui, ex communi saecularium iure, ob originem ordinandorum vel alium titulum censetur proprius, nisi Episcopus iste dimissorias ad alium Episcopum concedat litteras. Afferre praeterea debent litteras testimoniales quibuscum saeculares ordinantur.*

A Superiore proprio mere proponuntur hoc v. gr. modo.

Re.^me^ et Ill^me^ Domine

Infrascriptus Superior talis Instituti, Amplitudini V^ae^ proponit N. dicti Instituti alumnum, ut ab ea, tamquam ab Episcopo *ratione originis* (vel alio titulo) proprio, tali ordine augeatur.

Candidatum nostrum dignum et idoneum esse simul testatur eumque Amplitudini Vestrae maxime commendat.

Pro qua gratia, etc.

N. B. Si qua opus sit dispensatione, (interstitiorum, temporis, aetatis) ab Episcopo petetur usus facultatis suae.

IV. Dimissio ex Instituto

1. Ex Ordine regulari

Praesentium tenore dilectum in Christo N. Ordinis Nostri professum votorum simplicium, iustas ob causas, liberum

dimittimus ab omni vinculo cum Instituto et ab omni obligatione votorum suorum. Ipsum omnium ad quos spectat, benevolentiae et caritati maxime commendamus.

(Si expedire videtur, fides addatur de integris moribus et de qualitatibus religiosi dimissi).

2. Ex Instituto votorum simplicium

Si possit Superior per dimissionem solvere vota, hoc indicetur, mentione facta privilegii.

Sin minus, ita erit dicendum :

Ex parte nostra dimittimus ab Instituto. Dimissus autem curet uti votorum dispensationem a S. Sede obtineat.

ENUMERATIO BULLARUM, ETC. QUAE IN HOC TOMO SUNT ALLATAE

A. L. = *Acta Leonis* XIII
B. R. = *Bullarium romanum (Mainardi)*
B. R. C. = *Bullarii romani continuatio (Barbèri)*
B. L. = *Bullarii romani editio Luxemburgensis*
B. B. = *Bullarium Benedicti* XIV
P. F. = *Bullarium Propagandae Fidei (editio De Martinis)*
Roder. = *Bullarium ad calcem operis Roderici, Quaestiones regulares*
FF. Pr. = *Bullarium Fratrum Praedicatorum*
FF. Cap. = *Bullarium Fratrum Minorum Capuccinorum*
S. I. = *Bullarium Societatis Iesu*
C. B. = *Collectanea Bizzarri*
A. S. S. = *Acta Sanctae Sedis*
N. R. Th. = *Nouvelle Revue Théologique*
M. = *Monumenta alterius tomi*
Per. = *Periodica*

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1216	22 dec.	*Religiosam*	Honorii III	B. R. III, I, 178
1223	29 nov.	*Solet*	»	B. R. III, I, 229
1247	1 sept.	*Quae honorem*	Innocentii IV	B. R. III, I, 314
1256	2 maii	*Licet*	Alexandri IV	B. R. III, I, 373
1336	23 iun.	*Summi magistri*	Benedicti XII	B. R. III, II, 214
1339	13 maii	*Ad decorem*	»	B. R. III, II, 265
1373	27 maii	*Cunctos*	Gregorii XI	B. R. III, II, 352
1374	6 mart.	*Virtute conspicuos*	»	B. R. III, II, 355
1440	11 april.	*Romanus Pontifex*	Eugenii IV	FF. Pr. III, 117
1474	31 aug.	*Regimini*	Sixti IV	B. R. III, III, 139
1474	31 aug.	*Regimini*	»	B. R. III, III, 143
1476	23 aug.	*Dum ad*	»	B. R. III, III, 147
1480	2 aug.	*Supplicari*	»	FF. Pr. III, 592
1506	28 iul.	*Dudum*	Iulii II	B. R. III, III, 273

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1509	1 iun.	*Alias ad supplic.*	Iulii II	FF. Pr. IV, 258
1509	14 dec.	*Considerantes*	»	FF. Pr. IV, 262
1512	2 apr.	*Inter ceteros*	»	B. R. III, III, 336
1513	4 iul.	*Etsi a Summo*	Leonis X	B. R. III, III, 353
1514	3 febr.	*Religionis*	»	FF. Pr. IV, 299
1516	19 dec.	*Dum intra*	»	B. R. III, III, 447
1517	29 maii	*Ite et vos*	»	B. R. III, III, 450
1519	10 dec.	*Dudum per nos*	»	B. R. III, III, 468
1525	13 maii	*Dum uberes*	Clementis VII	FF. Cap. VI, 240
1545	12 mart.	*Exponi nobis nuper*	Pauli III	Roder., 325
1560	26 maii	*Votis vestris*	Pii IV	B. R. IV, II, 17
1564	13 nov.	*In sacrosancta*	»	B. R. IV, II, 201
1564	13 nov.	*Iniunctum nobis*	»	B. R. IV, II, 204
1565	17 feb.	*In Principis Apostolorum*	»	B. R. IV, II, 214
1565	8 mart.	*Exponi nobis*	»	Gatticus [1]
1566	17 ian.	*Aequum reputamus*	S. Pii V	S. I., 36
1566	29 maii	*Circa pastoralis*	»	B. R. IV, II, 292
1567	16 maii	*Etsi mendicantium*	»	B. R. IV, II, 373
1567	1 nov.	*Ad exsequendum*	»	B. R. IV, II, 401
1568	2 iul.	*Quod a nobis*	»	B. R. IV, III, 22
1568	1 oct.	*Romanus Pontifex*	»	B. R. IV, III, 46
1568	17 nov.	*Lubricum vitae genus*	»	B. R. IV, III, 47
1570	24 ian.	*Decori et honestati*	»	B. R. IV, II, 96
1571	13 iun.	*Dum ad Congregationem*	»	B. R. IV, III, 163
1571	7 iul.	*Dum indefessae*	»	B. R. IV, III, 170
1571	21 iul.	*Romani Pontificis circumspecta*	»	B. R. IV, III, 172
1571	6 aug.	*Romani Pontificis providentia*	»	B. R. IV, III, 177
1572	30 dec.	*Deo sacris*	Gregorii XIII	B. R. IV, III, 244
1573	1 mart.	*In tanta rerum*	»	B. R. IV, III, 251
1575	3 maii	*Decet Rom. Pontif.*	»	S. I., 54
1575	13 iun.	*Ubi gratiae*	»	B. R. IV, III, 298
1576	30 oct.	*Salvatoris Domini*	»	B. R. IV, III, 321
1579	1 oct.	*Usum altaris*	»	B. R. IV, III, 416
1580	25 nov.	*Circumspecta*	»	B. R. IV, III, 454
1582	22 sept.	*Cum alias*	»	B. R. IV, IV, 18
1582	21 sept.	*Pium et utile*	»	B. R. IV, IV, 17
1584	25 maii	*Ascendente Domino*	»	B. R. IV, IV, 55

[1] *De usu altaris portatilis*, c. 13, n. 14.

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1584	20 nov.	*Vigore privilegii*	Gregorii XIII	B. R. IV, IV, 80
1587	26 nov.	*Cum de omnibus*	Sixti V	B. R. IV, IV, 370
1587	21 oct.	*Ad Romanum spectat*	»	B. R. IV, IV, 373
1587	22 ian.	*Immensa*	»	B. R. IV, IV, 392
1591	15 mart.	*Circumspecta*	Gregorii XIV	B. R. V, I, 252
1593	26 maii	*Sanctissimus Dominus*	Clementis VIII	B. R.[1] V, V, 254
1594	19 iun.	*Religiosae Congregationes*	»	FF. Pr. V, 522
1596	12 mart.	*Regularis disciplinae*	»	B. L. II, 144
1597	20 dec.	*Ratio pastoralis officii*	»	B. R. V, II, 179
1599	20 iun.	*Sanctissimus in Christo*	»	B. R. V, II, 411
1600	29 dec.	*Superna*	»	B. R. V, II, 325
1601	8 nov.	*Religiosorum quorumcumque*	»	Vericelli [2] q. 98, d. 26
1602	2 apr.	*In suprema*	»	B. R. V, II, 409
1602	19 maii	*Sanctissimus in Christo*	»	B. R. V, II, 412
1603	19 mart.	*Cum ad regularem*	»	B. R. V, II, 412
1603	23 iul.	*Quoniam*	»	B. R. V, III, 14
1604	7 dec.	*Quaecumque*	»	B. R. V, III, 85
1606	16 maii	*Romanum decet Pontificem*	Pauli V	B. R. V, III, 207
1606	23 maii	*Romanus Pontifex*	»	B. R. V, III, 207
1606	1 sept.	*Romanus Pontifex*	»	B. R. V, III, 227
1621	20 sept.	*Sanctissimus*	Gregorii XV	B. R. V, IV, 385
1621	18 nov.	*In supremo*	»	B. R. V, IV, 404
1622	5 feb.	*Inscrutabili*	»	B. R. V, V, 1
1622	2 iul.	*Romanus Pontifex*	»	B. R. V, V, 37
1622	17 aug.	*Cum alias*	»	B. R. V, V, 47
1624	28 aug.	*Romanus Pontifex*	Urbani VIII	B. R. V, V, 247
1624	21 sept.	*Sacra Congregatio*	»	B. R. V, V, 248
1628	9 aug.	*Iniuncti nobis*	»	B. R. VI, I, 136
1631	2 apr.	*Religiosos viros*	»	B. R. VI, I, 271
1631	20 dec.	*Alias felicis*	»	B. R. VI, I, 299
1633	14 apr. (alias 15 dec.)	*Sanctissimus Dominus*	»	FF. Pr. VII, 293
1635	11 apr.	*Alias felicis*	»	B. R. VI, II, 23
1640	16 oct.	*Nuper*	»	FF. Pr. VI, 110
1642	15 mart.	*Sacrosancta*	»	B. R. VI, II, 321

[1] Decreta generalia Clementis VIII proponuntur collecta post decr. *Sacra Congregatio* latum iussu Urbani VIII, 21 sept. 1624. B. R. V, V, p. 248 sqq.

[2] *De Apostolicis Missionibus.*

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1642	13 sept.	*Universa per orbem*	Urbani VIII	B. L. V, 378
1643	24 feb.	*Honorum dignitatumque*	»	B. R. VI, II, 366
1645	6 feb.	*Exponi nobis*	Innocentii X	B. R. VI, III, 21
1648	14 maii	*Cum sicut*	»	P. F. I, 253
1652	15 oct.	*Instaurandae*	»	B. R. VI, III, 233
1653	14 maii	*Cum sicut*	»	B. R. VI, III, 244
1654	10 feb.	*Ut in parvis*	»	B. R. VI, III, 270
1655	22 sept.	*Ex commissa*	Alexandri VII	B. R. VI, IV, 45
1660	2 iul.	*Licet alias*	»	B. R. VI, V, 81
1670	21 iun.	*Superna*	Clementis X	B. R. VII, 30
1679	12 feb.	*Cum ad aures*	Innocentii XI	Ferraris [1], v. *Eucharistia*, I, 41
1682	16 ian.	*Sua nobis*	»	FF. Pr. VI, 362
1682	20 maii	*Cum inter*	»	B. R. VIII, 240
1685	12 feb.	*Exponi nobis*	»	B. R. VIII, 353
1687	26 mart.	*Ecclesiae Catholicae*	»	B. R. VIII, 419
1694	16 feb.	*Christi Fidelium*	Innocentii XII	B. R. IX, 344
1695	18 iul.	*Sanctissimus in Christo Pater*	»	B. L. VII, 295
1697	23 dec.	*Nuper a Congregatione*	»	B. R. IX, 464
1698	4 aug.	*Debitum Pastoralis*	»	B. R. IX, 474
1700	20 maii	*Ex debito*	»	B. R. IX, 539
1703	13 iul.	*Inscrutabili*	Clementis XI	B. B.[2] III, 57
1710	3 apr.	*Ex debito*	»	B. R. X, I, 232
1717	8 iul.	*Exponi nobis*	»	B. R. XI, 112
1723	13 maii	*Apostolici ministerii*	Innocentii XIII	B. R. XI, 258
1724	23 sept.	*In supremo*	Benedicti XIII	B. R. XI, 350
1725	10 dec.	*Paterna Sedis Apost.*	»	B. R. XII, 49
1726	13 feb.	*Licet Sacra*	»	B. R. XII, 70
1726	7 mart.	*Custodes*	»	FF. Pr. VI, 581
1729	9 dec.	Br. ad *Pios Operarios*	»	(Comp. Priv. S. I.) n. 33
1731	1 maii	*Nobis*	Clementis XII	B. R. XIII, 175
1732	12 feb.	*Romanus Pontifex*	»	B. R. XIII, 215
1742	3 ian.	*Regularis Disciplinae*	Benedicti XIV	B. B. I, 103
1742	3 ian.	*Salutare*	»	B. B. I, 106
1742	30 mart.	*Quod communi*	»	B. B. I, 144
1744	13 apr.	*Pastor bonus*	»	B. B. I, 319

[1] *Prompta Bibliotheca.*

[2] Constitutio Clementis XI allata est in C. *Quamvis iusto*, Benedicti XIV, 30 apr. 1749, § 2, B. B. III, 54 sqq.

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1744	6 nov.	*Firmandis*	Benedicti XIV	B. B. I, 432
1745	13 oct.	*Biennium*	»	B. B. III, 569
1746	16 apr.	*Accepimus*	»	B. B. II, 31
1747	14 ian.	*Ex quo dilectus*	»	B. B. II, 169
1747	24 ian.	*Per binas alias*	»	B. B. II, 177
1747	27 feb.	*Impositi nobis*	»	B. B. II, 178
1747	28 feb.	*Postremo mense*	»	B. B. II, 186
1748	4 mart.	*Si datam*	»	B. B. II, 393
1748	5 aug.	*Pastoralis cura*	»	B. B. II, 471
1749	31 oct.	*Gravissimo*	»	B. B. III, 98
1750	1 sept.	*Oneroso*	»	B. B. III, 302
1751	2 iun.	*Magno cum*	»	B. B. III, 377
1751	15 dec.	*Probe*	»	B. B. III, 417
1755	27 iul.	*Cum ut recte*	»	B. B. IV, 317
1758	15 feb.	*Laudabile*	»	S. I., 305
1760	6 sept.	*Experientia*	Clementis XIII	B. R. C. II, 27
1773	21 iul.	*Dominus ac Redemptor*	Clementis XIV	B. R. C. IV, 607
1787	27 mart.	*Ex debito*	Pii VI	B. R. C. VIII, 13
1789	21 aug.	*Sacrosanctum*	»	B. R. C. VIII, 345
1790	5 ian.	*Singulari*	»	B. R. C. VIII, 377
1791	10 mart.	*Quod aliquantulum*	»	Collect. Brev.[1] Pii VI, t. 1, 47-149
1794	28 aug.	*Auctorem Fidei*	»	B. R. C. IX, 395
1801	7 mart.	*Catholicae Fidei*	Pii VII	S. I. 332
1806	6 iul.	(Priv. Tertiariorum S. Dominici)	»	N. R. Th. XXVI, 391
1807	9 ian.	*Qui sicut*	»	B. R. C. XIII, 88
1814	7 aug.	*Sollicitudo omnium Ecclesiarum*	»	B. R. C. XIII, 323
1826	11 iul.	*Plura inter*	Leonis XII	P. F. IV, 674
1838	13 maii	(Rescriptum)	Gregorii XVI	S. I.[2] p. 10
1847	17 ian.	*Ubi primum*	Pii IX	C. B., p. 868
1848	25 ian.	*Romani Pontifices*	»	C. B., p. 882
1848	25 ian.	*Regulari disciplinae*	»	C. B., p. 884
1857	19 mart.	*Neminem latet*	»	C. B., p. 904
1858	12 ian.	*Ad religionis*	»	Sentis [3], p. 107
1862	7 feb.	*Ad universalis*	»	C. B., p. 912

[1] In collectione Brevium quae ad praesentes... in Gallia, etc.
[2] *Varia rescripta*, Institut. S. I., t. 3.
[3] *Clementis Pp. VIII Decretales.*

Annus	Dies	Initium	Pontifex	Locus
1869	22 oct.	*Apostolicae Sedis*	Pii IX	P. F. VI, II, 36
1881	8 maii	*Romanos Pontifices*	Leonis XIII	M. 718
1882	17 sept.	*Auspicato*	»	A. L. I, 289
1883	30 maii	*Misericors Dei Filius*	»	A. L. II, 10
1886	13 iul.	*Dolemus inter*	»	A. L. II, 209
1890	17 dec.	*Quemadmodum*	»	M. 631
1892	4 nov.	*Auctis admodum*	»	M. 447
1893	17 mart.	*Pastoralis muneris*	»	A. L. V, 153
1893	12 iul.	*Summum semper*	»	A. L. V, 170
1894	30 nov.	*Orientalium*	»	A. L. V, 303
1896	7 iul.	*Cum dilectus*	»	N.R.Th. XXVIII, 535
1897	4 oct.	*Felicitate quadam*	»	A. S. S. XXX, 225
1898	17 iun.	*Cum nobis*	»	Le Canoniste contemp. XXIII, 288
1898	2 oct.	*Ubi primum*	»	A. S. S. XXXI, 257
1900	8 dec.	*Conditae a Christo*	»	M. 199
1902	3 maii	*Perpensis*	»	M. 359
1906	26 maii	*Sacrae Congregationi*	SS. D. Pii Pp. X	Per. II, 126
1906	16 iul.	*Dei providentis*	»	Per. II, 127

BIBLIOGRAPHIA

Acta Conciliorum (**Harduin**, S. I.), 12 vol. Parisiis, 1714-1715.

Acta Conciliorum (**Mansi**, S. I.), 31 vol.

Acta et Decreta concilii plenarii Americae latinae, 2 vol. Romae, Typ. Vaticanis, 1900.

Acta Sanctae Sedis in compendium opportune redacta et illustrata (**Piazzesi**), Romae.

Acta Leonis XIII (Allocutiones, Epistolae, Constitutiones aliaque acta praecipua). Brugis, Desclée-De Brouwer, 5 vol. 1887-1898.

Adigard, S. I., *Décret Apostolique du 17 déc. 1890 sur le compte de conscience, la confession et la communion dans les communautés religieuses.* Texte et traduction. Commentaire. (Opusculum.) Paris, Retaux, 1891.

Aichner, Ill. D. *Compendium iuris ecclesiastici ad usum cleri*, 1 vol. Brixinae, Weger, 1890, ed. 7.

S. Alphonsi, C. SS. R. *Theologia moralis*, 10 vol. (edit. Heilig) Mechliniae, 1852.

— *Oeuvres ascétiques* (*Oeuvres complètes,* éd. Dujardin) 12 vol. Tournai, Casterman, 1882, ed. 6.

Analecta Iuris Pontificii, Romae.

Angelus a SS. Corde, O. Carmel. Discalc., *Manuale iuris communis regularium et specialis Carmelitarum discalceatorum,* 2 vol. Gandae, Vander Schelden, 1899.

Annibale, Card. **d'** *Summula Theologiae moralis,* 3 vol. Romae, Prop. Fid. 1892, ed. 3.

Archiv für katholisches Kirchenrecht, Mainz.

Avanzini Petr., R. D., *De Constitutione Apostolicae Sedis, qua censurae lat. sent. limitantur commentarii*, 1 vol. Romae, S. C. Prop. Fid. 1874 (Editio manualis).

Ballerini-Palmieri, S. I. *Opus theologicum morale*, 7 vol. Prati, Giachetti, 1892-1894, edit. 2ª. (Tr. 9, c. 1. *De Regularibus*, fere totum est tribuendum R. P. Palmieri.)

Barbosa, Episc. *De officio et potestate Episcopi*, 2 vol. Lugduni, 1698.

Bastien, O. S. B. *Directoire canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples*, 1 vol., abbaye de Maredsous, 1904.

Battandier, R. D. *Guide canonique pour les constitutions des sœurs à vœux simples,* 1 vol. Paris, Lecoffre, 1898.

Bellarminus Robertus, Card. S. I. *Disputationes de controversiis christianae fidei.* 4 vol. Pragae, 1721.

Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticae*, 5 vol. Lovanii, 1762.
— *De Synodo dioecesana*, 4 vol. Mechliniae, Hanicq, 1823.
Beringer, S. I. *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch*, 1 vol. Paderborn, Schöningh, 1900, ed. 12, et 1906, ed. 13 (approbatae a S. Congr. Indulg.).
Berlière, O. S. B. *Les Origines du Monachisme et la Critique moderne.* (*Messager des Fidèles, Revue bénédictine*, janvier 1891.)
Berthier, R. D. *Des états de la vie chrétienne et de la vocation d'après les Docteurs de l'Église et les théologiens*, 1 vol. Paris, Bonne Presse, 1897, edit. 4.
Besse, O. S. B. *Les moines d'Orient antérieurs au concile de Chalcédoine* (451), 1 vol. in-8, Paris, Oudin, 1900.
— *Le Monachisme africain* (IVe-VIe siècles). (Brochure) in-8. Paris, Oudin.
Biederlack, S. I. *De iure regularium. Praelectiones quas in usum auditorum facultatis theologicae oenipontanae scripsit.* 1 vol. Oeniponte, 1892.
Binterim, R. D. *Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der Christen Katholischen Kirche*, 16 vol. Mainz, Müller-Kirchheim, 1825-1845.
Bizzarri, Card. *Collectanea in usum Secretariae S. C. Episc. et Regular.* 1 vol. Romae, typ. Cameralis, 1863.
Blumenstock, *Der päpstlicher Schutz im Mittelalter*, 1 vol. Innsbruck, Wagner, 1899.
Boëro, S. I. *Osservazioni sopra l'istoria del Pontificato di Clemente* XIV *scritta dal P. Theiner.* 2 vol. Monza, Istituto dei Paolini, ed. 2.
Bouix, R. D. *Tractatus de iure regularium*, 2 vol. Parisiis, Lecoffre, 1856.
Bucceroni, S. I. *Institutiones theologiae moralis*, 2 vol. Romae, Forzani, 1891.
— *Enchiridion morale*, 1 vol. Romae, Forzani, 1891, 2a editio.
— *C. Lucii Ferraris Promptae bibliothecae supplementum*, Romae, Prop. Fid. 1899.
Sanctissimi D. N. Benedicti Pp. XIV Bullarium, 5 vol. Romae, 1746.
Bullarium romanum (**Coquelines-Mainardi**) 28 vol. Romae, 1734-1762.
Iuris Pontificii de Propaganda Fide Pars prima complectens Bullas, Brevia, Acta S. S. a Congregationis institutione ad praesens. (R. **De Martinis**.) Romae, Prop. Fid. 7 vol. 1888-1897.
Magnum Bullarium Romanum (**Cherubini**) cum eius continuatione, 14 vol. Luxemburgi, 1727-1740.
Bullarii Romani Continuatio (**Barbèri**). Romae, Typ. camer. 19 vol. 1835-1857.
Bullarium Ordinis FF. Praedicatorum, 8 vol. Romae, 1729-1740.
Bullarium Ordinis FF. Minorum Capuccinorum, 6 vol. Romae, 1740.
Busembaum, S. I. *Medulla theologiae moralis*, 1 vol. Patavii, 1746.

Butler, O. S. B. *The lausiac history of Palladius*, a critical discussion together with notes on early egyptian monachism, 1 vol. Cambridge, University Press, 1898.

Canoniste (Le) contemporain, Paris.

Cespedes, Cler. reg. *Tractatus de Exemptione Regularium*, 1 vol. Venetiis, 1647.

Chokier, Erasmus **a**. *De iurisdictione Ordinarii in exemptos*. 2 vol. Coloniae Agrippinae, 1684.

Ciravegna, S. I. *De Societatis Iesu Paupertate, Quaestiones variae*. 1 vol. Prati. Giachetti, 1892.

Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, 1 vol. Romae, Prop. Fid. 1893.

Collectio brevium atque instructionum SS. D. N. Pii Pp. VI, *quae ad praesentes ecclesiae catholicae in Gallia, etc. calamitates pertinent*, 3 vol. iuxta exemplar impressum Romae, 1800-1801.

Collectio lacensis (Acta et Decreta sacrorum conciliorum recentiorum, auctoribus Presbyteris S. I. Domo B. V. M. Sine labe conceptae ad Lacum). 7 vol. Friburgi Brisg., Herder, 1870-1890.

Craisson, R. D. *Des Communautés religieuses à vœux simples*, 1 vol. Paris, Poussielgue, 1869.

— *Manuale iuris canonici*, 4 vol. Parisiis, Roger et Chernovitz, 1894, edit. 8.

Damanet, S. I. *Manuel du directeur spirituel etc. pour le choix d'un état de vie*, 1 vol. Paris, Tournai, Casterman, 1862.

Daris, R. D. *Quaestiones canonico-civiles de statu religioso* (Praelectiones canonicae, vol. 4) 1 vol. Leodii, Verhoven-Debeur, 1866.

De Buck V.-Tinnebroeck, S. I. *Examen historicum et canonicum libri R. D. Verhoeven de regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis*. Tomus prior (qui unus prodiit, sine nomine scriptorum), Gandavi, Poelman, 1847.

De Buck V., S. I. *De Exemptione regularium conservanda et confirmanda*, 1 vol. Bruxellis, Vromant, 1869.

— *De l'état religieux en Belgique au XIX^e siècle* (Extrait des actes de l'Assemblée générale des catholiques à Malines, 1 vol. Bruxelles. Greuse, 1864).

Dechamps, Card. *Instructions aux communautés religieuses de femmes du diocèse de Malines*, 2^e édit. publ. par S. E. le Card. **Goossens**, (opusculum) Malines, Dessain, 1890.

Decreta authentica S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668-1882. 1 vol. Ratisbonae, Pustet, 1883.

Decreta authentica Congr. S. Rituum, 3^a edit. Gardellini, 5 vol. Romae Prop. Fid. 1856-1879.

Decreta authentica Congr. S. Rituum, ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata, 4 vol. Romae, Prop. Fid. 1898-1900.

Delbene, Cler. regul. *De Immunitate et Iurisdictione ecclesiastica*, 2 vol. Lugduni, 1650.

Delehaye H., S. I. *Les Stylites* (*Revue des Questions historiques*, janv. 1895, ou compte-rendu du 3e congrès scientif. intern. des catholiques, Bruxelles, 1899).

— *Vie de St Paul le jeune* (*Revue des Questions historiques*, juillet, 1893).

De Luca, Card. *Relatio Curiae romanae* (*Theatrum veritatis et iustitiae*, t. 5, II), 1 vol. Coloniae, 1706.

Devoti Ioannes, R. D. *Institutionum canonicarum libri IV*. 2 vol. Leodii, Dessaix, 1874.

Duchesne, R. D. *Origines du culte chrétien*, 1 vol. Paris, Fontemoing, 1898, ed. 2.

Dugdale, *Monasticon anglicanum*, 6 vel 8 vol. London, Harding and Longman, 1817-1830 (a new edit.)

Fagnani, R. D. *Ius canonicum*, 3 vol. Coloniae, 1704.

Ferrari, R. D. *Summa institutionum canonicarum*, 2 vol. Genuae, typ. archiepiscop. 1877, edit. 3.

L. Ferraris, O. M. *Prompta bibliotheca*, 8 vol. Migne, 1860-1861.

Fleury, R. D. *Disciplina populi Dei*, cum notis **Zaccariae** et dissertationibus variorum, 3 vol. Venetiis, 1782.

Funk, R. D. *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, 1 vol. Paderborn, 1898, ed. 3.

Garzia, R. D. *De beneficiis ecclesiasticis*, 2 vol. Venetiis, 1630.

Gasparri, Card. *Tractatus canonicus de sanctissima Eucharistia*, 2 vol. Parisiis, Delhomme et Briguet, 1897.

— *Tractatus canonicus de sacra Ordinatione*, 2 vol. Ibid. 1893.

Gasquet, O. S. B. *Saggio storico della Costituzione monastica*, opusc. Romae, Tipogr. Vaticana, 1896.

Gatticus, Can. Lat. *De oratoriis et de usu altaris portatilis*, 1 vol. Romae, 1775.

Génicot Ed., S. I. *Institutiones Theologiae moralis*, 2 vol. Lovanii, Polleunis et Ceuterick, 1900, ed. 3.

— *Casus conscientiae*, 2 vol. Lovanii, ibidem, 1901.

Gennari, Card. *Consultazioni morali-canoniche-liturgiche*, 1 vol. Napoli, tip. degli artigianelli, 1893.

Giraldi, Cler. reg. Schol. piar. *Expositio iuris pontificii*, 3 vol. Romae, Ercole, 1830.

Gury, S. I., *Compendium theologiae moralis*, ed. 17a **Ballerinii**, eiusdem soc., adnotationibus locupletata, 2 vol. Romae, typis Civilitatis catholicae, 1866.

Citatur etiam ed. 3a P. **Ferreres**, S. I., 2 vol. Barcinonae. Subirana, 1906.

Hefele, von, Episc. *Conciliengeschichte*, *fortgesetz von Card.* **Hergenröther**, 9 vol. Freiburg im Breisgau, Herder, 1873-1890, 2a ed.

Heimbucher, *Die Orden und Kongregationen der katholischen Kirche*, 2 vol. Paderborn, 1896.

Hélyot, *Histoire des Ordres monastiques religieux et militaires, et des Congrégations séculières*, 8 vol. Paris, 1714-1719.

Hilgers, S. I. (trad. **Mazoyer**) *Manuel des Indulgences d'après l'ouvrage du R. P. Beringer*, 1 vol. Paris, Lethielleux, 1897. (Éd. approuvée par la S. Congr. des Indulg.)

Hinschius, *System des Katholischen Kirchenrechts*, 6 vol. Berlin, Guttentag, 1869-1897.

Huguenin, R. D. *Expositio methodica iuris canonici*, editio 5 (studio R. P. **Marc**. C. SS. R.), 1 vol. Parisiis, Gaume, 1892.

Kirchenlexicon (**Wetzer und Welte's**) zweite Auflage begonnen von C. **Hergenröther**, fortgesetzt von Dr. Fr. **Kaulen**, 12 vol. Freiburg im Breisgau, Herder, 1882-1901.

Kraus, *Real-Encyclopaedie der christlichen Alterthümer*, 2 vol. Freiburg im Breisgau, Herder, 1886.

Ladeuze, R. D. *Étude sur le cénobitisme pakhomien pendant le IV^e^ siècle et la première moitié du V^e^*. (Dissertation doctorale) 1 vol. Louvain, Van Linthout, 1898.

Laymann, S. I. *Theologia moralis*, 1 vol. Monachi, 1630.

Lehmkuhl, S. I. *Theologia moralis*, 2 vol. Friburgi Brisgoviae, Herder, 1896, editio 7.

Lessius, S. I. *De iustitia et iure ceterisque virtutibus cardinalibus libri 4*, 1 vol. Lovanii, 1606.

— *Disputatio de statu vitae deligendo et religionis ingressu*, inter *Opuscula*, 1 vol. Antwerpiae, 1626, p. 833 sqq.

Leurenius, S. I. *Forum ecclesiasticum, in quo Ius canonicum*, etc. 4 vol. Augustae Vindelicorum, 1737.

Lugo, Card. **de**, S. I. *De Iustitia et iure*, 2 vol. Lugduni, 1652.

— *De Paenitentia*, 1 vol. Venetiis, 1751.

— *Responsa moralia*, 1 vol. Venetiis, 1751.

Marc, C. SS. R. *Institutiones morales Alphonsianae*, 2 vol. Romae, Typ. pacis, 1893, edit. 7.

Marin, R. D. *Les Moines de Constantinople depuis la fondation de la ville jusqu'à la mort de Photius*. 1 vol. Paris, Lecoffre, 1897.

Malou, Episc. *Règles pour le choix d'un état de vie, proposées à la jeunesse chrétienne*, 1 vol. Bruxelles, Goemaere, 1865, 2^e^ édit.

Marres, R. D., *De iustitia secundum doctrinam theologicam et principia iuris recentioris, speciatim vero Neerlandici*, 2 vol. Ruremundae, Romae, 1888.

Martène, O. S. B. *De antiquis Ecclesiae Ritibus*, 4 vol. Antwerpiae, 1763.

— Commentarius in regulam S. P. Benedicti, 1 vol. Parisiis, 1790.

Martigny, R. D. *Dictionnaire des antiquités chrétiennes*, 1 vol. Paris, Hachette, 1863.

Maschiat, Cler. reg. Schol. piar., *Institutiones iuris civilis et canonici*, 1 vol. (edit. Giraldi et Amort) Augustae Vindelicorum, 1761.

Mélanges théologiques ou série d'articles sur les questions les plus intéressantes de la théol. mor. et du droit canon, par une société d'ecclésiastiques belges, 6 séries, 1847-1853, Liège, Lardinois.

Melchers, Card. *De canonica dioeceseum visitatione.* 1 vol. Coloniae ad Rhenum, Bachem, 1893.

Mélot, S. I., *De Ordinibus et Congregationibus religiosis* (Codex lithographice exaratus) 1 vol. Lovanii, 1888-89.

Le Messager des Fidèles, Revue bénédictine, Maredsous.

Meynard, O. P. *Quelques réponses touchant les devoirs de l'obéissance envers le décret apostolique du 17 déc. 1890, sur l'ouverture de conscience, les confessions et les communions dans les communautés.* (Opusculum) Paris, Vic et Amat, 1892.

Migne, *Patrologiae cursus completus.* Graeca sic affertur : M. P. G. t. (tom.) c. (col.) Latina vero sic : M. P. L. t.... c....

Monacelli, R. D. *Formularium legale-practicum fori ecclesiastici*, 2 vol. Romae, 1703. 1706.

Monitore (Il) ecclesiastico (prius in civitate Conversanensi) Romae.

Montalembert, C^te^ **de**, *Les Moines d'Occident depuis St Benoît jusqu'à St Bernard*, 7 vol. in-8. Paris, Lecoffre, 1860.

Morris, S. I. *Cathotic England in modern times*, 1 vol. Londinii, Burn and Oates, 1892.

Nervegna, R. D. *De iure practico regularium,* 1 vol. Romae, Pustet, 1900.

Nilles, S. I. *De libertate clericorum religionem ingrediendi*, inter selectas disputationes academicas, Œniponte, Rausch, 1886.

Notermans, R. D. *Dissertatio de regularium iure redeundi in loca e quibus vi et iniustitia expulsi fuerunt.* Opusculum, Ruremonde, Rouan, 1899.

Nouvelle Revue théologique **(Piat** et **Planchard ;** ab anno vero 1896, PP. Congr. SS. Redemptoris cum R. P. Piat). Tournai.

Oltarjefskij, Ieromonakh Theodossij, *Palestinkoïe Monachestvo s' IV do VI vèka*, 1 vol. in-8. (Le monachisme Palestinien du 4^e^ au 6^e^ siècle). 1 vol. Petropoli, Kirschbaum, 1896.

Papp-Shilàgyi de Illiésfalva Iosephus, R. D. *Enchiridion iuris ecclesiae orientalis catholicae.* 1 vol. M. Varadini, Tichy, 1862.

Pargoire, R. D. *Les débuts du monachisme à Constantinople* (*Revue des questions historiques*, t. 65, 1899).

Passerini de Sextula, O. Pr. *De Hominum Statibus et Officiis, Inspectiones morales ad ultimas septem quaestiones* 2, 2, *D. Thomae.* 3 vol. Lucae, 1732.

— *Commentaria in libros Sexti Decretalium*, 3 vol. Romae, 1667-1672.

— *Regulare tribunal*, 1 vol. Romae, 1677.

— *De electione canonica*, 1 vol. Romae, 1693.

Pellizarius, S. I. *Manuale regularium*, 2 vol. Lugduni, 1605 (opus istud est in Indicem relatum).

– *Tractatus De Monialibus*, 1 vol. Editio correcta iuxta animadversiones Sacrae Indicis Congregationis, 1761.

Pennacchi, R. D. *In Constitutionem Apostolicam* « *Officiorum ac Munerum* » etc. *Brevis Commentatio*, 1 vol. Romae, Desclée, 1898.

Périès, R. D. *L'Index*, 1 vol. Paris, Roger et Chernoviz, 1898.

Petra, Vincentius, Card. *Commentaria ad Constitutiones apostolicas*, 8 vol. Venetiis, 1741.

Peyrinis, Laurentius **de**, O. F. Min. *De privilegiis Regularium*, 3 vol. Venetiis, 1643.

Piat, O. F. Min. Capucc. *Praelectiones iuris regularis ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum*, 2 vol. Tornaci, Casterman, 1898, edit. 2ª. Interdum affertur editio prior, 1888-1891, quae tribus constat tomis.

— *Comment. de la Const.* « *Officiorum ac Munerum* ». (*Nouvelle Revue théologique*, t. 30. 31. 32.)

Pichler, S. I. *Ius canonicum practice explicatum*, 1 vol. Ingolstadii, 1735.

Pie de Langogne, O. F. M. C. *L'ouverture de conscience, les confessions et communions dans les communautés*. Texte et commentaire du décret de la S. C. des Ev. et RR., du 17 déc. 1890. (Opusculum). Paris, Poussielgue, 1891.

Pignatelli, R. D. Jacobus, *Consultationes canonicae*, 11 vol. Coloniae Allobrogum, 1700.

— *Novissimae consultationes*, 2 vol. Cosmopoli, 1740.

Pirhing, S. I. *Ius canonicum*, 4 vol. Venetiis, 1759.

Portel, De, O. F. M. *Dubia Regularia*, 1 vol. Ulyssipone, 1618.

— *Novae additiones ad dubia regularia*, 1 vol. Ulyssipone, 1623.

Preuschen, Dr. Erwin, *Mönchtum und Sarapiskult* (Jahresbericht, Darmstadt) Abhandlung 30 s. Darmstadt, Winter, 1899.

Putzer, C. SS. R. *Commentarium in facultates apostolicas*, 1 vol. Neo-Eboraci, etc. Benzinger, 1897, ed. 4.

Reiffenstuel, Anacletus, O. F. M., *Ius canonicum universum*, 6 vol. Antwerpiae, 1755.

Revillout, *Le concile de Nicée d'après les textes coptes et les diverses collections canoniques*. Dissertation critique, 2 vol. Paris, 1896-1898.

Revue d'histoire ecclésiastique, Louvain.

Revue des Questions historiques, Paris.

Rodericus, O. F. M. *Quaestiones regulares et canonicae*, 4 vol. Antwerpiae, 1616.

– *Nova Collectio et compilatio privilegiorum apostolicorum Regularium Mendicantium et non mendicantium*, 1 vol. Antwerpiae, 1623.

S. Rotae Romanae Decisiones recentiores in compendium redactae, 5 vol. Mediolani, 1730.

Rotarius, Cler. reg. Barnabita, *Theologia moralis regularium*, 3 vol. Venetiis, 1724.

Sales, S^t François de, *Lettres. Œuvres complètes*, t. 8-11, Paris, Meyer, 1833.

Salmaticensis Collegii cursus theologiae moralis, 4 vol. Venetiis, 1734.

Sanchez, Th. S. I. *Opus morale in Praecepta Decalogi*, 2 vol. Lugduni, 1628 et 1637.

— *De sancto matrimonii sacramento*, Disputationes, 2 vol. Lugduni, 1739.

Sanguineti, S. I., *La Compagnia di Gesù e la sua legale esistenza nella Chiesa*, 1 vol., Roma, Befani, 1882.

Santi, Fr. R. D., *Praelectiones iuris canonici*, 6 voî. (edit. **Leitner**) Ratisbonae, Pustet, 1898-1901.

Schels, D^r, *Die neuern religiösen Frauen-Genossenschaften*, 1 vol. Schaffhausen, Hurter, 1857.

Scherer, Ritter **von**, *Handbuch des Kirchenrechts*, 2 vol. Graz-Leipzig, Moser, 1886-1898.

Schiewietz Stephan, *Vorgeschichte des Mönchtums oder das Ascetentum der drei ersten christlichen Jahrhunderten* (*Archiv.* t. 78, s. 3 ff, s. 305 ff.). *Das egyptische Mönchtum im vierten Jahrhundert* (*Archiv*, t. 78, s. 453 ff. t. 79, s. 68 ff. 272 ff. 444 ff. t. 81, s. 481 ff.)

Schmalzgrueber, S. I. *Ius ecclesiasticum universum*, 5 vol. Neapoli, 1738.

— *Consilia seu responsa iuris*, 2 vol. Dilingae, 1740.

Schmier, O. S. B. *Iurisprudentia canonico-civilis*, 2 vol. Salisburgi, 1629.

Schneider, R. D. *Die neuen Büchergesetze der Kirche*, (opuc.) Mainz, Kirchheim, 1900.

Segneri, S. I. *Institutio parochi*, 1 vol. Augustae Vindelicorum (Augsbourg) et Dilingae, 1699.

Seidl, *Die Gott-Verlobung von Kindern in Mönchs und Nonnen-Klöstern*, (Opusculum) Passau, Bucker, 1871.

Sentis, R. D. *Clementis PP.* VIII *Decretales*, etc. primum edidit, annotatione critica et historica instruxit, constitutionibus recentioribus subtitulis competentibus insertis auxit, etc., 1 vol. Friburgi Brisg. Herder, 1870.

Spreitzenhofer, O. S. B. *Die Entwicklung des alten Mönchthums in Italien von seiner ersten Anfängen bis zum Auftreten des H. Benedict*, (Opusculum.) Wien, Kirsch, 1894.

Statuta Dioecesis Mechliniensis, 1 vol. Mechliniae, Dessain, 1899.

Suarez, Fr., S. I. *De virtute et statu Religionis* pars 2^a (Tractatus 7-10). 2 vol. Moguntiae, 1626.

— *Disp. De Censuris in communi*, etc. 1 vol. Moguntiae, 1606.

— *Tract. De Legibus ac Deo Legislatore*, 1 vol. Moguntiae, 1619.

— *Commentariorum ac Disputationum in 3 p. D. Thomae*, 4 vol. Moguntiae, 1604.

Tamburini, Asc., Mon. Vallis Umbrosae, *De iure Abbatum et aliorum Praelatorum*, 3 vol. Lugduni, 1640.
— *De iure abbatissarum et aliarum Monialium*, 1 vol. Lugduni, 1668.
Thesaurus, S. I. *De poenis ecclesiasticis*, (edit. **Giraldi**) 1 vol. Romae, Ercole, 1831.
Thomassinus, R. D. *Vetus et nova ecclesiae dicciplina*, 3 vol. Lugduni, 1705-1706.
S. Thomas, O. P. *Summa theologica*. — *In 4 libros Sententiarum*.
— *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu*, opusculum, edit. rom. 17.
— *Summa contra Gentiles*.
— *De perfectione vitae spiritualis*, opusculum, editionis romanae 18.
— *Contra impugnantes religionem*, opusculum, éditionis romanae 19.
Tractatus De Indulgentiis, ad usum alumnorum Seminarii Archiep. Mechliniensis, 1 vol. Mechliniae, Dessain, 1897.
Treugott, Dr, *Ist die Erlaubnuss des Ordinarius nothwendig zum Bau der Ordenskirchen*. (*Archiv.*, t. 26 (1871), p. 130 sqq.)
Valentia, Gregorius **de**, S. I. *Commentarii theologici*, 4 vol. Ingolstadii, 1603.
Van Coillie, R. D. *Commentarius in Constitutionem SS. D. Leonis Pp. XIII*, « *Officiorum ac Munerum* », (Opusc.) Brugis, Desclée-De Brouwer, 1899.
Van Espen, *Ius ecclesiasticum universum*, 2 vol. Lovanii, 1753 (Opus est in Ind. relat.).
Vasquez Gabriel, S. I. *Commentariorum ac Disputationum in primam secundae S. Thomae*, 2 vol. Antverpiae, 1621.
— *Tractatus De redditibus ecclesiasticis*, inter *Opuscula*, 1 vol. Antverpiae, 1621.
Verhoeven, Marianus R. D., *De regularium et saecularium clericorum iuribus et officiis*, liber singularis, 1 vol. Lovanii, C. Fonteyn, 1846.
Vericelli, Cler. Regul. *Quaestiones morales de apostolicis Missionibus*, 1 vol. Venetiis, 1656.
Vermeersch, S. I. *De prohibitione et censura librorum*, 1 vol. Romae-Tornaci, Desclée-Lefebvre, 1901, édit. 3.
— *Quaestiones De Iustitia ad usum hodiernum scholastice disputatae*, 2ª ed., Brugis, Beyaert, 1905.
— *De Religiosis institutis et personis supplementa et monumenta periodica*, Brugis, Beyaert.
Villada, S. I. *De Confessariis nostris*. Valisoleti, 1 vol., à Cuesta, 1892, ed. 2.
Waldensis Thomas, Ord. Carm. *Doctrinale antiquitatum fidei catholicae Ecclesiae*, 3 vol. Venetiis, 1759.
Wernz, S. I. *Ius Decretalium ad usum praelectionum in Scholis textus canonici sive iuris Decretalium*, Romae, Pr. Fid.

— Tom. 1. *Introductio in ius Decretalium*, 1898.
— Tom. 2. *Ius Constitutionis Ecclesiae catholicae*, 1899.
— Tom. 3. *Ius administrationis Eccl. cath.* 1901.
— Tom. 4. *Ius matrionale Eccl. cath.* 1904.
— L. 5. *De iure criminali Eccl. cath.* (Lith. exarat. Romae, 1893.)

Wilpert, R. D. *Die gottgeweihten Jungfrauen in den ersten Jahrhunderten der Kirche*. 1 vol. Freiburg im Breisgau, Herder, 1892.

Zaccaria, Ant. M., S. I. *Anti-Febronius*. 5 vol. Lovanii, Van Linthout, 1829.
— Anti-Febronius vindicatus, 1 vol. Romae, 1843.

Zalenski, S. I. *Les Jésuites de la Russie-Blanche*, traduit du polonais par le P. Vivier, 2 vol.. Paris, Letouzey, 1887.

Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck.

Zitelli, R. D. *Apparatus iuris ecclesiastici*, 1 vol. Romae, Soc. edit. rom. 1888, edit. 2.

INDEX ONOMASTICUS

Numeri indicant seriem paginarum.
Asterici notas indicant.

Adigard, S. I., 324*. 327.
Aichner, Ill. D., 70. 71*. 72. 73. 113*. 137*. 232. 234*. 237*.
Alexander II, 37.
S. Alphonsus de Ligorio, C. SS. R., 86. 87. 90. 92. 99. 102*. 150. 155. 160. 172. 173. 177. 188*. 198. 202. 226. 227. 230. 238. 273*. 276*. 292*. 302. 348*. 349.
S. Ambrosius, 20*. 85*.
Angelus a SS. Corde, O. Carm., 151. 161. 167*, 175. 364*.
Annibale, Card. **d'**, 164*. 165. 195. 198. 229, 272. 281. 282. 283. 319. 348*.
S. Antoninus, O. Pr., 38.
S. Athanasius, 32. 46*.
S. Augustinus, 1*. 7*. 27*. 36. 37. 55*. 85*. 133.
Avanzini, R. D., 196*. 333.
Ballerini-Palmieri, S. I., 97*. 100. 102. 129. 130. 153. 155. 160. 167*. 200*. 212. 246*. 281. 283. 302*. 306. 316*. 338*. 347*.
Barbosa, Episc., 292*.
Bardenhewer, R. D., 30*.
S. Basilius, 1*. 29. 31. 32. 94.
Bastien, O. S. B., 136*. 149*. 217.
Battandier, R. D., 112. 115. 163*. 282. 295*. 300*.
Bellarminus, Card. S. I., 15*. 23*.
S. Benedictus, 12. 26. 33. 123.
Benedictus XII, 34.
Benedictus XIV, 72. 95*. 105. 115. 216*. 235. 241. 244. 246. 316*. 337. 340*. 346. 348.
Berardi, R. D., 91.
Beringer, S. I., 364. 365. 366*. 367*. 368*. 369*. 370. 371. 372. 374. 378*.
S. Bernardus, O. S. B., 85*. 95.
Besse, O. S. B., 30*. 32*. 33*. 35*. 46*. 55*.
Biederlack, S. I., 72*. 98*. 126*. 128*. 143. 178*. 185. 187. 189. 195. 206*. 207. 216.
Binterim, R. D., 95*.
Blumenstock, 234*.
Boëro, S. I., 66.
Bouix, R. D., 20*. 65. 70. 72. 74. 94. 99. 107*. 114. 115. 122*. 123. 127. 129. 141. 142. 169. 181. 207. 211*. 231. 254*. 281. 282. 294. 295. 321. 331*. 334. 335. 340. 341*.
Bucceroni, S. I., 53. 162. 167. 283. 305*. 308*. 312. 338*. 340.
Busenbaum, S. I., 138. 170.
Butler, O. S. B., 31*. 35*.
Carrière, R. D., 60.
Cassianus, 29. 41. 55*.
Cassiodorus, 36.
Cespedes, Cler. regul., 68*.
Cherubini, 71*.
Chokier, 241.
S. Chrodegangus, 36.
Ciravegna, S. I., 38*.
Clemens Alexandrinus, 1*. 28.
S. Columbanus, 29.
Cornély, S. I., 8*.
Craisson, R. D., 20*. 53. 74*. 75. 107*. 113. 237. 295.
S. Cyprianus, 28. 85*.

Daris, R. D. 62*.
De Angelis, R. D., 46*. 59*. 107*. 129. 142. 162.
De Buck, S. I., 161*. 186. 235. 329.
De Buck-Tinnebroeck, S. I., 19, 73. 329.
Delbene, Cler. regul., 238. 281.
De Luca, Card. 255. 256. 282. 283.
Devoti, R. D., 95*.
Duchesne, R. D., 35*.
S. Eusebius Vercellensis, 36.
Fagnani, R. D., 64*. 71*. 74. 77. 113. 114. 120. 129. 240. 241. 282. 292*. 293*.
Ferrari, R. D., 46.
Ferraris, O. F. M., 74. 75. 77. 93*. 107. 147. 238. 245. 276*. 281. 282. 292*. 295. 341*. 355. 390.
Ferreres, S. I., 198.
Feye, R. D., 102*.
Fleury-Zacharias, 95*.
S. Franciscus Salesius, 87.
Franco, S. I., 301.
Gardellini, Card., 267*.
Garzia, R. D., 281.
Gasparri, Ill. D., 314*. 315. 316*. 319*.
Gasquet, O. S. B., 35*.
Gatticus, Can. Lat., 303*. 337*. 341*. 388.
Génicot, S. I., 123. 168. 174. 175. 182. 194. 242. 303. 316*. 338*.
Gennari, Card., 284.
Giraldi, Cl. reg. Schol. Piar., 241. 285.
S. Gregorius Magnus, 33*. 235*.
S. Gregorius Nyssenus, 31. 94*.
Gury, S. I., 160. 167. 186. 198. 202.
Harduin, S. I., 30*. 32*.
Hefele, Ill. D., 30*. 32*. 234.
Heimbucher, R. D., 41. 66.
Héliot, 26*. 28*. 36*. 38*. 41*. 43*.
Hergenröther, Card., 34*. 36*. 41*. 261*.
S. Hieronymus, 27*. 85*. 94.
Hilarius, O. F. M. C., 362*.
Hilgers, S. I., 364.
Hinschius, 226*.
S. Hippolytus, 28*. 44.
Huguenin, R. D., 237.
S. Ignatius de Loyola, S. I. 87. 184.
S. Ioannes Chrysostomus, 31 85*. 94*.
S. Iustinus, 9.
Kraus, R. D., 44*.
Labbe-Mansi, S. I., 31*. 94*.
Ladeuze, R. D., 30*. 31. 35*. 61*
Lapide, Cornelius a, S. I., 86*.
Laymann, S. I., 53. 102. 103. 126 138. 139. 140. 150. 153. 154. 155 160. 169. 171*. 172. 178. 179. 180 181. 190. 335.
Lehmkuhl, S. I., 59. 86. 87. 126 156. 170. 174*. 186. 188. 189. 190 201. 260. 278. 283. 302. 316*. 324* 340. 347*. 350. 351. 352.
Leitner, v. **Santi**.
Leo XIII, 22. 34. 330.
Lessius, S. I., 86*. 87. 138. 149 169. 170. 180*. 188. 189.
Leurenius, S. I., 72. 281.
Lucidi, R. D., 52*. 71*. 77. 115 161*. 162. 164*. 165. 237*. 241 284. 295. 315. 316. 318. 337.
Lugo, Card. **de**, S. I., 130. 131* 161. 164. 168. 169. 171*. 172. 173 174. 175. 176. 177. 188*. 189. 190 231. 275. 278. 279. 280. 281*. 306 317. 348.
Mansi, S. I., 830*.
Marres, R. D., 161.
Marc, C. SS. R., 20*.
Martène, O. S. B., 41*. 55*. 95* 123.
Maschiat, 69. 72.
Melchers, Card., 237. 245. 293*.
Mélot, S. I., 19*. 66. 181. 190 209. 232. 299*. 302*. 303*. 304 308. 337. 339. 340. 347.
Meynard, O. P., 324*.
Molina, Lud., S. I., 122*. 168. 281
Monacelli, R. D., 92*.
Morris, S. I., 65.

Nervegna, R. D., 93*. 119. 120. 180. 205. 209. 320*.
Nilles, S. I., 44*. 56. 58*.
Notermans, R. D., 78.
Oltarjefskij, 31*.
Origenes, 28*.
Palladius, 46*.
Pallottini, R. D., 315*.
Palmieri, S. I., 4. 7*. 20*. 87. 90. 95. 98. 102. 103. 104. 135. 140. 141. 142. 147. 150. 153*. 160. 162*. 165. 167. 168. 169. 172. 173. 174. 175. 178. 179. 182. 185. 188. 190. 191. 193. 194. 205. 211*. 221. 253. 254. 335. 339. 340.
Papp-Shilàgyi, R. D., 33.
Passerini, O. P., 23*. 68*. 71. 72*. 73. 85. 130. 152. 153*. 177. 180*. 243. 248. 274*. 276*. 355*.
Pellizarius, S. I., 19*. 45*. 57. 74. 101. 105. 107*. 113. 115. 121. 126. 128. 132. 142. 153*. 154*. 260. 268. 273. 284. 286. 291. 292*. 310. 350. 366*.
Pennachi, R. D., 245*.
Périès, R. D., 242.
Petra, Card., 180*. 233*. 259. 267*. 283.
S. Petrus Damianus, 95.
Piat, O. F. M. C., 19*. 45*. 55*. 69*. 72*. 73. 74. 77. 85. 92. 97*. 101. 106. 112*. 113. 114. 115. 119. 126*. 129. 130. 135*. 137*. 140. 141. 149*. 151. 153. 156. 162*. 173. 175. 178. 181. 182. 183. 186. 188. 189*. 193. 195. 196. 197. 198. 201. 210. 225. 229. 237. 238. 240. 242. 243*. 244. 245. 246. 268. 270. 271*. 272. 273. 274*. 276*. 277*. 285. 287. 305*. 306. 307. 308. 314*. 315*. 316. 336. 340. 345. 346. 348*. 352. 353. 355*.
Pichler, S. I., 350.
Pignatelli, R. D., 113. 238.
Pirhing, S. I., 106. 121. 232. 320*.
Pius IX, 69.
SS. D. Pius Pp. X, 257.
Pius de Langogne, O. F. M. C., 324*.
Possidius, 61*.
Putzer, 226*.
Rabanus-Maurus, O. S. B., 95.
Ravignan, de, S. I., 66.
Reiffenstuel, O. F. M., 68*. 70*. 72. 106. 109. 120. 136. 193. 227. 232. 246*. 334*. 341*.
Revillout, 32*. 46*.
Ricardus, Archiep. Cantuar., 234*.
Rodericus, O. F. M., 388.
Rotarius, Cler. reg. Barnabita, 182. 225*. 274*. 339.
Sanchez, S. I., 20. 38*. 97. 99. 102. 128. 130. 131*. 132. 149. 150. 152. 153*. 154*. 155. 167. 171*. 172. 173. 179. 180*. 188. 189*. 190. 247. 276*. 335.
Sanguineti, S. I., 66.
Santi, R. D., 66. 70. 72. 107*. 236*. 237*. 238. 243. 250. 270. 277*. 291. 319*. 350.
Scherer, von, 9*. 65*. 232. 234*. 258*. 366*.
Schiwietz, R. D., 10*. 28*. 55*.
Schmalzgrueber, S. I., 50. 67. 69. 72. 73. 74. 75. 91. 94. 97. 99. 102*. 106. 115. 120. 123. 129. 131. 135. 136. 138. 164. 180. 188*. 206. 232. 246*. 261*. 335. 350.
Schmier, O. S. B., 72. 123. 152. 263.
Schneider, R. D., 245*.
Segneri, S. I., 87.
Seidl, 95*.
Sentis, R. D., 391.
S. Siricius, 31*.
Sixtus V, 37.
Smith, R. D., 237.
Spretzenhofer, O. S. B., 32*.
Suarez, S. I., 7*. 15*. 17*. 19*. 20. 21. 22. 25*. 27*. 38*. 51. 55*. 64. 73. 85. 87. 89. 90. 95. 97. 98. 105. 121. 126. 128. 139. 146. 147. 152. 153. 159. 160. 164. 167. 171*. 173. 179. 180*. 185. 188. 189. 190. 191.

253. 254. 267. 269. 276*. 292*. 304*. 306. 322. 323. 334. 339.
Tamburini, Mon. Vallombr., 73. 100. 260. 356.
Tarquini, Card., S. I., 350.
Tertullianus, 27*. 28*.
Theodorus a Spiritu-Sancto, O. F. M., 231.
Thesaurus, S. I., 285.
S. Thomas, O. Pr., 1*. 2. 3. 4. 5. 6. 9. 11. 12. 14. 15*. 16. 17. 18. 19. 21. 23. 24. 54*. 55. 63. 64. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 99. 102. 103. 114. 139. 149. 150. 151. 153*. 154. 159. 167. 185. 188. 206. 236. 253. 328. 329. 330*. 356.
Thomassinus, R. D., 123. 234.
Treugott, 73.
Valentia, Gregorius de, S. I., 23*. 154*.
Van Coillie, R. D., 242.
Van Espen, 234.
Van Gameren, R. D., 303*. 337*. 341. 342.
Vasquez, S. I., 180*. 276*.
Verhoeven, R. D., 78. 329.
Vericelli, Cl. reg., 356*. 389.
Villada, S. I., 305.
Waldensis Thomas, O. Carm., 17*. 24. 45*. 95*.
Wernz, S. I., 53. 72*. 107*. 120. 135*. 137. 142*. 144. 180. 186. 193. 201. 224*. 226*. 266*. 282. 283. 284. 295. 315. 316*. 319*. 340. 343. 344. 366.
Wilpert, R. D., 46*. 94*.
Zalenski, S. I., 66.
Zitelli, R. D., 281.

INDEX RERUM ALPHABETICUS

Numeri = *numeri marginales, nisi praeponitur p.*
Asteriscus annotationes significat
Lineola interducta (—) = *vocabulum in principio positum*
v. S. R. = *vide Summam Rerum in operis initio.*

A

Abbas. Eius auctoritas in suos monachos, 42. — ordinans, 481. — Primas apud Benedictinos, 412*.

Abbatissae electio, 383,5, 414,2, b. — potestas, 453. — ius et obligationes quod ad concessionem confessarii, 472. 473; et spiritualem monialium curam, 491, 492.

Abdicatio bonorum, 201-204 bis.

Absolutio a censuris quod ad regulares, 418. — *generalis* Tertiariorum, 540.

Abstinentiae indulta prosunt Regularibus, 382,1.

Actus interni, an praecipi possint, 293.

Administratio bonorum quae ad simpliciter professos pertinent, 245-249. — an contra votum paupertatis, 257,1. — bonorum conventus, 259. 277. 432-439. — bonorum Monialium, 383,4; Congregationum, 385, *N. B.* 457. — bonorum Congregationis religiosae, 455,4. — bonorum in Missionibus, 533.

Admissio postulantis in religionem, prudens, 129,1; variae eius rationes *v. S. R.* p. 4, s. 1, c. 3. — ad professionem, 213.

Aetas requisita in postulantibus, 138*. 164. 165; in noviciis, 164. 165; in simpliciter professis, 219,1.

Affinitas ex incestu a qua Regulares dispensant, 519.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum. Fuse de hac re, 436. 437. 438.

Altare portatile, 468.

Alumni *convictores*, 163,7. Suntne *familiares*, 518. — *externi*, quod ad confessiones, 518*.

Amentes, quatenus arcentur a Religione, 142; Novicii, 188.

America. Vota religiosa in — 85. 86.

Anachoretae, v. *Eremitae*.

Anni bisextilis quaenam habenda ratio, 188.

Apostasia, Apostata a Religione, 340-342.

Apostoli coluerunt castitatem perfectam, 39. Eorum collegium, 39.

Apostolica schola, 163,7.

Apostolicum beneplacitum, an requiritur in erectione conventus, 109; Monasterii monialium, 116; Domus Congregationis religiosae, 117.

Appellatio a sententia Episcopi de conventus erectione, 108; — a mandatis Superiorum, 298, *N. B.*, 342,1.

Approbatio *Ordinis* diserta et formalis non pertinet ad essentiam status religiosi, 27. Qualis requiratur, 65. Infallibilitas Ecclesiae, 69; Usus S. Sedis, 70.

— Religiosi *confessarii*, 516; *praedicatoris*, 515.

Ascetae, 38. 40.

Ascetismus primaevus, 40; monachorum, 42. 45.

Assistentes, 414,3. 451. 456, 2.
Auctis admodum, Decretum, 324. 328,2. 336-339. 452,3. 483,4. 484.
Austria. Regimen proprium Austriae quod ad tempus professionis, 211*.

B

Baptismus, initium status, cur, 3. — condicionate a Religioso suscipiendus, 460; Conferendus saecularibus, 504,1. 2. Quid de munere patrini? 504,4.
Barnabitae, ratio Instituti, 55.
Beguinae, 61. 534.
Belgium. *Vota* religiosa, paupertatis regimen, 85. 86. 243, 244. 245, *N. B.* Monialium *Chorus*, 315; *Dispensatio* in votis, 327,4; *Indulgentiae*, 353. *Regularium* exemptio, 365, 366. *Puerorum* prima communio, 507. *Eucharistiae* asservatio apud Moniales, 505*. *Sororum* confessiones, 478. 479. *Paroeciae* regulares, 501.
Benedictini Ordinis vera ratio et genesis, 44. 45; Obligatio regulae, 229,2. c; Regimen, 400; Votorum formulae, 83. Abbates, Primas, 412*; Oblati, 163,5. 535.
Benedictio ecclesiae regularis, 375; Paramentorum, 422; Campanae, 523; agrorum, animalium, domorum, mulieris post partum, numismatum, rosariorum, etc. 525.
Beneficii vacatio per professionem, 204-214 bis.
Bibliotheca curanda a Praelatis, 440*. Librorum alienatio, 436,3. 439,1.
Bona translati monasterii, 115, exstinctae domus, 121. Bonorum *alienatio*, 436. Quid de nominibus (*titres*), 437; de pecunia, 439: Bonorum administratio, *v. Administratio.* Bonorum dominium penes quem in Ordinibus, 432. Bonorum *renuntiatio* a noviciis, 196. 201-204 bis. — religiosi *transeuntis*, 322; Saecularizati, 329,6. — temporalia in Missionibus, 533.

C

Calendarium quo utendum in celebratione missae, 513,3; In recitatione Officii. Quid de Episcopo, de parocho regulari, de itinerante, 318; de saecularizato, 329,7; de religioso electo, 333,1. — in Italia indicare debet legenda decreta, 444,2.
Camaldulensis Congregationis ortus ac ratio, 44.
Campanae, 375,4. 523.
Canonici regulares, 47. Congregationes hodiernae, 48. — *saeculares*, 47.
Capellanus Sororum. Munus, 456,3. 462*.
Capitulum *Regularium*, 403-406. 423, *Monialium*, 407; *Congregationum religiosarum*, 408-410; *Institutorum dioecesanorum*, 410 bis.
Carceris poena, 272; probatio, 332*.
Cardinalis *Protector*, 358. 398. 399. — *regularis*, 497.
Caritas essentiam continet perfectionis, 6. — perfecta ad Deum et ad proximum, 7.
Carmelitarum vices historicae, 52; Genus, 80; Vota, 82; Obligatio regulae, 229,2. c.; Regimen, 400; Procurator generalis, 450,2; Exemptio a processionibus, 527; Scapulare, 561.
Carthusianorum genesis, 44.
Castitas perfecta. Eius ratio evangelica, 13; Usus apud priores monachos, 42. Obligatio eius qui fecit professionem irritam, 217; Eius qui ab aliis votis relig. est solutus, 328. *Castitatis* votum in religione, 283-286.
Casus *conscientiae*, 447.
— *reservati*. Potestas reservandi penes Praelatum, 417. 471. — Clementini, 471. Confessarii regularis facultas in — reservatos, 470. 474. 516,4.
Censurae notio, 425-427. — Episcopi adversus Regulares, 370. 380. *Censurarum* absolutio in gratiam Regularium, 418. — latae pro interno Ordinum regimine, 418. — a quibus Regulares absolvunt, 519.
Chorus (materialis) an intra clausuram, 303,2. — (formalis) apud Regulares, 314. 315.
Christus, auctor status religiosi, 31.
Cisterciensis reformationis genesis, 44,

Clausurae, 301-312. *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 4. § 1.

Clericatus, apud primos monachos, 42; Apud monachos S. Basilii et S. Benedicti, 45; In Ordinibus recentioribus, 54.

Clerici, quo pacto ingredi possunt religionem, 134-136. Litterae testimoniales, p. 382.

Clerici regulares. Notae communes, 54. — quinam, 80.

— *Mariani,* postremus tempore Ordo, 70.

— *a Matre Dei.* Origo, evolutio, 55. 70.

— *a S. Paulo (Barnabitae).* Ortus, 55.

— *Ministri Infirmorum.* Ortus, 55; Vota, 82; Tertiarii, 163*.

— *Minores.* Ortus, 55; Vota, 82.

— *Scholarum Piarum,* Ortus, 55; Vota, 82; Regula, 90; Exstinctio et restitutio, 95.

— *Somaschae* seu *S. Maioli,* Ortus, 55.

Cluniacensis reformatio. Genesis, 44.

Coena Domini. Missa in —, 466,5.

Coenobitae, 41. 42.

Communio. *Communionis frequentia* a quo et quomodo definienda Religiosis viris ac mulieribus, 318bis, c. 462. 464. 465. — *infirmi* religiosi, 462. 464. 465; saecularis, 508. 509. — *paschalis* religiosi, 462. 464. 465; saecularis, 506. 508. — *prima* puerorum, 507.

Communis vita non pertinet de se ad rationem status religiosi, 27. — ad mentem Ecclesiae, 281.

Condicio. Professio sub condicione, 210.

Confessarius. Oboedientiae votum ipsi factum, 288. — religiosi saecularizati, 329,8; Electi, 333,1; Dispersi, 345,4. — regularis respectu *saecularium,* 516. 517; Eiusdem facultates, 518. 519; Audiens non approbatus saeculares, 380,4. *Confessarii* deputatio pro *regularibus,* 416. 469. Eiusdem facultates, 470. *Confessarii* deputatio pro *Monialibus,* 472. 473. Eiusdem facultates, 474. *Confessarii* deputatio pro Institutis non exemptis, virorum vel sororum, 476-478. *Confessarii* partes in ordinanda frequentia communionis, 462,1. 464. 465; In spirituali cura religiosorum, 490-492. — conferens absolutionem generalem Tertiariis, 540; Dispensans in condicionibus privilegii sabbatini, 561,2. f.

Confessio, quandonam facienda, 318bis.

Confirmatio in eccl. Regul. 375,3. — Regularium, 461; saecularium, 504,3. De munere patrini, 504,4.

Confraternitates in universum, 542-556, *v. S. R.* p. 9, c. 2. — SS. *Cordis Iesu* et *Apostolatus Orationis,* 557.

— *SS. Sacramenti,* 558.

— *SS. Rosarii,* 560.

— *Scapularium,* 561.

— *Bonae Mortis,* 562.

Congregatio. Varia vis vocis, 56. 62. — ecclesiastica, 62. *Congregationis religiosae,* proprie vel improprie dictae, Notio, 57. 62; Genesis, 57; Approbatio, 66-70; Genera, 91; Quaenam minus vel nullo modo probentur, 68; Abolitio, 96; Domus erigenda, supprimenda, 117. 119; Noviciatus, p. 118-124; n. 196. 204 bis; Professio simplex, 220-222; Abdicatio bonorum et paupertas, 204bis. 250; Clausura, 302: Sodalium dimissio, eiectio, 331. 332,3. Privilegia per communicationem, 352; Exemptio, 367; Superiorum constitutio, 414,2, b; varia ratio et potestas, 454-458; Sodalium obligationes, 454,5; Usus sacrorum et forum conscientiae, 460. 461. 463-467. 476-479. 483. 484. 486. 488-492; Sacra ministeria, 495,3. 498, *N. B.* 504,4. 505,2. 506,2. 509. 511, II. 513, II. 514. 515, II. 516, II. 527. — *dioecesana,* v. *Institutum episcopale.*

— *Bethleemitarum.* Vices historicae, 70,3.

— *Clericorum Discalceatorum Crucis et Passionis D. N. I. C.* Initia, 58; Vota, 82. Privilegia et exemptio, 352,3. 367.

— *Doctrinae christianae.* Initia, 58; Privilegia, 352,3. 518*.

— *Oblatorum B. M. V.* Scapulare SS. Cordis Iesu, 561,1, c.

— *Puritatis.* Privilegium quod ad horam Missae, 467.

— *SS. Redemptoris,* Ortus, 58; Regu-

la, 90 ; Privilegia, 352,3. 367. 467,3. Sorores, 61.
— *(Scheutensis) Immaculati Cordis B. M. V.* etc. Approbatio, 70.
— *Fratrum Scholarum christianarum.* Initium, 58 ; Vota, 82.
— *S. Spiritus in Saxia.* Indoles et vota, 60.
— **nes** Tertiariorum, 534bis.

Congregatio Cardinalium, quomodo imperent religiosis, 290. 389. — *Super Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium*, 390. 457. — *Super disciplina et reformatione Regularium*, 391. — *Super statu Regularium*, 70. 391. — *De Propaganda Fide*, 393. — *Super negotiis ecclesiasticis extraordinariis*, 394. — *Cardinalium C. Trid. interpretum*, 395. — *S. Officii* v. *S. Officii.* — *Indicis*, 396. — *Indulgentiarum et SS. Reliquiarum*, 396. — *Rituum*, 396.

Congregationes marianae, 559.

Coniuges, quatenus impediuntur ab ingressu in religionem, 145, altero ingrediente alter voto castitatis tenetur, 155.

Coniugium, status, cur, 3.

Conservatorium *(Beaterium)*, quid, 63.

Consilium. Quid opus consilii, 9. Consiliorum duo genera, 10. Sunt consilia in Evangelio, 11. Consilia *evangelica*, 11-15. — Consiliorum praestantia, 33 ; relatio ad perfectionem, 8. 34. — vocationi contrarium, 133. — et regula, comparate, 231.

Conscientiae ratio, 489-492 *v. S. R.* p. 7, c. 7.

Consuetudo contra *regulam*, 236,3.d ; inducens privilegium, 347,4 ; — peculii, 280 ; — in causa clausurae, 302, *N. B.* 303,2. — contra legem de decretis legendis, 444,4. — plura oratoria approbandi, 511*. — ordinandi diebus profestis, 482*. — minoris scapularis Tertiariorum, 541,4.

Contemptus formalis, materialis, regulae, 232, Superioris, 298.

Continentiae consilium in Evangelio, 13.

Conventus, (*coenobium*), 63 ; Proprietalis, 100 ; Improprie, 101 ; Erectio. *v. S. R.* p. 3, c. 2 ; Mutatio, amplificatio, 114. 115 ; Exstinctio, 118, *v. S. R.* p. 3, c. 3.

Conversi (Fratres). Origo et descriptio, 44. 163,5 et *N. B.* 2 ; Requisita aetas, 138*. 219,1. Paupertas, 251 ; Immunitas ab Officio divino, 317.

Criminosi, quatenus a religione arcentur, 152.

Crucigeri (canonici), Ortus, 48.

D

Debitores quinam ingredi nequeant religionem, 149.

Decreta legenda apud Regulares, et faciendae *commonitiones* seu *testificationes*, 444. 445.

Decretum laudis, quo Institutum fit romani iuris, 91.

Delicta Regularium, quandonam ab Episcopo coerceri possunt, 379. 381. Poena ob — quomodo auferantur, 419.

Definitores, 414,3. 451. 471,7.

Denuntiatio *canonica.* Eius leges, 430. — *paterna.* Notio, vis, 431.

Dignitas, quid, 428*.

Dimissio religiosi ab Instituto, 334-339. 484 — et expulsio comparate, 331. — et dispensatio, comparate, 331. *Litterae* cfr. Appendicem, p. 385. 386.

Dispensatio a choro, 314 ; ab habitu gerendo, 313,4 ; a votis religiosorum 219-221. 284. 326. 332. 421, a votis Monialium, 220, in Belgio et Gallia, 327,4. 328. — et dimissio, comparate, 331. *Dispensationis* facultas penes Episcopum, an prodest Regularibus, 382. — in legibus Ecclesiae, in votis, in regulis, 421. Dispensatio ministerialis Abbatissae, 453,2. — ab aetate requisita in Ordinandis ; ab interstitiis 480,3, 4. Dispensationes permissae Regularibus, 519. — in condicionibus privilegii Sabbatini (scapularis B. M. V.) 561,2, f.

Dispersi religiosi, 334. 345.

Distantia observanda in erigendo conventu, 110. 116,4 ; inter confraternitates, 546,2

Dominativa potestas, 288. 388.

Dominium radicale, utile, 245,2. Abdicatio dominii an contra votum, 250.
Donati. Aetas requisita, 138*. 165. Notio, 163,5 et *N. B.* 2.
Dos monialium et sororum, 181, 182.
Dubium. An oboediendum in dubio, 295.

E

Ecclesia quaenam pertineat ad religiosos, 512. Quid, si precario concessa, 422. 515. Facultas erigendi ecclesiam, 112, 511. — an intra clausuram, 303,2. — a quo consecranda, benedicenda, reconcilianda, 375,2. Quo pacto servandae in ecclesiis Regularium censurae episcopales (interdicta, etc.) 379,6. — Congregationis excemptae visitatur ab Episcopo, 454,3. *V. Communio, Functiones, Missa.*
Egressus e claustris. Leges de egressu, 304. 310. 383.
Electio religiosi, 331. 332. 333.
Electio in Institutis religiosis, 414. Quid si inhabilis dederit suffragium, 428.
Eleemosynae. *v. Quaestuatio.* — a Praelato faciendae, 435.
Episcopus. Eius status perfectionis 18. 19; comparatio cum sacerdote et religiosus, 22.
— quatenus Praelatus religiosus. 290. 397. *Episcopi* auctoritas in Instituta *dioecesana:* approbatio, 66-68, abolitio, 96, mutatio legum, 98, commigratio in aliam dioecesim, 97, admissio puellarum, 177, definitio dotis, 182, dispensatio in votis, 327, confirmatio Superiorum, 414,2, b. Potestatis summa, 367,3. 386.
Episcopi auctoritas in Moniales, 116. 383. 407. 414,2, b. in Congregationes, 117. 384-387. 410,5, in priores monachos, 42. 45. 363; in Ordines religiosos, 104-108. 368-382. 503; in eorum minores conventus, 365,2, b
— quod ad varia iura.
— confirmans, exercens pontificalia, ordinans in ecclesiis Regularium, 375,3; ordinans ipsos Religiosos, 480. 483.; imperans orationes, 376. 513; nominandus in canone Missae, 376. 513; iubens pulsum campanarum, 375. 523; absolvens, dispensans Regulares, 382, 480; permittens alienationem terrulae, 436,2; praedicans in ecclesiis Regularium, 515, 1,3; prohibens functiones in oratoriis vel praesentiam externorum, 513,2. 514; instituens capellanum, 456,3. 462; permittens vulgationem Indulgentiarum, 524; permittens usum facultatis benedicendi; 525; probans reliquias, 526; vocans Regulares ad processiones et ordinans controversias de praecedentia, 527; permittens congregationem Tertii Ordinis, 537,3; erigens Confraternitates vel erectionem permittens, 546, aut aggregationem, 547.
— quatenus arcetur ab ingressu in religionem, 144.
— ex monacho, 42. 45; — regularis. Habitus, 313; Officium divinum, 318,2, d. Iura et officia in universum, 498.
Equites *Melitenses.* Vota, 80. *Teutonici.* Vota, 83*.
Eremitae, 41. 42. Suntne regulares, 72.
— *S. Augustini.* Origo, 53; Regula, 90; Regimen, 400; Munus procuratoris generalis, 450,2; Tertius Ordo, 535.
— *S. Hieronymi,* 53.
Eucharistiae, ut *Sacramenti,* asservatio in ecclesiis vel oratoriis Regularium, Monialium et Religiosorum, 505. Quid si *dispersi,* 345,4. — delatio ad infirmum, 508. 509. — dispensatio in ecclesiis et oratoriis Religiosorum, 506. Quid de prima communione, 507. — expositio, 510. — usus apud Regulares, 462; in Congregationibus clericalibus, 463, 464; in Institutis mulierum vel laicorum, 465. De Eucharistia ut *Sacrificio,* v. *Missa.*
Examen conscientiae, cotidie faciendum, 318bis, d.
Excommunicatio, contra impedientes puellam ne ingrediatur in religionem, 137. — contra cogentes mulierem ad ingrediendum religionem vel profitendum, 139. — contra tradentes bona Novitiorum monasterio, 196. — contra atten-

tantes matrimonium post votum sollemne castitatis, 285. — contra violantes clausuram, 307. 310,2, e. — contra deponentes habitum, 313. — contra Apostatas, 342, d. — contra Fugitivos, 343. — contra Missionarios negotiantes, 418,1. — contra alienantes bona ecclesiastica, 436,4. — contra praesumentes ministrare saecularibus Extremam Unctionem aut Viaticum, 500. — nes vigentes post C. *Apost. Sedis*, quatenus internum afficiunt regimen Ordinum 418*.

Exemptio religiosorum, 362-382, *v. S. R.* p. 5, c. 2. — a jurisdictione non est per se exemptio a visitatione, 270.

Exercitia pietatis religiosis praestituta, 318bis.

Extrema-Unctio, 462. 464. 465. 485.

F

Familia religiosa, 62.

Familiares, quinam sint, 518,1. Familiarium privilegia 163,6. 7. 518,2.

Femina religiosa, 64.

Festi dies servandi a Regularibus, 373. — quibus conferri possunt Ordines minores, vel, extra tempora, maiores, 482.

Filii, quatenus, impediuntur ab ingressu in religionem, 146. — debentne egredi e claustris ad opitulandum parentibus, 147. — *illegitimi*, an arcentur a religione, 151.

Formulae usitatiores exquirendi vel dandi litteras testimoniales et dimissorias. Appendix, p. 381-386.

Fratres *a S. Antonio*, approbatio, 60.

— *a S. Ioanne de Deo*, Instituti ratio, 60. 80, vota, 82, regula, 90. — *Cellitae*, approbatio, 60. *v. Conversi, Laici.*

Fratres Minores. Initia. Paupertas, 49. 50; Vota, 82; Regula, 90; Erectio conventuum, 109; Obligatio regulae, 229,2, a. 292; Regiminis forma, 400; Bonorum dominium, 432; Tertius Ordo, 541.

— *Capuccini.* Ortus, 90. Erectio conventuum, 109. Electio Confessarii extra Ordinem, 416*. Munus Procuratoris Generalis, 450,2. Scapulare S. Ioseph, 561,1, c. V. dicta de Fratribus Minoribus.

— *Conventuales.* Ratio Instituti, 50. V. dicta de Fratribus Minoribus.

Fuga, Fugitivus, 340. 343.

Functiones sacrae in ecclesiis et oratoriis Religiosorum, 506. 508. 514. 515.

Fundator Ordinis, Eius partes in condendo ordine, 65; Commemoratio in Officio, 317, *N. B.*, in oratione *A cunctis* 513,3 c. Quid in Confiteor vel Litaniis, 354, b.

Funera Religiosorum, 485,2. 486. Funerandi ius Regularium, 522.

G

Gallia, Vota religiosa, 86. Monialium horae canonicae, 315. Dispensatio in votis monialium, 327,4. Religiosi dispersi, 345. 345 bis. Monialium indulgentiae, 353, exemptio, 366,3. Asservatio Eucharistiae in ecclesiis Monialium, 505.

Generalis Superior, 466,4. 468,3. 511,2. c. — apud Sorores, 456,2.

Gradus academici consequendi a Regularibus, 495,6.

Granciae, 101.

H

Habitus, initium noviciatus, 185; Deferendus per probationem, 191, a religiosis, 313; — saecularizati, 329,2, religiosi eiecti, 333.

Hebdomada sancta. Functiones; Missa in Coena Domini, 467,5. 514,2.

Hirsaugiensis Congregatio. Eius ratio, 56,2.

Historia Ordinum religiosorum, quomodo partiatur, 37. — primordiorum vitae religiosae, 38-40. — Monachorum, 41-45. 46. — Canonicorum regularium, 47. 48. Ordinum mendicantium, 49-53. — Clericorum regularium, 54. 55. Congregationum religiosarum, 56-58. — Institutorum peculiaris rationis, 46. 59. 60. — Ordinum et Congregationum mulierum, 61.

Hollandia, quod ad vota sollemnia Monialium, 70; Votum paupertatis, 85. 243. 244. 245, *N. B.*

Hora Missae celebrandae, 467.
Horae canonicae. Origo, 45. Antiqua forma eas persolvendi, 45. Obligatio chori et recitationis privatae, 314-318bis.
Hospitalariae religiones, 53. 79. 80.
Hospites Regularium, 506, 509,2. 518,1, c.
Hospitia, 101.
Humilitas et oboedientia, comparate, 14. 15. 287. 300.

I

Imagines abnormes a Regularibus non remotae, 380,4, c.
Immaculatae Conceptionis canonici regulares, 48. — votum, 82.
Impedimenta ingressus *in religionem*, 141-153. Quid si celata, 154. — ingressus *in Institutum votorum simplicium*, 154bis.
Impuberes possuntne recipi in monasterium, 138*; ingredi religionem, 143.
Incardinatio in Congr. relig. 483,2. 484,3.
Indulgentiae, in ingressu religionis, 193; Noviciorum, 193; In professione, 214,9; Religiosorum dispersorum, 345,7. Indulgentiarum communicatio, 351, publicatio, 352; 524, revocatio, 360. — ab Episcopo promulgatae an prosunt Regularibus, 382,3. — confraternitatum, 548. 553.
Infames arcentur a religione, 152.
Infantes prohibentur ingressu in religionem, 142. — oblati, 138. 140.
Ingressus in religionem, 127. 134-182. *v. S. R.* p. 4, s. 1, c. 2 et 3.
Infirmi confessio. Linquenda fides, 516,2.
Inhabilitates. Notio. Quomodo incurrantur, 427. 428 — quatenus vitium electionis, 428. — casus, 106. 441,2. 444,5.
Iniustitia in materia paupertatis, 253. 268-270.
Inquisitio de qualitatibus postulantis ingressum, 166-173.
Institutum, Vis vocis, 62. De Institutorum religiosorum constitutione, varietate, abolitione, 65-99, *v. S. R.* p. 2; prudenti delectu, 129,2. — *episcopale.* Approbatio. 66-68. Eius sodales an religiosi, 71; Eius exstinctio, 95. 96, commigratio in aliam dioecesim, 97, mutatio legum, 98, exstinctio domus, 119. 121, litterae testimoniales, 172, et p. 381 ss. Admissio noviciorum, 154bis. 177. 180. 182; Professio, 213,3. 218. 220-222. Dispensatio in votis, 327. 328; Dimissio, 331; Dependentia ab Episcopo, 367,3; Superiorum constitutio, 414,2 b.
Quid si in variis dioecesibus versetur, 387.
— votorum simplicium, *v. Congregatio.*
— sine signo exteriore, 73.
— *religiosum* cur dicatur Religio, 21,1. Eius finis, 26.
Interdicta Episcopi an servanda a Regularibus, 379,6.
Interpretatio *privilegiorum, regularum,* quaenam prohibeatur, 236. 348. Ibidem, interpretationis normae. — privilegiorum regularium, 357.
Irregularitas. Notio, 425. — sublata per professionem, 214,7. Dispensatio irregularitatis quod ad Regulares, 426, a Regularibus concessa, 519,1.
Italia (et insulae). Erectio conventus in —, 109; Admissio noviciorum in —, 175. Designatio noviciatus in —, 185. Militia noviciorum in —, 211. Admissio ad professionem in —, 219. Egressus e claustris in —, 304,1. Examen confessariorum in —, 416,1. Religiosi dispersi in —, 345, exempti in —, 345,2. In calendario indicanda legenda decreta, 444,2. Casus conscientiae et lectio S. Scripturae in —, 447.
Iter. Itinerans Regularis, quisnam, 469,2. Eiusdem communio paschalis, 462; Confessio, 469.
Iudex conservator, 358.
Iurisdictio. Notio et collatio cum potestate dominativa, 288. 388. — *Episcopi,* iure *ordinario*; tanquam *delegati*; *etiam* tanquam *delegati* S. Sedis, 368. — voluntaria Episcopi an exerceri potest in gratiam Regularium, 382. — *Papae* in Regulares, 388. — in *Ordinibus* ipsis, 402,

Praelati regularis, v. *Praelatus*. — in *Institutis* votorum *simplicium*, 456. — *Confessarii*, v. *Confessarius*.
Iuris regularis prima exempla, 42.
Iustitiae status cur sit, 3.

L

Laici Fratres, 163, *N. B.* 2. 164,4. 219,1. 251. 317.
Lateranensium *Canonicorum* Genesis, 48. Visitator, 412*.
Lectio *decretorum*, etc. 444. 445. — *S. Scripturae*, 446.
Lectores, quod ad fidei professionem, 441.
Leges quis condat in Ordinibus, 423.
Librorum prohibitio et censura ab episcopo, 371. 379*.
Licentia qua tollitur proprietas ; nominatim de praesumpta —, 260. Quid si licentiam concedens officio sit functus, 260. Quid de dissensione inter praelatum maiorem et minorem, 261 ; de licentiae aequa interpretatione, 262 ; de licentia indebite data, 263.
Litterae *testimoniales* petendae ab ingredientibus religionem, 167-172 ; ab Ordinandis, 480,2 482,3. 483,3. *Formulae* cfr. Appendicem.
— *dimissoriae* ad Ordines recipiendos, 480,1. 483,2 ; ad Congregationem ingrediendam, 483,2. 484,3. *Formulae* cfr. Appendicem.

M

Magister noviciorum, 191,2. 3.
Matrimonium promissum an arcet a religione, 145. 150. — solutum per professionem, 145. 214,5. Matrimonio iuncti, quatenus arcentur a religione, 145.
Matrimonii impedimentum ex voto, 284. Eius celebratio exigit delegationem Episcopi vel parochi 521.
Mendicantes Ordines. Ratio communis, 49. 79. Varii Ordines, 50-53. 80. — Erigentes domum, 109. — transeuntes ad non Mendicantes, 322.
Mercedarii (*B. M. V.* vel *SS. Trinitatis*,) Origo, 60 ; Ordinis ratio, 53, 78-80; Vota, 82. Tertius Ordo, 535; Scapulare, 561, a.
Meritorum participatio a quonam concedenda et quid efficiat, 528.
Metus quo infirmetur professio, 212.
Militia Novicii, 189, c. 211 ; Religiosi ordinandi, 480,2. 483,3.
Militares *religiones*. Notio, 60. 79 ; Variae religiones, 80. Vota Equitum *Melitensium*, 80 ; Equitum *Teutonicorum*, 83*.
Minimi. Initia, 53. Vota, 82. Dispensatio in voto vitae quadragesimalis, 421. Regula, 90. Tertius Ordo, 525.
Minister. Muneris natura, 413,3
Ministeria sacra, *v. clericatus* Regularium habilitas per se, 493. 494 ; secundum praesentem disciplinam, 495.
Missa *conventualis*, 314, II. Missa cotidie audienda, 318bis, d. Missae applicatio apud Religiosos, 466 ; Celebratio apud Religiosos ; potestas superiorum, hora, locus, 466-468. 511-513. — in aliena ecclesia vel oratorio, 513. — ex praecepto audienda, 513,4 et II. Missarum onera suscipienda et implenda. Varia decreta et obligationes, 376. 445,3. 4. 446. 454,5.
Missionarii a Domina Nostra missionum Africanarum, 60.
Missionarius *negotians*, 418,1. Quasi-parochus, 502. 532.
Missiones (*exterae*) quod ad erectionem conventus, 109 ; Clausuram, 308 ; Exemptionem, 365,2, b.; Conlationem baptismi, confirmitationis et munus patrini, 504,2. 4 ; Munus quasi-parochi, 502. De religiosis Missionibus in partibus infidelium, ex professo, 529-533.
— *intra vel extra Europam*, quod ad horam Missae, 466,4, usum altaris portatilis, 468,3.
Missionis *Presbyteri* (*Lazzaristae*). Initium, ratio, exemptio, 56. 66. Scapulare Passionis, 561,1, c.
Monachalis religio, 79.
Monachi primi. Eorum ascetismus, 41. — *Basiliani*. 43, 45. *Benedictini*, 44. 45. *v. Benedictinus Ordo*. — undenam dicti, 79. — Monachorum religiones. 80.
Monasteria *duplicia*, 42*. — *commendata* quaenam subdantur Epis-

copo, 365. — *Monialium*, quod ad exemptionem, 366.

Monasterium, 63. 100. 102. De eius erectione. *v. R. S.* p. 3. c. 2; mutatione, 113-115; exstinctione, 118-121.

Monalium, sanctimonialium notio, 64; Instituta, 61. — Conversae 163, *N. B.* 2, — aetas requisita, 164,2. — dos, 181. 182. — noviciatus, 187,3. 383,3. — professio tacita, 208. — admissio ad professionem, 219,3, b. — clausura, 310, 311. 379,5. 383,1. Accessus ad claustra — 312. — expulsio, 332,2. — dispersio, 345,6. — exemptio, 366. — capitula, 407. — communio, 465, — privilegium servandi SS. Eucharistiam, 505. — confessiones, 383,2. 472-474. Quid si Monialis sit extra claustra, 475. — cura spiritualis, ratio conscientiae, 488-492. Confraternitates in ecclesiis —, 546,2.

— praelati, 452; abbatissa, 453.

Munerum largitio, quatenus prohibita Regularibus, 282.

N

Necessitas parentum varia; quaenam arceat filios a religione, 146. 147.

Noviciatus (domus) probandus S. Sedi, 117,2. — formalis quod ad necessitatem et adiuncta, 183-204bis *v. S. R.* p. 4, s. 2.

Novicius. Eius admissio, 174-177. De eius rationibus in universum, *v. S. R.* p. 4, s. 2. — canens in choro, 314,2. ordinandus, 193,6. recitans Officium, 317. Noviciorum *confessarius*, 416; *Magister*, 191,2. 416,1, c. *Socius Magistri*, 191,2.

Nox, quid, 304.

Numerus religiosorum, pro erectione conventus, 114; In monasterio monialium, 116. — conversarum, 116. — pro exemptione, 365. Monialis supra *numerum*, 115.

O

Oblati pueri, 138-140. —, 163,5 et *N. B.* 2. 165.

— Ordinis S. Benedicti, 163,5*. 535.

Obligatio quaenam arcet a religione, 144-150. 152, — ingrediendi in religionem ex lege, 155, ex voto, 156.

Oboedientiae religiosae essentia, usus coenobiticus, evangelica ratio, 14. 15. — usus apud eremitas, a praelatis, 15; in primordiis vitae religiosae, 42, apud S. Benedictum, 45.

— *virtus* et *votum*, 287-300, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 3, § 3.

— Votum ad Papam, 338; ad Congregationes romanas, 389; ad Episcopum, 397.

Oratoria. Varia genera, 511. Erectio apud Religiosos, 511,2. Benedictio, 511, *N. B.* Commemoratio Titularis, 513, c. Functiones permissae in *oratoriis*, 513. 514. Redactio ad usum profanum, 511, *N. B.*

— *privata*, quod ad Missam, 468,4.

Officia sanctorum, quae a Regularibus sunt celebranda, 314.

Officiales, quinam sint, 411,3. 413.

Officium, in Ordine, quid, 428*.

S. Officii (Congregatio). Causae spectant ad Episcopum, 379. — ius in Regulares, 396.

Oracula vivae vocis, quaenam vigeant, 359.

Oratio mentalis et vocalis, quando facienda, 318bis, d.

Oratio *A cunctis*. Commemoratio Fundatoris, 513,3, c. — imperata ab Episcopo, 376. 513,3, c.

Oratorii (Congregatio) initium, ratio, 56. 70.

Ordinatio in ecclesiis Regularium, 375,3.

— Regularium, 480-482; Alumnorum Congregationis religiosae, 483. 484. Litterae requisitae, p. 383-385.

Ordines hospitalarii, 60, militares, 60, Monialium, 61.

— minores, maiores, *v. Ordinatio. Dimissio. Expulsio. Ordo Sacer.*

Ordinis religiosi notio 45. 62; Approbatio, 65. 66. 67; Exstinctio, 95. 96. — fundator commemorandus in suffragiis, 317. — obligatio adversus saecularizatos, 329,4-8; Apostatas et Fugitivos, 342,2. — privilegia, exemptio, 346-387, *v. S. R.* p. 5. — forma regiminis, 400;

Hierarchia, interior, 401 *v. S. R.* p. 6, c. 2. — forum internum, usus sacrorum, 460-492, *v. S. R.* p. 7. — ministeria sacra, 493-533, *v. S. R.* p. 8.

Ordo *monasticus*, vis vocis olim, 45. 62.

— *Poenitentiae* (*Salzetti*) 53, 82.

— *Equitum Melitensium, Teutonicorum*, v. *Equites*. — *SS. Trinitatis*, v. *Mercedarii*. — *B. M. V. de Mercede Redempt. Captivorum*, v. *Mercedarii*.

Ordo *sacer*. Discessus religiosi in sacris, 324. Eiusdem dimissio, 337; Suspensio, 337. Quid si Episcopus possit sine titulo ordinare, 338. Quid si in sacris erat ante ingressum, 336.

P

Paenitentiaria apostolica. Ius in Regulares, 396. — tribuit facultatem in casus reservatos Ordinis, 470,1, d.

Papa, ut Praelatus regularis, 290. 388.

Paramentorum benedictio, 422.

Parentes quod ad vocationem filiorum, 132. — impediti ab ingressu in religionem, 148.

Parochia *regularis* et *saecularis*, 499. 501.

Parochus, an audiendus de erectione domus, 105. — an ingredi possit religionem, 136. Parochi *iura* in conservatoria et alumnos Congregationis non exemptae, 455,3. 456,3 464. 465. 477. 486; in funera, 522; in primam puerorum communionem, 507.

— *regularis* quod ad Officium divinum 318,2. b. Eius rationes in universum, 499. 500.

Patres albi nullo voto tenentur, 60,4.

Patrini munus quatenus vetatur Religiosis, 504,4.

Paupertas communis, a quibusnam colatur, 109.

Paupertatis religiosae evangelica ratio, 12; Usus apud priores monachos, 42; Varii gradus, 239; Obligatio in administratione temporali, 433.

— *votum*, 237-282, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 3. — *virtus*, 253.

Peccata. Est status peccati, cur, 3. — contra obligationem sectandi perfectionem, 225. 226. — an multiplicentur propter regulam, 234.

— contra votum *paupertatis*, 252-272, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 3, § 1, III; Contra votum *castitatis*, 283; Contra votum *oboedientiae*, 297. 298. 299; Contra prohibitionem egrediendi, 304; accedendi ad claustra monialium, 312.

— reservata contra paupertatem, 271; Ob munerum largitionem, 282,4; Contra castitatem, 286; Contra prohibitionem egrediendi, 305; Contra Apostatas, 342.

Peculium, 273-281, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 3, § 1, IV.

Pecunia quomodo a Praelatis collocanda, 439.

Pensio vitalitia intuitu religiosi soluta, 278.

Peregrini absolutio, 516,4; Communio paschalis, 506.

Perfectionis christianae *essentia* in caritate, 6; Duplex *ratio*, 7; *Sedes* in praeceptis vel consiliis, 8. 33. 34; *Dependentia* ab usu consiliorum, 16. 17. 34; *Servitus*, 3. 4.

— obligatio in Episcopis 19, in professis, 224-226. Potestne imponi, 4.

— status, 16-19.

Perseverantia, an imposita monachis, 42 — commendanda in religione, 94.

Personatus, quid, 428*.

Pia congregatio, *Societas*, 62.

Pietatis exercitia religiosis praestituta, 318 bis.

Poenae *canonicae*. Variae de eis notiones, 425-428.

— peccati remissae per professionem, 214,10.

Dispensatio a — is, 419.

— quas ferre possunt Superiores religiosi, 424. 431.

— quae ferri consueverunt contra Regulares, 428.

Pontificalia exercet Episcopus in eccl. Regularium, 375,3

Portiunculae indulgentia, 354. 541*.

Postliminii ius, post suppressam

domum, 122. — quod ad renuntiationem bonorum, 204.

Postulantes, 138*. 163,3.7. 165. Postulantium admissio, *v. S. R.* p. 4, s. 1, c. 3. — instruendi antequam induantur habitu, 187.

Potestas dominativa, domestica quid differat a iurisdictione, una cum utriusque notionibus, 388. 401. — coercitionis in Ordinibus, 424. — gratiosa in Ordinibus, 418-421. — iudiciaria in Ordinibus, 424. — legislativa in Ordinibus, 424. — domestica in Ordinibus, 430. — paterna in Ordinibus, 431. — administrandi bona in Ordinibus, 432.

Praecedentia inter *Ordines* regulares, inter *Religiosos*, controversiae ab Episcopo definiendae, 527; inter *Confraternitates*, 556.

Praeceptum S. Oboedientiae, quid sit — factum iis ad quos spectat admittere candidatos, 168. — a quonam proficisci valeat, 290. — quadantenus publicum, 430. *N. B.* Estne perfectio in *praeceptis*, 8.

Praedicatio Regularium. Notio, iura Episcopi, privilegia Regularium, 380,4, a. 515. — alumnorum Congregationis religiosae, 515.

Praedicatores (Fratres). Initia, 51; Regula, 90. 229,2, c; Privilegia. 200. 357. 527; Tertius Ordo, 352,4. 535; Confraternitas SS. Sacramenti, 558; Confraternitas SS. Rosarii, 560.

Praelatus *regularis* quisnam, 411; Genere triplex, 412; Quomodo constituatur, 414; Eius potestas varia, 402, 411-439. *v. S. R.* p. 6. c. 2, art. 3. — maior et minor: mutuae rationes, 261. 415,3. 424.

— admittens vel reiiciens postulantes, 174. 175. 178. 179; admittens ad professionem, 213. — indebite concedens licentiam, 263. 305. — quaedam promittens subdito, 264. — permittens vel auferens peculium, 280. — praecipiens sub peccato, 293-297. — dimittens religiosos, 334,1; 335,1. — interpretans privilegia, 357. — permittens vulgandos libros, 371. — moderans usum Eucharistiae, 462. — suspendens a confessione, a celebratione Missae, 466. — praecipiens applicationem Missae, 466. — exercens curam animarum, 488. 489. — erigens confraternitates, vel aggregans, 546. 547. — *Praelati regularis* obligatio urgendi regulam, 235; Impediendi peculium, 280; Non largiendi munera, 282. — obligationes variae peculiares, 440-447.

Praemonstratenses, *Canonici*. Initia, 48. Tertius Ordo, 535.

Praesumptio licentiae, in causa paupertatis, 260,3. — condicio censurae, 509.

Presbyterorum saecularium *V. Holzhauser* (Congregatio) initium, 70.

Privationes. Notio. Quomodo incurrantur, 427.

— *Officiorum*. 106. 168. 441. 445,5. 546,2, c, 1.

— *vocis* activae et passivae. Notio, 428; casus, 106. 168. 272. 322. 444,5. 445,4.

Dispensatio ab his poenis, 419,2. 426.

Privilegia. Notiones *generales*, 346-350, *v. S. R.* p. 5, c. 1. Communicatio inter Regulares, 351-356. Quomodo interpretanda — 348. 357. Privilegiorum regularium tutela, 358; revocatio, 349. 359-361.

Processiones, frequentandae a Regularibus, 274. 527; non autem ab alumnis congregationis religiosae, 454,5.

Procuratio debita Episcopo, 365, *N. B.*

Procurator. Professio per *procuratorem*, 210.

Officialis, 413,3. 4. — generalis, 450. 455, *N. B.*

Professio, an facienda verbis, 27. — tacita, 83. 208.

— fidei, quaenam curanda a Praelatis, 441.

— simplex, Eius vis et leges, 64. 218-222; quod ad paupertatem, 246-251; quod ad officium divinum, 314. 317. — Novicii in articulo mortis, 200.

— religiosa in universum. Eius natura, etc. 205-223, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 1.

Professus (religiosus). Eius obligationes, 224-318, *v. S. R.* p. 4. s. 3,

c. 2. — *transiens* ad alteram Religionem, 322; *saecularizatus*, 330. *v. Apostata, Dimissio, Electio, Ordo Sacer.*

Professorium, 63. 214*.

Proprietatis vitium, quid, 252-257; Poenae, 272.

Provincialis (Superior), 412. 445,4. 468,3. 511,2, c. — apud Sorores, 456,2.

Puellae, educandae, 310,2. e. — ingredientes clausuram, 306. — postulantes examinandae ab Episcopo, 383,3. 385,1.

Q

Quaestuatio, Regularium ius, 372. Leges de Sororibus quaestuantibus, 311. 385,3, de Monialibus, 383,6, de Institutis votorum simplicium, 384,9.

Quemadmodum Decr., De *communione* religiosorum et monialium, 465,3; De *confessarii* electione, 473. 477; De *conscientiae* ratione et obligatione deferendi Superiores, 492.

R

Reformatio, an praecipi possit, 294. Reformationes in Ordine S. Benedicti, 44.

Regimen internum Regularium. 400-458. *S. R.* p. 6. c. 2.

Regula, Quid, regularum varietates, 87. 88. 90. Distinctio inter regulam et constitutiones, 89; *Regulae obligatio* per se, 228-231; per accidens, in subditis, 232. 233; in Praelato, 235, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 2. *Regulae interpretatio* prudens; quaenam saepe vetita, 236. *Consuetudo* contrr regulam, 236. *Regulae obligatio* in saecularizato, 330,3. — Tertii Ordinis, 538; confraternitatis, 552.

— S. Augustini, 48, c. 87, 88. 90; S. Basilii, 43. 45; 87*. 88, 90; S. Benedicti, 44. 45. 87*. 90; S. Columbani, 41; S. Francisci, 50. 87*. 90; S. Pakhomii, 42. 88; Variarum Religionum vel Congregationum. 90.

Regularis, Religiosus, quid, 64. — piger, an peccet contra paupertatem, 269; accedens ad claustra monialium, 312, v. *Professus* — in sacris, v. *Ordo sacer.*

Religio, V. *Ordinis religiosi*, Vis vocis, 211. 62. — activa, 77. 78. 92. — contemplativa, 77. 78. 92. — mixta, 77. 78. 92.

Religionum varietas, 75-94. *v. S. R.* p. 2, c. 2; Varia perfectio, 92-94; Exstinctio, 95-99, *v. S. R.* p. 2, c. 3.

Religiosi. Eorum status perfectionis, 18. V. *Professus.*

Reliquiae SS. probandae Episcopo, 526.

Renovatio votorum, Eius vis, 223; ritus, 223,4.

Renuntiatio bonorum, 201-204bis.

Restitutio facienda a religioso, 270. — ob munerum prohibitam largitionem, 282.

Ritus *professionis*, 210. — *renovandi* vota, 223,4.

Romae prohibetur ne Superiores audiant subditorum confessiones, 476,1.

S

Sacerdotii status cur, 3. — comparatio cum statu religioso, 22.

Sacramentorum et **sacrorum** *usus* apud Regulares et religiosos, 460-492, *v. S. R.* p. 7. — dispensatio a Religiosis facta saecularibus, 503-527, *v. S. R.* p. 8. c. 3.

Saecularizatio. Varia indulta; regimen saecularizati, 329. 330. 333,3. — religiosi dispersi, 345,2.

« Scalzetti » 53. 82.

Scapularia. Variae notiones, 561.

Scripturae Sacrae laurea, 495.

Sancti colendi a Regularibus, 314*. *Sanctorum* suffragia, 317.

Seminarii taxa an solvenda a Regularibus, 378.

Sepultura Religiosorum, 485,2. 486. Funerandi ius Regularium, 522.

Servi, quatenus exclusi a Religione, 143.

Servorum B. M. V. initium, 53; Regula, 90; Tertius Ordo, 535; Scapulare septem dolorum B. M. V. 561,1.

Simplex Professio, 219-222.

Societatis Iesu origo, 55; Genus, 80; Vota, 82. 83; Regula, 90; Abolitio,

95. 99 ; Paupertas, 49*. 109* ; Aetas noviciorum, 164,2 ; Renovatio votorum, 223 ; Obligatio regulae, 229. 292 ; Habitus, 191. 313* ; Horae canonicae, 314*. 317 ; Scholastici, 28,1. 341 ; Apostatae, 341. 342 ; Fugitivi, 343 ; Privilegiorum acquisitio et communicatio. 356. — regiminis forma, 400 ; Capitula, 403 ; Potestas Generalis, 423 ; Procurator generalis, 405,2 ; Assistentes, 451 ; Ordinationes, 480. 482 ; Processiones, 527 ; Congregationes Marianae, 559 ; Bonae Mortis, 562.

Sollemnis Professio, 211-218.

Sollemnitas votorum non pertinet ad essentiam status, 27. Quid votum sollemne, 84. An hodie sit votum sollemne. 85. 86.

Somaschae (Regulares). Initia, 55,2.

Sorores, quid, 64. — quod ad admissionem, 177 ; Dotem, 182 ; Admissionem ad professionem 219,3 ; Clausuram, 302 ; Confessionem, 477. Quid in Belgio, 478. Quid si extra claustra, 479. Quod ad quaestuationem, 311. 385,3 ; Cardinalem Protectorem, 399,2 ; Capitula, 408-410 ; Regimen, 456. 457. Administrationem temporalem. 457. 385, *N. B.* — *conversae,* 163, *N. B.* ; 181.

— *a bono Pastore,* 66.

— *a caritate,* Initia, ratio Instituti, 56, 61.

— *albae,* 60.4.

— *a SS. Corde.* Ratio Instituti, 61. 66.

— *Cluniacenses a S. Ioseph,* 66.

Parvae Sorores Pauperum, 66.

Spiritualis pater 40. 42,2. Cura apud Religiosos, 488-492.

Sponsalia de futuro ingressum in religionem non impediunt, 145.

Stabilitas monachorum, 42. 44. — ex regula S. Benedicti, 45.

Status quid, 2. Statuum exempla, 3, causae proximae, 4. 5.

— *perfectionis,* quid, 18. Eius causae proximae, 4. 5 ; duplex genus, 8. — demonstratur tribus consiliis evangelicis, 16. 17. — non differt per se a statu religioso, 28 fine. — an habetur a sodalibus Instituti episcopalis, 71.

— *religiosus.* Eius descriptio, 1. 24. 74 ; Comparatio cum statu episcopi et sacerdotis saecularis, 22. Cur dicatur *religiosus,* 21,1, *holocaustum,* 21,2, *perfecta paenitentia,* 21,3. Status religiosi partes 23. 25. 27, finis, 26, ratio imperfecta, 30, divina origo, 31, perpetuitas, 32, perfectio et praestantia, 35, varius, respectus, 20. Non differt ille status a statu perfectionis, 28 fine.

Stipendium Missarum, 376.

Successores obtinent facultates Generalium decessorum, 415,2.

Sulpitii S. (Congregatio), 70.

Superior religiosus, quisnam, 411. Superioris constitutio, 414 ; Obligationes in recipiendis candidatis, 168. 173. 178. 179. 180, in urgenda regula, 235, quod ad peculium, 280. — quod ad praecepta, 293-297. — quod ad spiritualem curam, 488-492. — maior et minor : Mutuae rationes, 261. 415,3. 424. — indebite concedens licentiam, 263. 305. — promittens suo subdito 264. — dimittens sodales, 337.

— Congregationis exemptae : potestas, exemptio, obligationes, 454. 463.

— Congregationis non exemptae, 455. 464.

— Congregationis mulierum, 456. 457. 465.

— Instituti dioecesani, 458. 465.

Superiores regulares, vocandi in erectione domus, 104,3. Quas incurrant poenas, 106. 168. 272. 322. 441. 444,5. 445,4. 546,2. c., v. *Praelatus.*

Superiorissa. v. *Abbatissa.* — quod ad *communionem* sororum, 465 ; Deputationem confessarii, 472. 473 ; Spiritualem curam et rationem conscientiae, 491. 492.

Supprior. Muneris ratio, 413,8.

Suspensio religiosi eiecti, 333,2. Quid de dimisso, 336. 337. 484. — apostatae, 342 ; Ordinantis sine titulo beneficii vel patrimonii clericum Congregationis, 482,4. — lata a Praelato regulari, 424. 517.

T

Templariorum ratio, exstinctio, 60. 95. Regula, 90.

Tertiarii, 163,5. Varia eorum genera, 534.

— religiosi, 534 bis.

Tertius Ordo, 62. — per se aliorum non participat Indulgentias, 352,4. De Tertiis Ordinibus, 534-541 *v. S. R.* p. 9, c. 1.
— *S. Dominici.* Eius initia, 535.
— *S. Francisci,* 50. De ipso ex professo, 534. — *regularis,* 50, 534,2. 536,3.
Testamentum simpliciter professorum, 246. Exsecutio piarum voluntatum, sub tutela Episcopi, 381.
Theatinorum initia, 55; Scapulare Immaculatae Conceptionis, 561,1, b. 561,2, c.
Titulus ordinationis, 482,2-4. 483,4.
Traditio, distincta a promissione; quid; cui fieri possit aut debeat, 28; — sui ad ductum alterius non est per se essentialis ad statum religionis, 29.
Transitus ad aliud Institutum, 320-323. Litterae testimoniales, p. 383 — in Seminarium. Litterae testimon. p. 383.
Trappensium initia, 44, religiosi qui militare cogantur, 209,1*; visitator, 412*.
Tridentinum concilium quaenam abolevit privilegia, 361.
Trinitarii excalceati, 53. 60.

U

Ursulinarum initia, 61.

V

Vagi communio *paschalis*,, 506.
Vallombrosanae Congregationis initia, 44.
Viaticum conferendum Religiosis, 462. 464. 465; Saecularibus, 509.
Vicarius *apostolicus*, 530. 532.
— *capitularis*, an permittit erectionem Monasterii, 104; Confraternitatis, 546,1.
— *generalis*, an permittat erectionem Monasterii, 104; Confraternitatis, 546,1.
— *Superioris, Vice-Provincialis, Vice-Rector,* 448.
Villa, 101. 303. 305. 511,2, a.
Virgines sacrae priorum saeculorum Ecclesiae, 38. 40.
Visitatio domus. Obligatio Praelati, 443. — Monialium, 452. — Congregationis relig. 454.
Visitator, 412. 445. 449.
Visitationis B. M. V. (Ordinis) initia, 61. Vota, 86. Officium divinum, 316.
Vita communis, 27. 273-281.
Vitalitia an sint peculium, 278.
Vocatio *religiosa*, 123-133, *v. S. R.* p. 4, c. 1.
Vota substantialia status religiosi, 23. Quid si temporalia vel secreta, 30. — apud priores monachos, 42,2 — quam varia sint, 81-83. — sollemnia et simplicia, 84. — sollemnia an hodie sint, 85. 86. — et professio, comparate, 206.
Votorum dispensatio a Regularibus, 519,3.4; Exstinctio per professionem, 214. 218; Irritatio, 402,1. Relatio ad statum perfectionis, 5.
— castitatis, 283-286; — castitatis coniugum, 145. 155. 519,4; eius qui fecit professionem irritam, 217. — ingrediendi religionem, 155-162. — oboedientiae, 287-300, *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2. — paupertatis, 237-282. *v. S. R.* p. 4, s. 3, c. 2, art. 3. — religiosa in certum diem, 325. 326. Possisne vovere in diem, cum animo postea discedendi? 326. — Noviciorum, 198. 200. — reservata, 162. — facta pro communitate, 430,2.

1447